


INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

QUAS

AD USUM SEMINARIORUM

è Fusioribus suis Prælectionibus Contraxit

PETRUS COLLET

Presbyter *Congregationis Missionis*, Sacræ Theologiæ Professor. & in Sorbona Doctor

---

TOMUS TERTIUS

Continens Tractatus

I. DE SACRAMENTIS IN GENERE
II. DE BAPTISMO
III. DE CONFIRMATIONE
IV. DE EUCHARISTIA ET SACRIFICIO MISSE
V. DE PÆNITENTIA



Post quintam Parisiensem editionem Prima

CULMÆ in PRUSSIA

§ M. DCC. LXV.

INDEX
TRACTATUUM & CAPITUM.
Tractatus De Sacramentis in Genere.

AR-

Con.

TRACTATUS de BAPTISMO

ARTI-

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE

nulla.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA

§ II. De.

CCN

Con

ut,


TRACTATUS DE PÆNITENTIA

Conclu-

Utrum

FINIS INDICIS

TRAC-



TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE



PRÆSENTEM Tractatum dividemus in sex Capita. Primum Sacramenti naturam, existentiam & necessitatem indagabit II. Causam ejus efficientem; III. & IV. Materiam & formam; V. Subjectum ipsius; VI. Cæremonias & sacramentalia.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramenti natura, existentia, &c.

SAcramenti nomen quod derivatur à *Sacro*, propter ordinem quem ad rem sacram habet, in Scripturis sumitur 1mo. pro re latente & secretâ, ut Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est;* 2do. pro mystico rei occultæ signo, ut Apocal. 17. *Dicam tibi Sacramentum mulieris*, id est, rem secretam, quæ per mulierem designatur. Ut hæc acceptio, quæ præsentis est instituti, meliùs intelligatur, sit

ARTICULUS PRIMUS.

De essentia Sacramenti.

HÆretici essentiam, Sacramenti sumunt ex ordine, quem dicit, vel ad promissiones divinas de sanctitate credentibus, seu potiùs prædestinatis conferenda; vel ad cultum quem Deo spondent, qui Sacramenta recipiunt; vel ad utrumque simul. Primò sensu definitur Sacramentum à Kemnitio, *Signum materiale præceptum in novo Testamento, obsignans instar sigilli promissionem gratiæ.* Secundo sensu definitur à Zvinglio, *Oppignoratio, quâ se homines obligant Christo, ejusque religioni dant nomen.* Tertio sensu definitur à Calvino, *Symbolum externum, quò bene-*

volentiæ erga nos suæ promissionem conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem. Sit contrà.

Conclusio I. Sacramenta neque sunt sigilla divinæ promissionis, nec mera nostræ in Deum pietatis signa, nec utrumque simul.

Prob. 1. pars: Quod divinæ promissionis signum est, signum est divinæ prædestinationis; cùm juxta Calvinum, divina promissio nonnisi in prædestinatos cadat: atqui Sacramenta non sunt signa divinæ prædestinationis; cùm fide certum sit, ea etiam à reprobis recipi, ut patet in proditore Juda.

Prob. 2. pars: 1mo. Ideo Calviniani volunt Sacramenta, mera nostræ pietatis signa esse, quia non aliam iis efficaciam esse credunt, quàm ut fidem objectivè excitent, non verò ut gratiam efficienter pariant: atqui hæretica est hæc Novatorum opinio, ut alibi ostendemus. 2do. Si Sacramenta sint tantùm signa fidei excitativa, nihilo plus proderunt, quàm sacra concio; cum hæc fidem vividiùs sæpe excitet, quàm Sacramentum: imò Baptismus infanti, aut perpetuò amenti collatus, non erit veri nominis Sacramentum; cùm in neutro fidem excitare possit: atqui absurdum est consequens, totisque velis ad Anabaptismum deducit.

Prob. 3. pars: Si cuilibet Sacramento essentiale sit, ut gratiam interiorem, non autem in externa solùm peccati non imputatione constitutam producat, jam impossibile est, ut Sacramentum vel in solo divinæ promissionis sigillo, vel in solo fidei nostræ signo, vel in utroque simul consistat: atqui Sacramento cuilibet essentiale est, ut gratiam producat, prout dicemus infrà: neque gratia hæc in sola peccati non imputatione sita est, ut alibi probabimus.

Conclusio II. Sacramentum ut sic, ritè definitur, Signum sensibile à Deo permanenter institutum, ad consecrandum exteriùs hominem Deo, & producendam in eo gratiam sanctificantem.

Prob. 1mo. Ea legitima est Sacramenti definitio, quæ totam ejus rationem per genus & differentiam explicat; & quæ proin omni & soli Sacramento convenit: atqui talis est allata definitio. Per eas quippe voces, *signum sensibile*, Sacramentum convenit cum signis omnibus cujuscumque sint ordinis; per ceteras verò voces, ab iisdem discrepat, putà à lotione pedum, de qua Joan. 13. quia hæc *permanenter* instituta non fuit; ab arca fœderis, quia hæc hominem Deo per se non consecrabat; à Tonsura Clericali, & Regum nostrorum unctione; quia hæc à Deo minimè instituta sunt.

Prob. 2do. ostendendo nullam esse ex definitionis nostræ partibus quæ redundet: 1mo. enim Sacramentum dicitur *signum*

gnum sensibile; quo nomine non elementum modò, vel substantia, sed & actio sensibilis intelligitur, ut in Pœnitentia absolutio Sacerdotis; porrò signum esse sensibile, convenit omnibus Sacramentis, quæ hactenus instituta fuêre. Signum enim ex S. Aug. Lib. 2. de Doctr. Chr. c. 1. est *res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire*: atqui nullum est aut unquam fuit Sacramentum, quod præter speciem quam ingerebat sensibus, non deduxerit in alterius rei cognitionem: sic baptismalis aqua, præter ablutionis exterioris speciem quam sensibus exhibet, interiorem animæ munditiam repræsentat.

Dicitur 2do. *à Deo institutum*, signum enim gratiæ, ab eo solo institui potest, qui gratiam exterioribus instrumentis annectere valet: atqui Deus solus.

Dicitur 3tio. *permanenter*, id est firma & stabili lege. Sacramenta enim, juxta Patres, sunt velut Ecclesiæ columnæ, secundùm id Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum*, id est Ecclesiam, *excidit columnas septem*, id est septem Sacramenta: porrò columnæ durare firmiter debent, quandiu stat ipsa domus; hæc verò durabit in æternum.

Dicitur 4to. *ad consecrandum exteriùs hominem Deo*. Quod enim hominem certæ Religioni addicit, eumdem formaliter sacrat, seu divino cultui specialiter devovet: atqui ex Aug. Sacramentum hominem certæ addicit Religioni, eùmque in Ecclesiæ corpus coadunat.

Dicitur 5to. *& ad producendam in eo gratiam sanctificantem*. Ipsa siquidem Mosaicæ Legis Sacramenta, de quibus lis potior, instituta sunt ut primariò gratiam in suscipiente parerent, saltèm ex opere operantis; ut dicam Cap. 5.

Ex his inferes 1mo. Sacramentum habere rationem signi sacri; tùm ratione rei significatæ; quia Sacramenta vetera Christum venturum, gràtiámque per eum dandam, significabant: nostra verò Christum venisse, Evangeliíque gratiam & significant, & ex opere operato producũt; tùm ex parte subjecti; quia Sacramenta sunt signa seipsis sacrantia eos, quibus applicantur; iísque justitiam suo quoque modo conferentia.

Inferes 2do. nec manna, etsi Eucharistiæ figuram: nec æneum serpentem, etsi figuram Christi gratiæ autoris, vera fuisse apud Judæos Sacramenta; quia signa hæc speculativa erant, non practica, non seipsis sacrantia. Idem est de aqua lustrali apud Christianos, de signo crucis, &c. quæ insuper à ratione Sacramenti deficiunt, quod à Christo instituta non sint.

Obj. 1mo. Si Sacramentum ut sic, sit in genere signi, utique

signi arbitrarii seu *ad placitum:* sed hoc dici nequit: quia signum ad placitum est ens rationis; quod Sacramentis non competit. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. generaliter intellectam. Etsi enim signum sterile, qualis est hedera foribus appensa respectu vini venalis, ens rationis dici potest, quod tamen Scotistæ negant: haud tamen ens rationis nuncupabitur signum efficiens, quale in Sacramentis reperitur: quia tunc imbibit rationem causæ, quæ est aliquid physici.

Obj. 2do. Character Sacramentalis & corpus Christi in Eucharistia, sunt Sacramenta: atqui tamen neutrum est quid sensibile; ergo. R. dist. maj. Sunt Sacramenta prout exterioribus signis uniuntur, corpus quidem Christi speciebus Eucharisticis, caracter verò rebus vel actionibus quarum occasione imprimitur, C. Sunt Sacramenta per se solùm, N. Imò caracter non tam Sacramentum est, quàm Sacramenti effectus.

Obj. 3tio. Matrimonium est novæ Legis Sacramentum: atqui Matrimonium non est cæremonia sacrans, seu cultui divino specialiter devovens. Est enim, ut semper, contractus civilis, cui Christus solam conferendæ gratiæ virtutem addidit; ergo. R. neg. min. Matrimonium enim ex quo elevatum est à Christo ad rationem Sacramenti, jam est actio sacra, à contrahentibus piè obeunda, seù tanquam à ministris Christi, ut volunt plures; seù tanquam à clientibus qui cives Christo parere & enutrire teneantur.

Obj. 4to. Definitio nostra convenit etiam Sacrificio; cùm & à Deo institutum sit permanenter, & vim habeat pariendæ sanctitatis. R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Sacrificium vim habet pariendæ sanctitatis, sed secundariò tantùm, C. primariò. N. Sacrificium enim, primariò institutum est ad cultum Dei, & recognitionem supremi ejus in omnes creaturas dominii: unde sanctitatem non parit nisi secundariò; de quo alibi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramentorum necessitate & existentia.

Quadruplex distinguitur hominum status: primus *innocentiæ*, in quo ante lapsum vixêre protoparentes. Secundus *legis naturæ*, in quo homines, etsi gratiâ destituti non erant, imò nec eâ lege positivâ, quæ remedium peccati originalis præscribebat, necdum tamen receperant legem, qualis exinde Moysi data est. Tertius *legis scriptæ*, quæ Proselytos & Israëlitas usque ad mortem Christi devinxit. Quartus *legis gratiæ*, qui ab Evangelii tempore, usque ad consummationem seculi perseverabit.

Certum est 1mo. necessum non fuisse absolutè, ut ullo in statu instituerentur Sacramenta; tùm quia operatio Dei ad extra, à sola ejus voluntate pendet; tùm quia aliâ quàm Sacramento-

rum

rum viâ, potuit hominis ſalus reparari, & conſervari: cùm Deus gratiam independenter à quibuslibet ſignis conferre poſſit.

Certum eſt 2do. congruum fuiſſe, præſertim poſt hominis lapſum, ut inſtituerentur Sacramenta; quia ut homines in unum viſibilis Eccleſiæ corpus perpetuò coadunentur, quadantenus opus eſt viſibilibus ſignaculis, quæ in Sacramentis potiſſimum conſiſtunt. Sit

CONCLUSIO I. Nulla fuêre in ſtatu innocentiæ Sacramenta.

Prob. Exiſtentia rerum quæ à ſola Dei voluntate pendent, nonniſi ex Scriptura vel Traditione probari poteſt: atqui Sacramentorum exiſtentia à ſolo Dei beneplacito pendet: aliunde verò quòd ea pro ſtatu innocentiæ inſtituta fuerint, nec ex Scriptura, nec ex Traditione; quæ de iis altum ſilent, colligi poteſt.

Obj. Matrimonium inſtitutum eſt in ſtatu naturæ innocentis, ut patet ex Geneſ. 2. atqui Matrimonium jam tunc fuit Sacramentum; juxta id Auguſtini: *Reſpondebit connubii Sacramentum jam in paradiſo*; *L. de nupt. cap. 21.* ergo. R. neg. min. & dico Matrimonium nonniſi in officium naturæ iuſtitutum fuiſſe à Deo, ut multiplicaretur genus humanum. Unde Paulus Epheſ. 5. de Matrimonio loquens non ait: *Sacramentum hoc magnum* fuit, ſed *magnum eſt*, & quidem *in Chriſto & in Eccleſia.*

Nec obeſt Auguſtinus, qui ſolùm probare vult nuptias de ſe, non eſſe malas, quia à Deo ipſo inſtitutæ ſint: quod ut oſtendat, per proſopopeiam inducit Matrimonium loquens; illúdque vocat Sacramentum, non quia tale fuerit ab initio, ſed quia tale ſit hodie, & tale quaſi prophetatum ab Adamo: unde ipſe L. 9. de Geneſ. ad Lit. c. 19. *Eructavit*, Adam, *quod magnum Sacramentum comendat Apoſtolus*, id eſt quod hodie, teſte Apoſtolo, magnum eſt Sacramentum. His adde, connubium jam ab initio fuiſſe Sacramentum latiori ſenſu, quatenus futuræ Chriſti cum Eccleſia unionis ſignum erat.

An autem extitura fuiſſent Sacramenta in illo ſtatu, ſi perſeveraſſet; certò definiri non poteſt. Si tamen conjectare licet, ſat probabile eſt, non defutura fuiſſe ſtatui huic Sacramenta: 1mo. quia eo in ſtatu fuiſſet vera Religio: atqui ex Auguſt. L. 19. contra Fauſt. c. 11. *in nullum nomen religionis - - coagulari homines poſſunt*; *niſi aliquo Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur*; 2do. quia juxta plures Theologos, homines in illo ſtatu peccare potuiſſent ſaltèm venialiter, imò & letaliter licèt raròʼ; ergo congruum erat ut gratiam recuperare poſſent per Sacramenta, quæ eandem certiùs reſtituunt. Imò quidni per Sacramenta vivorum, homo innocens primævam gratiam, novâ gratiâ cumulaſſet?

CONCLUSIO II. Extitit aliquod in lege naturæ Sacramentum, contra peccatum originale.

Prob. 1mo. *ex* S. Aug. L. 5. contra Julian. c. 11. ubi sic: *Nec ideo credendum est ante circumcisionem famulos Dei - - nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, Scriptura sacra latere voluerit.*

Prob. 2do. ex Innocentio III. c. 3. *De baptismo &c.* ubi hæc habet: *Absit ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Unde sic: Si parvuli sub lege naturæ nullum habuissent remedium contra peccatum originale, ingens eorum *multitudo quotidie* periisset in æternum: atqui tanta ætatis parvulæ strages admitti nequit sub Deo *qui neminem vult perire*; ergo. Illud autem remedium sensibili signo fuisse alligatum, & ideo Sacramenti rationem habuisse, probabile est, 1mo. quia ità docet Aug. in textu mox citato; 2do. quia remedii hujus ope infantes populo Dei adunabãtur, ac proinde fiebant visibilis Ecclesiæ membra; quod ut per medium humanæ conditioni proportionatum fiat, per Sacramenta fieri debet, prout suprà docuit Augustinus.

Obj. 1mo. Ideò admittuntur Sacramenta in lege naturæ, quia alioqui innumeri periissent infantes sine quocumque auxilio: atqui hæc ratio non concludit. Pereunt enim innumeri infantes in utero materno: atqui tamen non ideo creditur institutum fuisse pro iis aliquod Sacramentum; ergo. R. ad 1. neg. min. Ad 2. dico 1mo. parvulos materno in sinu pereuntes, paucissimos esse respectu aliorum: porrò conveniens non erat, ut Deus pro paucissimis hominibus Sacramenta institueret. Dico 2do. Sacramenta quæ ab homine conferri debent, pro iis solùm institui, qui sub hominis administrationem cadunt; cujusmodi non sunt pueri materna in alvo delitescentes.

Inst. 1mo. Si quod fuerit Sacramentum pro parvulis quo mundarentur ab originali noxa, debuit & aliquod esse pro adultis quo mundarentur á peccato actuali: atqui id dici non potest. Nullum enim fuit Sacramentum pœnitentiæ ante legem Evangelicam. R. ad 1, neg. maj. adulti enim secluso quocumque Sacramento, peccati actualis veniam consequi poterant per contritionem perfectam: porrò non idem est de infantibus. Non desunt tamen qui contendant fuisse in antiqua Lege remedium aliquod, cujus ope adulti à peccato resurgerent. Et verò, inquiunt, erant in illo statu Sacrificia pro peccato, ut patet exemplis Abel, Job, Abrahæ, Melchisedech, &c. Idem porrò ritus, & Sacrificium esse potuit, prout ad Dei cultum ordinabatur; & habere

bere

bere rationem Sacramenti, prout media fide ad ſanctitatem conducebat.

Obj. 2do. *Si* quæ tunc fuerint Sacramenta, fuerunt hæc quoad materiam indeterminata, ut docet S. Thomas q. 61. a. 3. atqui id admitti non poteſt. Aliás enim melior fuiſſet ſtatûs illius conditio, quàm Evangelici: quia nunc nonniſi per aquam, quæ deeſt aliquando, tolli poteſt originale peccatum; tunc autem tolli poterat quocumque medio. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. tùm quia etſi familiarum principibus permiſſa erat hujus, vel illius ſigni electio, ut parvulis mederentur, opus tamen erat ſignô, quod religiosè adhiberi poſſet; & hoc ſignum quandoque deficere poterat, ſicut hodie aqua, licèt admodum communis; tùm quia longè rarior erat in ſtatu naturæ fidelium numerus, quàm nunc ſit; ac proinde longè minor numerus eorum, qui remedium hoc parvulis applicare, vel applicari vellent: an ergo felix dicetur ſtatus, in quo pauci volunt id, quod omnes velle poſſunt?

Conclusio III. Lex vetus habuit Sacramenta.

Prob. 1mo. ex Aug. L. 19. contra Fauſt. c. 13. ubi ſic: *Sacramenta veteris Legis ablata ſunt, & alia ſunt inſtituta*, &c. 2do. ex Tridentino Seſſ. 7. Can. 2. *Si quis dixerit novæ Legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit*, atqui duo hi textus, exiſtentiam Sacramentorum Moſaicæ Legis disertè ſupponunt; 3tio. non decebat ut Judæa gens, Deo ſpecialiter dilecta careret remediis quæ ante Legem ſcriptam non defuerant: atqui, ut ſtatim vidimus, non defuerunt ante Legem remedia ſacramentalia. &c.

Porrò è veteribus Sacramentis, alia ad totam gentem pertinebant, ut circumciſio pro maribus, eſus Agni paſchalis, expiationes à peccatis; alia nonniſi ad templi Miniſtros, ut Sacerdotum conſecratio, eſus panum propoſitionis, &c.

Conclusio IV. Habet etiam lex Chriſti Sacramenta ſua, eaque ſeptem numero, non plura, non pauciora. Ità Catholici 1mo. contra Archonticos, qui Scripturam & Sacramenta quæcumque reijciebant; 2do. contra Lutherum & Calvinum, quos commodiùs inſequemur in Operis decurſu. Jam concluſio, quam tradit Trid. Seſſ. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis, non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum*, &c. *aut etiam aliquid horum ſeptem, non eſſe verè & propriè Sacramentum; anathema ſit.*

Prob. 1mo. Sacramenta ſunt ritus ſacri diviniùs & permanenter

nenter instituti, quibus annexa est gratiæ promissio: atqui septem esse hujusmodi sacros ritus, à Tridentino designatos, non obscurè colligitur ex Scriptura. Patet id 1mò. de Baptismo ex c. ult. Marc: *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris,* &c. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit* ubi exteriori lavacro annectitur salus, & proinde gratia, salutis principium; 2do. de Confirmatione ex Act. 8. v. 17. ubi per manuum impositionem, infallibiliter confertur Spiritus sanctus; quod sinè speciali Christi institutione & præcepto fieri non potuisset; 3tio. de Eucharistia excollatis secum invicem textibus Math. 27. & Jan. 6. ubi qui piè manducat carnem Christi, vitam æternam habere dicitur; 4to. de Pœnitentia ex Joan. 20. ubi traditur potestas remittendi peccata, ideòque & gratiam largiendi; 5to. de Unctione Extrema ex Jacobi 5. ubi infirmo, *si in peccatis fuerit*, dimittuntur peccata per orationem & unctionem; 6to. de Ordine ex I. ad Timot. 4. ubi habet manuum impositio gratiam sibi annexam; 7mo. de Matrimonio; ex Math. 19. & Ephes. 5. ubi conjugium ad magni Sacramenti rationem elevatur.

Prob. 2do. ex celebri illa S. Augustini regula, L. 4. de Bapt. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Unde sic: Illud indubiè tenendum est, quod ante Pseudoreformatos universa tenebat, semperque tenuerat Ecclesia: atqui 1mo ante Pseudoreformatos, universa tenebat Ecclesia septem in nova Lege esse Sacramenta. Id nimirum cum Latinis tenebant Græci, cæterique Orientales; cum, etsi in aliis Ecclesiæ Romanæ fidem acriter vellicarent, nusquam tamen exprobraverint eidem, quòd plura admitteret Sacramenta, quàm à Christo instituta essent. Imò ejus hâc in parte fidem vindicavit Hieremias Patriarcha C. P. cùm Augustanam Confessionem perstringendo, declaravit septem à Græcis omnibus admitti Sacramenta, nec plura, nec pauciora. 2do. Idem semper tenuerat Ecclesia. Quæ enim tanquam hæreticos ejiciebat è sinu suo eos, qui vel unum è prædictis ritibus pro Sacramento habere renuerent, hæc utique septem Sacramenta semper admisit: atqui Ecclesia tanquam hæreticos -- Sic enim seculo III. proscripsit Novatianos, qui Confirmationem non conferebant Neophytis. IV. Manichæos, qui de Matrimonio malè sentiebant. XV. Wiclefistas, quibus despectui erat Extrema-Unctio. XVI. Lutheranos & Calvinistas, quibus id cordi fuit, ut sopitas hæreses undecumque colligerent; ergo.

Obj. 1mo. Si septenarius Sacramentorum numerus sit primævæ Ecclesiæ dogma, debuerunt Patres hujus numeri in scri-

ptis suis meminisse: atqui falsum consequens. De hoc enim numero nihil habent Justinus, & Cyrillus, & is tamen cùm ex professo in Catechesibus suis agat de Sacramentis, omnia Sacramenta recensere debuit. R. dist. min. Patres non meminerunt explicitè hujus numeri, C. implicitè, N. Hi enim & alii Patres quâ datâ occasione adstruunt nunc Pœnitentiàm, nunc Confirmationem, nunc Matrimonium, vera esse Sacramenta; ut de singulis suo in loco probabitur.

Obj. 2do. Ut plura sint quàm septem Sacramenta, sufficit ut Ordines multi, martyrium, professio religiosa, & pedum lotio, totidem sint Sacramenta: atqui res ità se habet. Et quidem 1mo. Diaconatum saltèm, Presbyteratum & Episcopatum, pro Sacramentis habent Theologi omnes; 2do. nihil martyrio deest, quominus totam habeat rationem Sacramenti; cùm ejusdem sit efficaciæ ac Baptismus, cujus vices etiam in parvulis supplet; 3tio. idem est, & multo certiùs de pedum lotione, quæ & á Christo instituta est Joan. 13. *Cæpit lavare pedes Discipulorum*; & permanenter instituta est, utpotè cum præcepto, simile quid faciendi; *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*; *Exemplum enim dedi vobis*, &c. ac demum annexam habet gratiæ promissionem, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Neque hìc deest mystica significatio, quam indicant hæc Christi ad Petrum verba; *Quòd ego facio tu nescis modò, scies autem postea*; ergo.

R. neg. maj. quantùm ad Ordines, minorem verò quo ad cætera. Itaque etsi citati Ordines totidem dicantur Sacramenta, haud tamen plura quàm septem numerari debent: quia Sacramentum hìc sumitur, secundùm genus relationis quam importat, ità ut tot solùm sint Sacramenta, quot sunt sacri ritus, qui ad fines specificè diversos referuntur. Unde cùm ordines omnes ad eundem finem genericum tendant, nimirum Eucharistiæ confectionem, aut administrationem, nonnisi unum quoddam Sacramentum constituunt.

Quòd ad martyrium spectat, nego illud esse Sacramentum. Ad id enim non sufficit ut gratiam pariat, sed & necesse est, ut à Christo institutum sit, & constet sacrîs materiæ & formæ ritib9, ac demum perficiatur à Ministro ad id deputato: atqui martyrium nec à Christo institutum est, cùm consistat in actione impia ex parte agentis; nec constat sacrîs materiæ & formæ ritibûs, cum in immani tortoris facinore situm sit; nec perficitur à Ministro Dei, sed à ministro diaboli. &c.

Idem dico de lotione pedum; tùm quia nulla Concilia, nulla prorsus Catechesis, quibûs tamen maximà continetur Apostolica traditio, cæremoniam hanc Sacramentis accensent; tùm quia

lotio pedum, licèt ſit exterius rei ſpiritalis ſignum, cæteros tamen Sacramenti characteres non habet. Nam 1mo. Sacramentum debet eſſe ſignum permanens: atqui lotio pedum nunquam in Eccleſia Chriſti, quæ circa fidem errare non poteſt, habita fuit pro ſigno permanenti; cùm teſte Ambroſio, vel alio quovis, L. 3. de Sacram. c. 1. lotionis hujus *conſuetudinem non* haberet *Eccleſia Romana*; quin & eam vetuerit Hiſpanica Eccleſia in Conc. Eliberit. Can. 48. ergo hæc verba: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, haud literaliter accipienda ſunt, ſed metaphoricè, pro præcepto exercendi charitatem & humilitatem; 2do. nihil eſt in diſcurſu Chriſti, unde certò colligi poſſit annexam fuiſſe gratiæ promiſſionem lotioni pedum. Hæc enim verba: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non exhibent lotionem quaſi ex tunc neceſſariam ad ſalutem, ſed ſolùm inobedienti Petro minantur pœnam, quæ vel in privatione beatitudinis conſiſtat, ut volunt aliqui Patres, vel in excluſione ab Euchariſtia mox inſtituenda, ut docent alii:

Inſt. Patres in his Chriſti verbis agnoverunt ſignum practicum gratiæ ſanctificantis primæ vel ſecundæ. De cæteris enim idem eſto judicium ac de S. Bernardo: atqui S. Bernardus -- ſic enim ſcribit Serm. 1. in Cœna Dom. *Appropinquans paſſioni Dominus, de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia, ſigno aliquô præſtaretur. Ad hæc inſtituta ſunt Sacramenta; ad hæc Euchariſtiæ participatio, ad hæc pedum ablutio; ad hæc denique ipſe Baptiſmus*, & infrà. *Ut de remiſſione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. Vis autem noſſe, quia pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum eſt, Si non lavero te*, &c. *Aliquid igitur latet, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quando ſinè eo, nec ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti & Dei -- unde ſcimus quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem*, & *à quibus plenè cavere non poſſumus ante mortem, ablutio iſta pertineat? Ex eo planè quod offerenti manus, & caput pariter ad abluendum, reſponſum eſt: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Ex iis ſic: Ille ablutionem pedum reponit inter Sacramenta, qui eam Baptiſmo & Euchariſtiæ comparat; & per eam tanquam per ſignū viſibile gratiam inviſibilem conferri docet: atqui S. Bernar. &c.

℟. 1mo. Eccleſiæ fidem non ex uno aut altero Patre repeti, ſed ex morali SS. Doctorum conſenſu, qui certè in præſenti materia non reperitur.

℟. 2do. diſt. maj. Ille ablutionem pedum reponit inter Sacramenta, qui eam Baptiſmo comparat adæquatè; ſquíque per eam ut per viſibile ſignum dicit gratiam conferri permanenter,

& propriâ ejus efficaciâ, C. secus, N. Itaque ablutio pedum est quidem signum exterius rei sacræ & spiritualis, nempe interioris munditiæ, quæ necessaria est accedentibus ad corpus Christi: unde aliquid habet per quod cum Sacramentis, quæ essentialiter signa sunt, comparari possit. Verùm hæc ad Sacramenti rationem non sufficiunt; quia in nova Lege requiritur ut signum illud & permanens sit, & ex opere operato gratiam producat, & in ejus applicatione forma materiam comitetur: atqui probari non potest ex S. Bernardo, pedum lotionem esse signum permanens, eámque ab ipso penes efficaciam comparari cum Baptismate & Eucharistia, &c.

Inst. 1mo. Signum quô quotidiana peccata remittuntur, quòdque non pro solo exemplo erat, sed pro Sacramento ità necessario, ut *sinè eo nec ipse Petrus* salvari posset, est signum permanens simul & efficax: atqui ex S. Bern. ablutio pedum, &c.

R. dist. maj. quoad 1. partem. Signum quô quotidiana peccata remittuntur propriè & efficaciter, C. minùs propriè, & non vi ejus intrinsecâ, N. Itaque in mente S. Bernardi dici potest latiori sensu, quòd peccata lotione pedum remittantur, ut & dicitur eadem remitti per Sacramentalia. Sed nec dixit, nec insinuavit S. Doctor, remissionem hanc fieri vî propriâ ablutionis, & ex opere operato: alioqui enim quomodo ablutio hæc fuisset tam rara, ut nonnisi semel in anno, vixque alibi quàm in Ecclesiasticis Communitatibus adhiberetur.

Ad 2. part. neg. min. Non enim dicit Bernardus ablutionem pedum ità esse necessariam, ut sinè ea salvari non possit homo, & vi ejus salvetur; sed ait esse mysterium rei, ad salutem necessariæ; obedientiæ scilicet & charitatis, quæ si Petro defuissent, salvari non potuisset. Et certè quis dicat peccata venialia, ad quorum remissionem instituta est isthæc ablutio juxta S. Bernardum, damnare hominem, si non deleantur? Docet equidem S. Bernardus, hominem per venialia damnari, sed si ea contemnat: audiantur hæc ejus verba, Serm. 1. de Conversione S. Pauli: *Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere,, non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis; hæc est enim impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum S. blasphemia irremissibilis.*

CAPUT SECUNDUM.

De causa efficiente Sacramentorum.

CAusa alia efficiens, quæ vel est *primaria*, & institutrix dicitur, vel *secundaria*, & vocatur ministerialis, quæ vel intrinseca

est, & consistit in materia & forma ex quibus exurgit totum Sacramentale; vel extrinseca, & subjectum nuncupatur: alia demũ finalis, quæ in fine & effectibus Sacramenti consistit. Ab efficiente initium ducimus: ut autem ea planè expendatur, agendum est 1mo. de Sacramentorũ Autore; 2do. de eorumdem Ministro.

ARTICULUS PRIMUS.

De Autore Sacramentorum.

CIrca Sacramentorum Autorem hîc tantùm inquiremus, an Deus singula Sacramenta per seipsum instituerit. Quâ de re constat 1mò. antiquæ Legis Sacramenta à Deo immediatè institutata esse: ut patet de circumcisione ex c. 17. Genes. de Agno paschali ex c. 12. Exodi, de Sacerdotali consecratione ex Levit. 8. Non ergo dicitur Lex Joan. 1. *Per Moysen data*, quia ab eodem instituta sit: sed quia promulgata.

Constat 2do. apud omnes, Baptismum & Eucharistiã à Christo immediatè instituta fuisse; sed ambigitur an idem de cæteris dicendum sit. Senserunt enim aliqui Extremam-Unctionem á S. Jacobo fuisse institutam: alii verò Confirmationem in Meldensi Concilio anni 847. inductam esse; qua ab opinione non abhorret S. Bonaventura. Sit.

Conclusio Christus omnia Legis novæ Sacramenta instituit immediatè.

Prob. 1mo. Qui Ecclesiam fundavit, censendus est columnas ejus posuisse, nisi aliud ex verbo Dei constet: atqui Christus indubiè fundavit Ecclesiam; cujus, ex omnium confesso, Sacramenta bases sunt & columnæ. Aliunde verò probari non potest, fundamenta hæc ab alio quàm à Christo posita fuisse.

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 7. Can. 1. ubi: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à J. C. D. N. instituta, anathema sit.* atqui in usu communi, à quo certè non recessit sacra Synodus, illud quis instituisse dicitur, quod per seipsum instituit. Unde nec Concilia, nec Patres, à Christo esse dicunt ea, quæ etiam ex commissione Christi instituta sunt immediatè ab Ecclesia; ut patet, tùm de censuris; tùm de ritibus in distribuenda Eucharistia servari solitis, quòsque Tridentini PP. cùm à Protestantium ludibriis defendunt, Sess. 21. c. 2. ajunt solùm ab Ecclesia institutos fuisse.

Prob. 3tio. Quia nemò veterum Patrum per priora 12. Ecclesiæ secula, docuit Apostolis concessam fuisse potestatem instituendi Sacramenta. Imò Ambrosius, L. 4. de Sacram. c. 4. *Autor Sacramentorum, quis est nisi Dominus Jesus?* & Aug. Lib. de vera Relig. *Ubi venit tempus gratiæ, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto -- pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt.*

Obj.

Obj. 1mo. Christus Apostolos mittens, *Sicut*, ait Joan. 20 *misit me vivens Pater*, *& ego mitto vos*: atqui Deus Christum misit cum potestate instituendi Sacramenta. R. dist. maj. Christus Apostolos misit, sicut eum miserat Pater, id est, misit eâdem potestate, C. id est, misit cum eâdem potestate, N. Alioqui sicut remittebat Christus peccata sinè ullius Sacramenti ope, sic & ea extra pœnitentiæ Sacramentum remittere potuissent Apostoli, quod nemo dixerit.

Obj. 2do, S. August. Lib. 3. de Doctr. Christ. c. 9. *Quædam*, inquit, Sacramenta *pauca pro multis ipse Dominus* & *Apostolicæ tradidit disciplina*: sed quæ ab Apostolis & à Christo tradita sunt à solo Christo instituta non fuêre. R. dist. maj. Christus & Apostoli Sacramenta tradidêre aliter & aliter, C. eodem modo, N. Christus enim Sacramenta tradidit ut autor, Apostoli ut præcones; Christus id præscribendo quod essentiale est, Apostoli cæremonias ad majorem solemnitatem adjungendo.

Quæres 1mò. an de fide sit Christum immediatè instituisse Sacramenta. R. negat. cum Soto, Estio, & aliis passim: 1mo. quia nihil erui potest ex verbo Dei, quod immediatam institutionem invictè probet; 2do. quia Tridentina Synodus, ubi Sacramentorum institutionem expendit, de industria abstinet ab iis vocibus, quæ immêdiatâ Christi actionem exprimerent; tantùmque, cùm de Extrema-Unctione loquitur, ait eam Márci 6. insinuatam fuisse. Adde quòd hujus Concilii Patres in id incubuerint unum, ut Pseudoreformatorum hæreses proscriberent; non ut vellicarent opiniones inter Catholicos controverti solitas. Adeò tamen, invaluit immediatæ institutionis opinio, ut vix effugerent temeritatis notam, qui ab ea etiamnum recederent. Multò graviùs peccaret, qui cum Alensi, institutionem Confirmationis ad plura post Christum secula differret. Unde Frassem suorum defensor, sed sagax, nitidè hîc de Alensi & Bonaventura illud ait: quod de Cypriano Aug. L. 2. contra Crescon. c. 30. *Non accipio quod de baptisandis hæreticis & schismaticis B. Cyprianus scrïpsit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

Quæres 2do. an Christus Sacramenta instituerit non solùm ut Deus, sed & ut homo. R. affirmat. Duplex enim distinguitur in Christo potestas, alia *autoritatis*, quæ etiam suprema dicitur alia *excellentiæ*, quæ licèt suprema non sit, habet tamen prærogativas singulares. Per priorem instituit Sacramenta ut Deus, per posteriorem ut homo. Præcipuæ autem hujus excellentiæ potestatis dotes sunt, 1mo. quòd Sacramenta vim suam habeant ex meritis Christi condignis; 2do. quòd Sacramenta per invocationem nominis ejus, ejusque autoritate conficiantur. 3tio. quòd

quòd effectus Sacramentorũ independenter à Sacramentis ponere potuerit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ministro Sacramentorum.

UT præambula quædam ſolvântur.

Dico 1mo. Miniſter Sacramenti ſecundùm Legem Dei ordinariam eſt ſolus homo viator; non tamen quilibet cujuslibet.

Prob. 1. Pars contra Lutherum, qui L. de Miſsa privata docet diabolum in corpore humano baptiſantem, conſecrantem, &c. ſacramentaliter operari: Pr. inquã 1mo. quia ſolis hominib9 dictũ eſt Math. 28. *Docete omnes gentes, baptiſantes eos.* ſolis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* ſolis Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Prob. 2do. ex S. Chriſ. qui in re obvia plus ſatis fuerit. Sic ille L. 3. de Sacerdotio: *Qui terram incolunt -- poteſtatem acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus: neque enim illis dictum eſt, Quæcunque ligaveritis,* &c.

Obj. Tàm poteſt diabolus conficere Sacramenta, quàm id poſſint diaboli membra, ut Judas, & impii Sacerdotes: atqui, &c. R. neg. maj. Mali enim Sacerdotes non deſinunt eſſe Miniſtri Chriſti, quia ad id conſecrati fuêre: at dæmones nuſquam in Chriſti Miniſtros conſecrati ſunt.

Prob. 2. pars, 1mo. quia in Lege Chriſti, in qua *nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, Hebr.* 5. id licitum eſſe nequit, quod grande fuiſſe piaculũ in veteri Lege: atqui quòd quilibet ſibi arrogaſſet Sacerdotii poteſtatem, grande fuiſſet ſcelus in veteri Lege, Hinc Oziam Sacerdotalia munia uſurpantem ſic carpebant Levitici Sacerdotes: *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, qui conſecrati ſunt ad ejuſmodi miniſterium.* II. *paral.* 26.

Prob. 2do. ex Trid. Seſſ. 7. Can. 10. ubi ſic: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis habere poteſtatem, anathema ſit.* Sed de his in Operis decurſu.

Dico 2do. Miniſter Sacramenti in uſu poſiti, ad ejus effectũ verè & activè ſuo modo concurrit.

Prob. qui verè remittit peccata in confeſſione, & gratiam confert in Ordinatione, ille verè concurrit ad effectum Sacramenti: atqui Miniſter Sacramentorum remittit peccata, Joan. 20. & gratiam confert in Ordinatione, II. Timot. 1. Et verò qui eſt cauſa actionis, cauſa eſt effectûs quàm actio producit; atqui Miniſter Sacramenti cauſa eſt actionis Sacramentalis, quæ Sacramentalem effectum producit; ergo & effectûs cauſa eſt.

Dixi, *Sacramenti in uſu poſiti* quia Miniſter Euchariſtiæ, quo-

id

id habet proprium ut in re permanenti, non autem in uſu ſeu actione tranſeunte conſiſtat, non concurrit ad gratiam quam parit Euchariſtia; cùm ſit tantùm cauſa applicans, & conditio ſine qua non. Quanquam ſicut medicus dicitur cauſa ſanitatis, cùm applicat medicamentum, ſic & utcumque cauſa gratiæ dici poteſt qui Euchariſtiam adminiſtrat.

Dixi iterum, *ſuô modô;* quia, ex S. Thoma q. 64. a. 1. homo concurrit tantùm ut cauſa inſtrumentalis: unde ſola cauſa abſolutè principalis eſt Deus, juxta id Rom. 8. *Deus* eſt *qui juſtificat.* Cauſa verò principalis meritoria eſt Chriſtus, fons & origo juſtitiæ totius.

Hîs obiter præmiſsîs, tria manent fuſiùs expendenda, 1mo. an Miniſtro ineſſe debeat probitas; 2do. an fides; 3tio. an & quæ intentio.

SECTIO PRIMA.

De probitate Miniſtri.

VIdendum hîc 1mo. an malus Miniſter qui in forma communi Sacramentum conficit, idem validè conficiat; 2do. an licitè; 3tio. an à malo Miniſtro Sacramenta recipi poſſint & peti

§. I. *An malus Miniſter validè conficiat Sacramenta.*

Donatiſtæ ſic nuncupati vel à Donato *Cæſarum nigrarum* in Numidia Epiſcopo, vel ab alio Donato Majorini ſucceſſore, ut ſub aliqua pietatis ſpecie, recederent à communione Cæciliani Epiſcopi Carthag. aſſeruerunt conſecrationem ejus nullam eſſe, ut quæ facta eſſet à felice Aptungitano, quem calumiosè cauſabantur in perſecutione Diocletiana circa an. 303. Libros ſacros tradidiſſe. Erroris, qui tot annos Eccleſiam miſerè defatigavit, fundamentum illud erat, irrita eſſe Sacramenta non ab hæreticis modò, ſed & à peccatoribus collata. Et id quidem aſſertum primò de peccatoribus etiam occultis, ad peccatores publicos deinceps reſtrinxere.

Eundem errorem amplexi ſunt ſeculo Eccleſiæ 12. Henriciani, ſeu Apoſtolici, Valdenſes, Albigenſes, Wiclefiſtæ ſub finem ſæculi 14. ac demum ſeculo 16. Anabaptiſtæ. Contra quos omnes ſit.

Conclusio. Valent Sacramenta à Miniſtro improbo ritè cōfecta. Eſt de fide, ſecundùm id Trid. *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentū; anathema ſit· Seſſ. 7. Can. 12*

Prob. 1mo. Valent Sacramenta ab hæreticis ritè confecta, ut patebit ex dicendis. atqui hæretici ſunt peccatores; utpote qui Chriſti tunicam ſacrilegè diſcindant.

Prob. 2do. ex Aug. Tract. 5. in Joan. *Baptiſma,* inquit, *tale*

eſt,

est, qualis est, ille, in cujus potestate datur; non qualis est ille, per cujus ministerium datur. & n. 18. *Quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Christi est; & si datum est à Juda, Christi erat -- Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendendo, per quam mihi dicitur, hic est qui baptisat.* Unde sic, non autoritatis, quæ manifesta est, sed rationis argumentum efformo: Ut Sacramentorum efficacia non pendeat à mala Ministri dispositione, sufficit, ut Minister ille non agat nomine proprio, sed nomine alterius, qui independenter à qualibet Ministri dispositione operari possit & velit: atqui Minister Sacramentorum non agit nomine proprio, sed Christi: Hic enim *est qui baptisat*; nec quisquam præter eum *potest mundum facere de immundo conceptum semine. Job.* 14. Aliunde verò potest & vult independenter à quâlibet Ministri dispositione operari. Potest quidem, quia omnia potest; vult verò quia bonus est; nec ut infinitè bonus providisset creaturæ suæ, si sortem eius, ab improbitate Ministri ferè semper incognita suspendisset; ergo.

Prob. 3tio. ex Concilio Constant. à quo Sess. 45. damnata est isthæc Wiclefi propositio n. 4. *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptisat.*

Obj. 1mo. Oleum peccatoris sanctificare non potest, secundùm id Psal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum:* atqui Sacramenta in manu impii, sunt oleum peccatoris, &c. R. neg. min. & dico Sacramenta oleum esse Christi; unde qui mundatur, non ab immundo, sed à Christo ipso mundatur, qui tàm per immundi ministerium mundare animas potest, quàm per infirmi medici pharmacum sanare corpora. Ceterùm in Ps. 140. non agitur de unctione sacramentali, sed de periculosis adulatorum blanditiis, quibûs misericordem Justorum iram præponit Vates regius: *Corripiat me Justus in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet*, &c.

Obj. 2do. Si actio mali Ministri pareret gratiam; colligerentur de spinis uvæ: de tribulis ficus, de arbore mala fructus boni: atqui ex Christo Mat. 7. v. 16. & 17. colligi non possunt. R. dist. maj. Si actio mali Ministri prout est formaliter Ministri, pareret gratiam, C. maj. Si actio mali ministri, prout est actio Christi, N. maj. Itaque actio hominis hominem baptisantis, non regenerat prout est actio merè humana, sed prout vim sactificandi habet à Christo: *Hic est* enim *qui baptisat.*

Inst. Actio quæ sub aliquo respectu esset actio Christi, esset actio vera, non mendax; mundans non polluens: atqui actio Ministri improbi non est actio vera sed mendax, &c. Prob. min.

min. ex S. Ambrosio Lib. de initiandis c. 4. ubi ait, *Est in aliquibus aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Idem docet tùm Innocentius I. Epist. 18. ad Alexandrum, tùm ipse, premente evidentiâ, Augustinus: *Mali Ministri*, ait L. 3. de Bapt. c. 18. *remissionem peccatorum non dant. Non enim*, ait S. Doctor, *raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur illi.* R. dist. min. Actio improbi Ministri, qui contra essentiales Sacramentorum ritus peccat, est mendax, & polluit, C. Actio improbi Ministri ritè administrantis, subd. est mendax, id est nullum habet effectum ex parte ipsius Ministri, C. est mendax ratione subjecti cui applicatur, iterum dist. est mendax ob pravam subjècti dispositionem, C. est mendax simpliciter & ratione suî N. Itaque loquitur Ambrosius de hæreticis qui Baptismum sub vitiatâ formâ conferebāt, & meritò dicit Baptismū hunc non mundare. Loquitur Innocentius I. de his qui citra necessitatem scientes ordinabantur ab hæreticis; & meritò statuit impiam hanc ordinationem, non salutis, sed damnationis fontem esse. Loquitur demùm Augustinus de personali, ut ita loquar, merito actionis Ministri mali, & jure decernit actionem hanc utpotè sacrilegam, nihil promereri gratiæ. Verùm non ideò negat actionem illam, prout Christi nomine exercetur, esse efficacem: imò disertè adstruit contrarium his Libri 2. contra Parmen. verbis: *Omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè suscipientibus.*

Ad id quod additur ex Lib. 3: de Bapt. dist. Non est dictum impiis Ministris, *quorum remiseritis*, quasi bona effectio ipsis attribuenda sit, C. Non est dictum quasi actio ministerii eorum sit invalida, N. Itaque si Aug. intelligere volumus, distingui debet Minister, & actio ejus à bona effectione, quæ actionem hanc subsequitur: actio Ministri valida est, ídque vel admisit Aug. vel nihil in prolixis suis contra Donatistas lucubrationibus probavit. Verùm effectio, putà peccatorum remissio, non ideò in Augustinianâ phrasi, tribuenda est malo Ministro; quia juxta S. Doctorem, gratia nonnisi Deo, aut *columbæ gemitibus* attribui debet: atqui juxta Aug. non gemit cum columba, qui columbæ pietatem non habet; ergo juxta. Aug. bona effectio, seù productio gratiæ, malo Ministro tribui non debet, etsi valeat Sacramentum á malo Ministro collatum.

§. II. *An peccet malus Sacramenti Minister.*

Not. Duplicem esse Ministrum, alium ex officio, seú solemnitatis, qui & ordinarius dicitur; alium necessitatis, qui extraordinarius nuncupari potest. Prior Sacramenta conficit, quia ad

id ſpecialiter conſecratus eſt, aut ab Eccleſia deputatus; poſterior eadem Sacramenta nonniſi in alterius defectum conficit aut adminiſtrat, ut obſtetrix abſente Sacerdote baptiſat infantem. Sit

CONCLUSIO Peccat mortaliter, per ſe loquendo, ſaltèm qui ex officio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis conficit, vel adminiſtrat.

Prob. 1mo. ex Scriptura Levit. 22. *Omnis qui acceſſerit de ſtirpe veſtra, ad ea quæ conſecrata ſunt- - in quo eſt immunditia, peribit coram Domino:* atqui pœna tàm gravis grave peccatum ſupponit; *Quanto ergo deteriora meretur ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit; Heb.* 10. ut ii faciunt qui ſancta non tractant ſanctè. Hinc Apoſtolus, *Oportet Epiſcopum ſinè crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: Tit.* 1.

Prob. 2. ex Aug. Tract. 5. in Joan. *Ego dico, & omnes dicimus quia juſtos oportet eſſe, tanti judicis Miniſtros;* erat ergo hæc unanimis *omnium* ſententia. S. Gregorius L. 1. Epiſt. 24. *Neceſſe eſt ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat: ſcriptum nàmque eſt, Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Gregorius IX. c. 10. *De cohabit. Clericor.* &c. declarat, Clericum *quemlibet, pro mortali peccato, quo ad ſcipſum eſſe ſuſpenſum.* Hinc Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum: *Sacerdos, ſi fuerit ſibi mortalis conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere. Quia etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſint -- impurè tamen & indignè ea miniſtrantes, æternæ mortis reatum incurrunt.* Undè liquet: quám cautè vivere debeant Parochi, cæterique, qui omni ferè temporis momento, ad conferenda Sacramenta vocari poſſunt.

Prob. 3tiò. ratione. Qui Sacramentum conficit, aut adminiſtrat, gerit perſonam Chriſti, fit cum eo unum & totale agens; ac demum merita ejus & ſanguinem diſpenſat: atqui graviter peccat, qui reus & diaboli mancipium, hæc & tanta præſtare audet. An non enim gravis eſt indecentia, quòd infenſus Chiſti hoſtis, eundem in actione omnium digniſſima repræſentare auſit? an non violatur ſancta Dei majeſtas? cùm ei quaſi operationis ſocius conjungitur filius Belial.

Obj. Non peccat Canonicus, licèt mortalis culpæ conſcius, qui cum aliis divinas laudes, devotè perſolvit; ergo nec Miniſter, qui cum intimo religionis ſenſu, ad juſtificandum quidem impari, ſed tamen ulteriùs peccandi voluntatem excludente, Sacramenta conficit. R. neg. conſeq. Diſparitas duplex: I. quòd nec Scriptura, nec Patres ullibi exigant ut actu ſanctus ſit, qui officium ſeù privatim, ſeù publicè recitat; id verò exigant de eo, cui tra-

tractan

ctanda incumbunt mysteria salutis nostræ: II. quòd longè sublimior sit actio Ministri Sacramenta tractantis, quàm Canonici psallentis. An is enim dispensat sanguinem Christi? an personam ejus in actione omnium maxima repræsentat? &c. Interim docet Habertus, graviter peccare, qui graviter reus divinis officiis præest: unde qui *præsidentiam* hanc ex alterius absentia sibi imminere sentit, debet confestim ad Deum recurrere per actum doloris de peccato.

Dixi 1mò. *per se loquendo*: quia Minister ex officio Sacramenta conferens, à novo peccato excusari potest, 1mo. propter invincibilem sui statûs ignorantiam; 2do. propter repentinam administrandi necessitatem, quæ ità ingruit, ut desit spatium procurandæ contritionis. Tunc enim è duobus malis, eligendum est minus; minus autem malum est, ministrare Sacramentum in statu peccati, quàm illud non conferre infanti v. g. cujus æterna salus proximè periclitatur.

Circa hunc necessitatis casum duo notanda, 1mò. immunem non fore à peccato eum, qui necessitatem hanc prævidere potuisset; ut prævidere possunt & debent, qui in amplis nosocomiis, aut in exercitibus ministrant; 2dò. extra casus seù pueruli animam agentis, seù lapidarii decidentis è tecto, qui transeuntem Sacerdotem mirè perturbant, rarum esse, ut quis ad omnem cōtritionis actum impotens sit: cùm ad id brevissima temporis mora sufficiat.

Dixi 2dò. *saltèm ex officio*. An enim Presbyter, aut Laicus qui in casu necessitatis baptisat, sit novi peccati reus, res est inter Theologos controversa. Negare videtur S. Thomas q. 64.a. 6. Negant & Gonet, Juenin, Habert, &c.

Hæc tamen opinio pluribus displicet: 1mo. quia esto Laicus in casu necessitatis baptisans, non agat ut Ecclesiæ Minister, agit certè ut Minister Christi, ejusque personam sustinet, sicut Sacerdos solemniter baptisans: atqui id videtur graviter exigere statum gratiæ, ne Sacramenti & Christi dignitas & sanctitas graviter lædantur; 2do. quia sicut necessitas non efficit ut sancta, sancta non sint, sic nec efficit ut sanctè tractari non debeant; 3tio. quia si Sacerdos Missam ab altero inchoatam continuet, ne imperfectum remaneat Sacrificium, haud dubiè peccabit letaliter, nisi eliciat actum contritionis. cum proposito quàmprimū confitendi: atqui is Sacerdos esset tamen solùm Minister necessitatis; ergo, ait Gibert, obstetrix quæ centies baptisavit in necessitate, sinè ullo contritionis actu, centies peccavit; & ut mihi quidem videtur graviùs, quàm Sacerdos ad baptisandum, ex officio minimè obligatus; quia hæc, necessitatis casus prævidere debuit, non ille.

 Hinc

Hinc colliges 1mò. & Laicum qui in casu necessitatis baptisat, & Sacerdotem qui in eodem casu absolvit, aut Unctionem extremam confert, teneri, si licuerit per tempus, ut plerumquè licet, excitare se ad contritionem, priusquàm hæc Sacramenta conferant; aliàs multiplicant peccata, pro numero Sacramentorum; quia ut singuli Baptismi, sic & absolutiones singulæ, totidem sunt actiones integræ & completæ. Et verò, si is cui proximum imminet mortis periculum, teneatur sub pœna lethalis peccati, actum contritionis elicere, licèt brevissimum ad id habeat tempus: cur à gravi culpa immunis sit, qui ab eliciendo contritionis actu abstinet ob brevem quam ad id habet, temporis morulam? Cavendum tamen Ministro in hoc perplexitatis casu, nè dum contritionis spiritum in se accendere molitur, infanti vel moribundo desit.

Colliges 2dò. mortaliter etiam peccare Sacerdotem, qui reus excipit confessiones, etsi animum habeat vel excitandæ in se cōtritionis, vel etiam sua deponendi peccata, priusquam pœnitenti absolutionem impendat: quia confessionis auditio, licèt non sit confectio Sacramenti, est tamen actio Sacramentalis, utpotè ad conficiendum Sacramentum proximè ordinata.

Colliges 3tiò. eum qui mortalis noxæ sibi conscius Eucharistiam ab alio consecratam ministrat, novæ mortalis culpæ reum fieri. An autem tot admittat peccata, quot sinè morali interruptione distribuit hostias, parum utile est in praxi; quia qui id negant, fatentur indignam quamlibet distributionem ultra primam, esse circumstantiam notabiliter aggravantem; utpotè quæ solitariè sumpta ad grave peccatum sufficiat: undè cùm oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, necessum est etiam juxta ipsos, ut in confessione exprimatur, vel numerus eorum quibus facta est distributio, vel tempus circiter distributionis. Si tamen Sacerdos plures uni hostias simul daret, unius solùm peccati reus fieret, quia una tantùm esset distributio.

Colliges 4tò. graviter etiam reum videri, quî ex officio Eucharistiam extra administrationem tangit, seù immediatè, puta ut ab uno vase in aliud immittat; seù mediatè, ut si eam in processione circumgestet.

Colliges 5tò. & certiùs, graviter peccare qui in peccato mortali cum Hostia populum benedicit: 1mo. quia est hæc propria sacri officii functio, quæ Ministro graviter reo *sub interminatione divini judicii* prohibita est ab Ecclesia, ut patet ex dictis; 2do. quia is populum cum Hostia benedicendi actus, sinè gravi indecentia exerceri nequit ab eo, qui Christi oculis ipso dæmone pejor est. Quia tamen in eo casu non dispensat propriè Sacerdos

dos sanguinem Christi, minus peccat, quàm si Sacramentum conficeret, aut administraret.

Colliges 6to. Novi etiam gravisque peccati conscios esse Diaconos & Subdiaconos, qui Ordinum suorum functiones in eodem statu exercent: 1mo. quia hic, locum habent probationes initio adductæ, quarum nonnullæ Diaconos specialiter tangunt. 2do. quia ex S. Thoma: *Quicunque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat; undè patet, quòd mortaliter peccet: In 4. dist. 24.art. 3. q. 5.* atqui ipsi etiam Subdiaconi, de quibus magis ambigitur, sacrum officium pertractant. Etsi enim eorum actio non est sacramentalis, attamen Ecclesiæ nomine exercetur ut sacra; quidquid autem taliter exercetur & grave est, & plurimum exigit reverentiæ. Ità N. Alexander, Navarrus, Habert, &c.

Aliud est de Clericis minoribus, tùm quia eorum munia hodie à Laicis perinde ac Clericis exercentur; tùm quia functiones eorum nimis distant ab actione sacrificii.

Excipiendi viderentur Exorcistæ, nisi juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, munus eorum quadantenus foret Sacerdotale. Ratio est, quia graviter dedecet, ut qui sponte diaboli mancipium est, eidem in nomine Christi imperare præsumat: nec dubium est, quin excipi mereatur, sicut excepti sunt à dæmone pessimo Scevæ filii, de quibus Act. 19.

Quæres quid de eo statuendum, qui in peccato mortali sacram concionem habet. R. cum S. Thoma; vel hominis hujus *peccatum est publicum, vel occultum; & si occultum; vel ex contemptu & sinè pœnitentia, aut cum pœnitentia. Dicendum ergo, quòd si aliquis est in peccato publico, non debet publicè prædicare vel docere. -- Si verò est in peccato occulto, & sinè pœnitentia, tunc provocat Deum; quia simulat. Si verò peccatum est occultum & dolet non peccat prœdicando vel docendo, etiamsi publicè loquatur contra peccatum; quia sic detestando aliorum peccata, detestatur etiam suum.* Huic decisioni inhæret Pontas. v. *Precher*, cas. 3.

§. III. *An liceat Sacramenta recipere à malo Ministro.*

Not. 1mo. difficultatem de iis præsertim Ministris moveri, quos moraliter constet esse in malo statu, seù quia hæresi palàm addicti sunt; seù quia in consvetudine, vel proxima peccandi occasione versentur; ut si pastor ebrietati vel impudicitiæ ex habitu deserviat: alioqui enim debet quisque præsumi bonus, quia *charitas non cogitat malum.* 1. *Cor.* 13. Unde ut ab alicujus Sacerdotis ministerio abstineam, non sufficit communiter ut sciam ab eo recens & graviter peccatum esse: adhuc enim sapienter

præſumam, eum, ſi præſertim ad miniſtranda Sacramenta ſponte præſto ſit, id quod ſui erat feciſſe, ut Deo reconciliaretur. Certè, ait S. Thomas, *In inſtanti homo, à divina gratia emendatur.*

Not. 2do. Triplex eſſe genus eorum, qui peccant Sacramenta miniſtrando: alii ideo peccant, quia ſunt in ſtatu peccati; alii, quia per cenſuras arcentur à miniſterio; alii, quia carent juriſdictione neceſſaria ad validam Sacramenti confectionem.

Not. 3tio. Miniſtrorum alii tenentur ex officio ad conferenda Sacramenta ut Parochi; alii non tenentur, ut Sacerdotes ſimpliciter approbati. Rurſum utrique vel *expoſiti* ſunt, qui v. g. in tribunali ſedent ad audiendas confeſſiones, aut qui actu ſacram ſynaxim diſtribuunt; alii verò *parati* tantum, qui ſi rogentur, ſtatim Sacramenta conferrent.

Not. 4to. Qui ad Sacramenta accedunt, vel ſunt in extrema neceſſitate, ut ſi infans ſinè Baptiſmo moriturus ſit, vel in neceſſitate non extrema: hæc autem vel gravis eſt, ut cùm urget præceptum confeſſionis annuæ, vel levis, ut cùm vult quis Euchariſtiam percipere intuitu cujuſdam ſolemnitatis. Jam

Certum eſt 1mo. peccare graviter eum qui à Miniſtro legitimâ juriſdictione deſtituto, Sacramenta petit: quia ſinè causa id exigit, quod ſinè certa Sacramenti nullitate, ac proinde ſinè immani ſacrilegio fieri nequit. Idem eſt & pari jure de eo, quem conſtaret uſurum non eſſe poteſtate ſua.

Certum eſt 2do. nefas eſſe exquirere Sacramenta á malo Sacerdote, ſeù expoſito, ſeù Parocho, quoties ea à bono recipi poſſunt, cum eodem fructu. Quia exigit charitas ne cuipiam gratis præbeamus occaſionem ruinæ ſpiritualis: hinc é duobus Miniſtris quorum alterius ſanctitas legitimè dubia eſt, is præferri debet, de quo nihil eſt dubii, quia pars tutior tenanda eſt, cùm teneri poteſt ſinè incommodo. Quòd ſi vir ſanctus ſcrupuloſior ipſe, ſcrupuloſum pœnitentem angit; aut nolens pravos in eo affectus excitat, pro abſente haberi debet.

Certum eſt 3tio. licitum eſſe in caſu extremæ neceſſitatis, recipere Baptiſmum à malo Miniſtro, etiamſi is excommunicatus denuntiatus ſit. Et verò cur ſanxit Chriſtus ut tantæ neceſſitatis Sacramentum á Paganis etiam collatum valeret, niſi ut ab iis, urgente Miniſtrorum penuria, recipi poſſet? Neque etiam dubium nobis eſt, quin à Miniſtro etiam propter hæreſim præciſo, recipi poſſit pœnitentia & Euchariſtia in periculo mortis. Si enim licitum eſt ab hæretico præciſo, non in extrema ſolùm neceſſitate, ſed & in gravi, cibum corporalem recipere; à fortiori licet ab eodem recipere ſpiritualem cibum, in ejuſdem neceſſitatis caſu: porrò

Viaticum

Viaticum salutis, si non absolutè, graviter saltèm necessarium est iis, qui hinc transituri sunt. Quin & extat divina lex ejus recipiendi, cùm ex parte subjecti inculpatè recipi potest, ut potest in præsenti.

Nec nocet factum S. Hermenegildi, qui mori maluit, quàm Synaxim recipere ab Ariano; 1mo. quia ad eam communionem, à parte adigebatur in signum professionis fidei Arianæ: indubiè porrò præferenda est mors Sacramentis destituta, hæreseos professioni etiam tacitæ; 2do. quia non erat sanctus ille Princeps in extrema necessitate positus; neque enim de communione in articulo mortis percipienda agebatur, sed de Paschali communione; quæ cùm qua talis, sit solùm juris Ecclesiastici, potest gravibus de causis differri, vel omitti.

Quæres an non solùm ab hujusmodi viris recipi possint Sacramenta, sed & peti debeant. R. *Probabile est quod sic, si fieri potest absque scandalo & periculo*: si verò immineat scandalum aut periculū, *sincera contritio sufficiet adultis*. Quòd si baptisandus sit infans, & præter hæreticum adsit nemo, qui formam noverit; *tunc non est curandum scandalum, quod si oriatur, magis acceptum erit, quàm datum. Syl. q.64. Art. 6.* Sit jam

CONCLUSIO. Licet à malo Ministro petere & recipere Sacramenta, si sufficiens adsit necessitas: hæc autem pro conditione Ministrorum aliquando gravior, aliquando minùs gravis esse debet.

Prob. 1. pars. Tam licet in sufficienti necessitatis casu Sacramenta à malo Ministro expetere, quàm liceat in simili casu mutuum petere ab usurario, aut juramentum ab eo, qui per Idola juraturus sit: atqui ex alibi dictis, licet mutuum petere ab usurario, &c. Ratio est, quia tunc non peto nisi id, quod alter licitè facere potest, & cujus petendi legitimam habeo causam ex hypothesi.

Confirm. ex hoc Nicolai I. Responso 71. ad Bulgaros: *Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui sivè comprehensus est in adulterio, sivè de hoc famâ solâ respersus est, debeatis communionem recipere. Respondemus -- ab eo, usquequò Episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est, &c.*

Prob. 2. pars. quia cæteris paribus minor requiritur causa ut à Parocho, quàm ut ab extraneo Sacerdote; minor ut ab extraneo exposito, quàm ut à parato tantùm postulentur Sacramenta. In hac enim & aliis id genus materiis, eo quisque securiùs declinat à peccato, quò plùs juris habet ad petendum id, quod petit, & minùs alium exponit: atqui multò plus quisque juris habet ut sibi ministrentur Sacramenta à proprio, quàm ab alie-

no Sacerdote. Minori quoque objicitur periculo, qui expositus est, quàm qui tantùm paratus sit. Prior enim ei similis est, qui in angulo latet, ut contra prætereuntes grassetur: posterior verò ei similis est, quem de furto nihil cogitantem, ad prædandum induxisti.

Dixi, *cæteris paribus:* Minus enim peccare videtur qui ab extraneo Sacerdote exposito, tantùmque ebrioso Eucharistiam petit, quàm qui ab incestuoso Parocho. Imò gravior requiritur causa ut adhibeatur ministerium hæretici, quàm alterius. Sic enim & datur scandalum pluribus, & in rebellione foventur Novatores: nempe, inquiunt, an ope nostra uteretur acer ille & vivax catholicus, si nos reipsa haberet pro hæreticis.

Ceterùm etsi necessitas quæ hic à peccato excusare potest, non consistit in indivisibili, haud tamen sufficit levis & modica: sed ea requiri videtur quæ injuriam Deo illatam utcumque compenset. Quapropter sicut ob leve lucrum nefas fuerit exigere juramentum ab infideli, sic nec ob spiritualem fructum qui differri facilè possit, crediderim fas esse etiam à Parocho qui improbus sit, recipere Sacramenta. Aliud est, si ex eorum dilatione immineat periculum lapsûs; si Jubilæum, magni momenti gratiam, & quæ difficile redit, lucrari nequeas; si diu versari debeas in peccato mortali; si perito indigeas Directore, & is vel nullus sit, vel malus; si alioqui diu orbandus sis, escâ fortium, &c.

Obj. Non minus inducitur Minister ad peccandum in casu necessitatis, quàm extra; eadem enim in utroque casu actio ab eo exigitur; ergo nequidem in casu necessitatis ad malum Ministrum recurrere licet. R. neg. ant. Nullibi enim censetur culpabiliter ad malum inducere, qui rationabili de causâ id exigit, vel omittit, unde alter ex pravo suo affectu ansam peccandi arrepturus sit. Patet id exemplo. Reperit à me vir ad blasphemiam celer ensem suum, nunc ut tueatur se contra furibundum animal, nunc ut confodiat innocentem. Recuso in utroque casu; & ille in utroque casu blasphemat. Quid tùm? reus ero in priori casu, insons in posteriori: quia in hoc gravem habui repulsæ causam; in illo nullam; ergo à pari.

Saltèm, inquies, adultus gravem hanc causam nunquam habet: cùm ipsius etiam pœnitentiæ effectum per contritionem obtinere possit; Eucharistiæ verò per intensum animi fervorem. R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Pœnitentiæ effectus haberi potest per contritionem, sed multò incertiùs, C. eâdem certitudine, N. Porrò major hæc certitudo, sufficiens est, omnium timoratorum judicio, causa, justificationis per Sacramenta potiùs, quàm

per

per contritionem inquirendæ. Hinc tanta piorum anxietas, cùm uni è suis, potissimùm peccatori, Confessarium in extremis defuisse conspiciunt. Et verò si in hac Sacramentorum materia requireretur extrema peccatoris necessitas, ea quoque & à fortiori requireretur in humanis. Adeòque etiam in gravi necessitate positus non posses, mutuum repetere ab eo, quem prævides ex hac tua petitione ad iram commotum iri; quod tamen nemo dixerit.

SECTIO SECUNDA
De fide Ministri.

AN ut valent Sacramenta à peccatore collata, sic & valeant collata ab hæreticis aut schismaticis, magno animorum æstu disputatum est tertio Ecclesiæ seculo. Valere negabat, post Agrippinum, è prædecessoribus suis unum, S. Cyprianus Cartag. Præsul. Affirmabat contra, Stephanus Rom. Pontifex, qui ut Africanos Præsules in alium sensum induceret, non modò præcepit, *ut nihil* innovaretur, *nisi quod traditum* esset, sed & adjiecit excommunicationis minas, imò nec intra minas stetit, si Baronio fides. Verùm suborta an. 257. Valeriani persecutione, parem martyrii palmam reportarunt, Stephanus & Cyprianus: An is sententiam ante obitum mutaverit, incertum hactenus; id certum profectò, Cyprianum, ejusque asseclas plures, etsi alium ab Ecclesiæ Romanæ ritu, ritum sequerentur, Sanctorum fastis adscriptos fuisse: quia, (ut pluries observat Aug. contra Donatistas, *L.* 2. *c.* 3. *Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium* obtrudere solitos) *neque se ipsi* ab unitate *præciderunt, neque diversa sentientes præcidi passi sunt*: *L.* 3. *c.* 22. sicque erant affecti, ut *si quod de hac re transmarinum vel universale Concilium factum esset*, illicò fuissent assensuri. *Accessit huc etiam, quòd tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater, falce passionis. Idem Ep.* 48.

Fuisse autem aliquid quod in Cypriano purgari mereretur, præterquàm satis indicant ejus ad Pompeium Epistolæ verba, in qua Vicarius Christi eo excipitur modô, quô rurestrem Vicarium excipi dedeceat; agnovit vel ipse præcipuus Cypriani vindex Augustinus. *Jam*, inquit, *illa quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo -- & ea præterire meliùs est, quæ perniciosæ dissensionis periculum habuerunt.* Hîs ergo *quæ præterire meliùs est* omissîs, videndum hîc 1mo. an valeat Baptisma, * à Ministro

* Baptisma dico, tùm quia de eo solo actum sit seculo III. tùm quia supersit specialis de Confirmatione & Ordine difficultas. Passim tamen generaliter loquar, quia & commodiùs, & veriùs.

nistro fidem, vel unitatem non tenente collatū; 2do. an Stephanus id etiam valere crediderit, quod ritè collatū non esset; 3tio. an Pontificio fulmine percusserit Cyprianū; 4tò. an quæstionem rebaptisationis habuerit Cyprianus ut articulum fidei; an ut punctum disciplinæ; 5tò. quæ plenaria sit illa Synodus, ubi rem definitam esse tradit S. Augustinus; 6tò. an errorem suum aliquando abjecerit Cyprianus. Sit

Conclusio I. Fides Ministri non est absolutè necessaria, ut verè & validè conferatur Baptismus. Ita definitum à Trid. Sess. 7. Can. 4 *Si quis dixerit Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.*

Prob. 1mò. Illud validum censeri debet, quod tota Christi Ecclesia, præsertim autem Romana, omnium mundi Ecclesiarum mater & magistra, antè Agrippinum valere judicabat: atqui tota Christi Ecclesia Baptismum ab ipsis etiam hæreticis, modò ritè collatum, pro valido habebat ante tempora Agrippini. Is enim, ait Vincentius Lirinensis, *Lib. 4. de Bap. c. 9. Primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem ac institutum Majorum, rebaptisandum esse* censuit. Hinc Cyprianus, etsi omni telorum genere utebatur, ut opinionem suam defenderet, nullam quæ Agrippino vetustior foret, consuetudinem allegare potuit; eaque *longa ætas* quâ se tuebatur, re ipsa, ut agnovit Aug. paucorum annorum erat, id est, annorum 29.

Et verò eò usque certa erat hæc non rebaptisandi consuetudo, ut nè ipsi quidem hæretici eos, qui è Catholicis ad se transmigrabant, rebaptisare auderent. Imò quo tempore Orientem & Africam magis invaserat Agrippini opinio, erant Episcopi plures, qui hæreticos ad Ecclesiæ gremium redeuntes, non iteratione Baptismi, sed sola manuum impositione reciperent, prout fatetur Firmilianus ipse in Epist. ad Cyprian. & Cyprianus Epist. 71. & 72.

Prob. 2dò. ex Conciliis. Arelatense I. an. 314. sic habet Can. 8. *Placuit ut si aliquis de hæresi venerit, interrogent eum [nostræ fidei Sacerdotes] Symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptisatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Nicænum I. Can. 8. vetat nè Cathari ad Ecclesiam redeuntes baptisentur; contra verò præcipit ut Paulianistæ *baptisentur omnimodis.* Unde verò tantum illud inter utrosque discrimen? nisi quòd Paulianistæ formulam Baptismi corruperant; Novatiani non item.

Prob.

Prob. 3tiò. Si non valeant Sacramenta ab hæreticis collata, vel quia hæretici mali sunt, vel quia in tali genere, infidelitatis scilicet mali sunt: atqui neutrum dici potest. Non 1. ut patet ex iis quæ supra diximus. Non 2. 1mò. quia nihil est in Scripturis unde erui possit fidei magis, quàm morum integritatem requiri ad valorem Sacramentorum. Imò est unde eruatur neutram requiri: valebat enim circumcisio, & alia Mosaïcæ Legis Sacramenta, à Samaritanis aut Sadducæis collata, qui certè hæretici erant; nec tamen ea usquam repeti jussit Christus, vel Apostoli; 2dò. quia cùm oporteat hæreses esse, nec cuiquam de interna alterius fide cònstare possit, nemini quoque de Baptismi sui veritate constare poterit; quod in svavi Christi Religione locum habere non potest.

Obj. 1mò. In materia quæ præsertim ex consuetudine definitur, ei indubiè adhærendum est consuetudini, quæ antiquior est, & universalior: atqui consuetudo cui innitebatur S. Cyprianus, 1mo. erat antiquior, cùm ab ipsis descenderet Apostolis, ut patet ex Can. 45. & 46. Apostolorum, ubi *Episcopus vel Presbyter, qui hæreticorum Baptismum admiserit deponi* jubetur; 2dò, erat & universalior; cùm vigeret in Numidia, Mauritania, vel potiùs Africa tota, toto Oriente, imò & Occidente, ubi si à Stephano impugnata est, ab aliis plerisque Pontificibus appprobata fuit, ut ab Innocentio I. Ep. 18. Leone I. Ep. 79. &c.

R. ad 1. neg. min. & dico, 1mò. Novellam fuisse Cypriani consuetudinem, quam ipse ultra Agrippini ætatem protendere non potuit. Nec nocent objecti Canones, quos non ab Apostolis ipsis dimanâsse fatentur eruditi, sed è diversis indistinctè particularibus Conciliis, quæ vel errorem loco veritatis tradidêre; vel iis in locis habita sunt, ubi hæretici omnes, inverterant formam Sacramentorum.

Dico 2dò. Praxim Cypriani longè minùs universalem fuisse, quàm Stephani, cùm hæc ne in Africa quidem tota, & multò minùs toto in Oriente obtineret, ut ipse agnovit Cyprianus; illa verò tàm universaliter vigeret in Occidente, ut Cypriani opinio pro scandalosa novitate habita fuerit, statim ut innotuit Romanis.

Nec nocent objecti Pontifices, quos certè mirum fuisset à victoria contra Donatistas tot decessorum suorum sudoribus parta defecisse. Unde in forma dist. min. Prædicti Pontifices Sacramenta ab hæreticis collata habuêre pro irritis, quò ad effectum, idque non semper; C. quò ad substantiam, subd. quoties contra legitimam formam conferebatur, C. secùs. N. Itaque vel Sacramenta ab hæreticis ritè non conferuntur, & tunc nequidem

quoad

quò ad ſubſtantiam valida ſunt: vel etſi ritè collata, iis conferuntur qui hæreſi conſentiunt, quive ſinè cauſa recurrunt ad hæreticos; & tunc licèt valeant quò ad ſubſtantiam, nihil quò ad effectum valent, ob malam ſubjecti diſpoſitionem: vel demum infantibus aut bonæ fidei catholicis conferuntur; tuncque ea, & quò ad ſubſtantiam, & quò ad effectum valere contendimus. Nec diverſum quid ſentiunt allegati Pontifices. Non Innocentius, qui etſi Clericos ab hæreſi redeuntes ad laicam communionem adigeret, nullibi tamen Sacramenta eorum pro invalidis habuit. Non Leo I. quia hanc in citato loco regulam ſervari vult, *ut lavacrum ſemel initum nulla iteratione violetur*? & ſic de aliis.

Obj. 2dò. Plurimi, iique Patrum eruditiſſimi, nullitatem Baptiſmatis ab hæretico Miniſtro collati agnovère: 1mò. Tertullianus L. de Baptiſmo c. 15. 2dò. Dionyſius Alexandrinus, apud Hieronymum; *L. de Script. Eccleſ.* 3tiò. Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos, ubi comparat Baptiſma collatum ab Arianis, qui ritè & *ut præcipit Scrptura* baptiſabant, cum Baptiſmate à Paulianiſtis dato; quod quidem ex Nicæno ſuprà irritum erat. Unde ſic: Ea opinio rejici non poteſt, quam tenuêre patrum doctiſſimi: atqui opinionem de nullitate Baptiſmatis ab hæreticis collati, &c.

R. 1mò. neg; maj. Ut enim appoſitè notat Vincentius Lirin. Commonit. 1. c. 39. Patribus *hac lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes, vel plures, uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint, id, pro indubitato, certo, ratoque habeatur*: atqui opinio quam tenuêre objecti patres, nec erat *omnium*, nec *plurium*; cùm ei obſiſteret & Eccleſia Occidentalis tota, & in ipſo Oriente Præſules non pauci; nec *uno eodemque ſenſu* admittebatur ab omnibus, cum alii ſchiſmaticorum Baptiſma approbarent, ut S. Optatus, alii eodem haberent loco ac Baptiſma hæreticorum, ut Cyprianus; nec demum *perſeveranter & manifeſtè* tradita fuit, cum ex ejus Doctoribus alii ad Eccleſiæ Romanæ fidem rediêrint, ut probabile eſt de Cypriano, &c. Neque tamen quia Tertullianum & Baſilium, ideo cæteros omnes deſerimus.

1mò. Enim Dionyſium Alexand. idem demum cum Stephano ſenſiſſe ſvadent non pauca: ſiquidem 1mo. teſtatur Epiſt. 5. Philimonem, ſe ab Heraclá prædeceſſore ſuo didiciſſe, *Apud Euſeb.* l. 7. c. 7. *nequaquam iterato Baptiſmate opus eſſe eis, qui ab hæreticis veniebant*; quod ſubindicat eum tunc temporis ad opinionem Heraclæ rediiſſe. 2dò. nullibi legitur Epiſcopos Ægypti, Lybiæ & Pentapolèós, hæreticos cùm redirent

iterùm

iterùm tinxisse. An non verò eorum plerique secuti essent praxim Metropolitani sui; cujus eruditio profunda vel ipsi Basilio admirationi erat; 3tiò. egit S. Doctor apud Stephanum; nè quàm comminatus erat censûram decerneret adversùs Rebaptisantes. An verò gravis & ponderosa fuisset Episcopi malè sentientis, & ejusdem cum aliis culpæ conscii sollicitatio? Unde Hieronymus vel non omnes legerat Dionysii litteras, vel ea nescivit ex quibus conjicimus S. Præsulem à prîori sententia recessisse.

Ad S. Athanasium, dist. Comparat Baptismum Arianorum, cum Paulianistarum Baptismate, quantùm ad effectum primarium, gratiam scilicet, C. quantùm ad effectum secundarium, nempe caracterem, N. Itaque præterquam satis innuit S. Doctor, se solum loqui de effectibus Baptismi, cùm ait illum apud Arianos *inutilem esse & vacuum*, multa sunt quæ probent intactam ei fuisse ejusdem Sacramenti substantiam: 1mò. enim non ait Arianos amisisse *mysterii integritatem*, sed *periculum* esse ne eandem amittant, depravatâ nimirum formâ, ut temporibus S. Leandri contigit in Hispania, & fortè in Ægypto ante Athanasii mortem; 2dò. difficile est ut Athanasius aliud in re tam gravi senserit, à S. Dionysio, qui paucis ante eum annis Alexandrinam Sedem tenuerat, & à Rebaptisantium errore rceesserat; 3tiò. & multò difficiliùs est ut vel Nicænam ea de re, definitionem ignoraverit, vel non intellexerit; hæc porrò solum Paulianæ factionis Baptisma rejecerat.

Obj. 3tiò. Ille solùm Sacramenta conferre potest, qui Ecclesiæ munia exercere potest, atqui hæreticus non potest. -- Qui enim extra Ecclesiam est, ejusdem munia exercere nequit: atqui, &c. R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. maj. Qui extra Ecclesiam est, ejusdem munia exercere nequit, si ab eo ablata fuerit potestas ea exercendi, prout aufertur validè absolvendi potestas ab eo, qui propter hæresim præcisus est, C. si potestas illa eidem sublata non fuerit, N. Porrò non magis probari potest ereptam fuisse hæreticis validè baptisandi potestatem, quàm probari possit eam, iniquis & impiis ablatam fuisse.

Ut reliquas, quæ ad hanc materiam attinent quæstiones, breviter perlustremus, sit

CONCLUSIO II. Stephanus in errorem, errori Cyprianico contrarium, lapsus non est; nec proin ratum habuit Baptisma contra Ecclesiæ formam collatum. Ita vulgò Theologi contra Launoïum.

Prob. 1mò: ex Epistola Firmiliani ac Cyprian. ubi sic describitur Stephani opinio: *Illud quoque absurdum, quód non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptisaverit, eò quòd qui baptisatus*

ſatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocatâ Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti; ergo juxta Stephanum; cujus Epiſtolam legerat Firmilianus, ideo poterat quis ab hæretico baptiſatus gratiam conſequi, quia hæreticus baptiſabat invocatâ Trinitate; ac proinde in forma Eccleſiæ conſveta.

Prob. 2dò. Ita de ſententia Stephani judicandum eſt; prout de ea judicârunt, qui ejus tempora propiùs attigêre: atqui ii non alterius quàm ritè collati Baptiſmatis validitatem a Stephano aſſertam crediderunt. Scilicet enim credidêre veteres antiquam Eccleſiæ conſuetudinem à Stephano vindîcatam fuiſſe; atqui ſi averſis veſtigiis erráſſet Stephanus, non vindicâſſet, ſed corrupiſſet antiquam Eccleſiæ conſvetudinem. Minor patet: Prob. maj. 1mò. Ex S. Hieronymo, qui in Dialogo adv. Lucifer. Stephanum vocat *inveteratæ conſuetudinis* defenſorem; 2dò. ex Aug. lib. 5. contra Donatiſtas, ubi: *Conſuetudo illa quæ* à Stephano *opponebatur Cypriano, ab eorum* Apoſtolorum *traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt*; 3tiò. ex Vincentio Lirin. Commoн. 1. c. 9. ubi ſic; *Stephanus, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit -- ut omnia quâ fide à patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur -- quis ergo tunc univerſi negotii exitus? retenta eſt antiquitas, & exploſa novitas.*

Prob. 3tiò. Fieri nequit ut tota ſimul erret Eccleſia: atqui ſtante Launoii figmento, tota ſimul erravit. Diviſi enim erant tunctemporis Epiſcopi, Cyprianum inter & Stephanum; ita ut quiſque alterutri adhæreret; ergo ut hi, ſic & illi, tenebant errorem. Ubi ergo tunc vera fides? ubi traditio cujus ope mediam & rectam iniît viam Eccleſia? ubi conſuetudo hæc, quàm ab Apoſtolorum ætate ad ſuam uſque deducebat Auguſtinus? *Tillem. T. 4. p. 629.*

Obj. 1mò. Ipſum S. Stephani Decretum, quod ſic refert Cyprianus Epiſt. 74. *Si quis à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam*: atqui verba hæc clarè indicant nullius prorſus hæretici Baptiſma rejectum fuiſſe à Stephano. Id enim, *Si quis à quacumque hæreſi*, univerſale eſt. R. diſt. min. Verba Stephani indicant nullius prorſus hæretici Baptiſma eb eo rejectum fuiſſe, præcisè propter defectum fidei in Miniſtro, C. propter alios, qui eidem ineſſe poſſent defectus, N. Itaque cùm Cyprianum inter & Stephanum nihil eſſet controverſiæ de formæ defectu, ſed ſolùm de defectu fidei, ſtatuere debuit Stephanus, ut nullius hæretici Baptiſma rejiceretur, nempè propter hunc fidei defectum: at non ideo cenſeri poteſt Baptiſmum quemcumque

etiam

etiam vitiatâ formâ traditum approbasse: 1mò. quia alioquî approbâsset etiam Baptismum in aliena materia confectum, quod nemo dixerit; 2dò. quia eum duntaxàt Baptismum pro rato habuit cujus tota traditio validitatem agnoverat; ut ex iis patet ejus verbis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*: atqui traditio non alterius Baptismi; quàm qui ritè collatus esset, validitatem agnoverat. 3tiò. quia non magis suspecta esse debent verba Stephani, quàm ista Augustini, quæ non minùs generalia sunt: Detestantur *homines, si quis iterum accipiat Baptismum, quem UBICUNQUE jam acceperat.*

Inst. 1mò. Qui Baptismum ubicumquè & quomodocumquè datum approbavit, ille non eum magis ex defectu formæ, quàm ex fidei defectu, invalidum esse existimavit: atqui Stephanus -- Prob. min. ex Cypriano ibid. *Si* Stephanus *effectum Baptismi, majestatis nomini tribuit, ut qui in nomine Christi, ubicumquè & quomodocumquè baptisantur, innovati & sanctificati judicentur*, &c. ergo. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Neque enim refert hic Cyprianus sententiam Stephani, sed eam confutare vult ex absurdis, quæ ab ea sequi perperàm imaginatur. Et verò quis credat adeò desipuisse Stephanum, ut crederet adultos, quales tunc plerique baptisabantur, etsi aut ab hæreticis scienter, aut hæretici ipsi tingerentur, verè *innovatos* ac *sanctificatos* fuisse?

Inst. 2dò. Indubiè approbavit Stephanus Baptisma hæreticorum sui temporis: atqui constat æquales Stephano hæreticos formam Baptismi violâsse. Ecquî pepercissent formæ Baptismatis, qui ne divinitati quidem parcebant; ut Basilidiani, Simoniani, Marcitæ, qui postremi, teste. S. Irenæo L. 1. c. 21. baptisabant *in nomen incogniti patris omnium, & veritatem matrem omnium*, &c. ergo. R. neg. min. Certè enim Novatiani in nomine Trinitatis baptisabant. Imò observat Augustinus Lib. 6. de Bapt. c. 25. *faciliùs inveniri hæreticos qui omninò non baptisent, quàm qui verbis Evangelicis non baptisent*; ergo reale habuit objectum Stephani decisio, nec tamen pro quibuscumque omnino hæreticis constituta est.

Obj. 2dò. Benedictus XII. in sua ad Fratricellorum objectiones responsione, fatetur Stephanum errâsse; ergo. R. Benedictum XII. hæc scripsisse adhuc Cardinalem, nec tantum mereri fidei, quàm Veteres à nobis citatos, quibus sub ipsum controversiæ tempus, notior esse debuit Stephani sensus, quàm homini mille postea annis scribenti.

CONCLUSIO III. Stephanus censuram comminatus est Cypriano, sed hæsit intra minas.

Prob. 1mò. Ex eadem Epistola, ubi sic loquitur Cyprianus: *Sacer-*

Sacerdotes Dei veritatem, Christi & Ecclesiæ unitatem tenentes abstinendos putat Stephanus. Non ait, abstinet, vel abstinuit, sed *abstinendos putat*: atqui ea vox quæ futurum respicit, comminatam, non autem de facto latam excommunicationem significat. Certè cùm loquitur S. Doctor de Marciano, pluries ait eum *abstentum* fuisse, id est, jam ab Ecclesiæ communione præcisum. *Ep.* 68.

Prob. 2dò. ex Dionysio Alex. qui utpote in eadem lite involutus, mentem Stephani ignorare non potuit. Is porrò sic ad Sixtum Stephani successorem scribit; *Euseb. L.* 7. *c.* 5. *Antea quidem scripserat* Stephanus *de Heleno & de Firmiliano -- sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptisarent -- De his omnibus ego ad illum Epistolam misi rogans atque obtestans.* Unde sic: Si Stephanus Afros præciderit, vel eâ quam ad Cyprianum scripsit Epistolâ, vel deinceps. Non 1. qui enim minatur se ab alicujus *communione discessurum*, haud utique jam ab ea discedit. Non 2. tùm quia nulla extant censuræ postea secutæ monumenta; tùm quia veri admodum simile est Stephanum Dionysii obtestationibus cessisse; cùm extunc altum sileant Veteres de infelici hoc dissidio.

Prob. 3tiò. ex Aug. L. 5. contra Donat. c. 25. ubi sic: *Vicit pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur*; atqui si Stephanus Cyprianum à communione Ecclesiæ præcidisset, jam fuisset inter eos malum schismatis, nec vicisset pax in cordibus eorum.

Prob. 4tò. Saltèm contra aliquos, qui Cyprianum in errore simul & anathemate mortuum, nec inde pejus habere, exultantes contendunt. Certum est Cypriani nomen magno semper in pretio fuisse apud Romanos; qui eum non secus ac Ecclesia universa *inter raros & paucos excellentissimæ gratiæ viros* numerârunt; *Aug. L.* 6. *de Bapt. c.* 2. atqui si Cyprianus Pontificiâ ligatus censurâ diem clausisset, nec fuisset, nec esse potuisset tanti in Ecclesia Romana pretii. Qui enim decessisset irrisor censuræ, cujus æquitas certa magis erat quam dubia, ille profectò haud magni, nè dicam nullius pretii fuisset in Ecclesia, quæ cauta est obedientiæ & contumaciæ ponderatrix: atqui in hypothesi præsenti decessisset Cyprianus irrisor censuræ, cujus æquitas certa erat magis quã dubia. *Quis enim*, ait N. Alexander dissert: 12. p. 686. justè excommunicari neget *eos, qui errorem tuentur ab Apostolica Sede & aliis Ecclesiis damnatum, nec ab eo vel adhortationibûs, vel minîs revocari possunt? cùm itaque hîc fuisset Cypriani, Firmilianiquè status, non fuisset in justè in eos lata excommunicatio à Stephano. Unde tàm justo anathemate percussos,*

in

in eoquè defunctos, Ecclesia sacris honoribûs ut Sanctos prosecuta non fuisset.

Obj. Nemini notior esse potuit agendi ratio Stephani, quàm Firmiliano & Cypriano: atqui fatentur ambo, fuisse se à Stephano præcisos. Firmilianus quidem Ep. ad Cyprian. ubi sic Stephanum compellat: *Excidisti te ipsum -- siquidem ille verè est schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit*, & paulò post: *Legatos* nostros sic *suscepit, ut eos nec ad sermonem saltèm colloquii communis, admitteret; adhuc & præciperet fraternitati universæ, nè quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Cyprianus verò Ep. ad Pompeium: *Unitatis oblitus* Stephanus, *mendacia & contagia, profanæ tinctionis usurpat.*

R. Id quod ait Cyprianus, Stephanum unitatis oblitum fuisse, non cadit in unitatem communionis Ecclesiasticæ, quam à Stephano actu ruptam fuisse velit; sed in unitatem Baptismatis, quam ab eo violatam esse malè existimabat. Cùm enim crederet Cyprianus, ità unicum esse Baptisma, ut apud solos Catholicos valeret, inferebat Stephanum, unitatis illius oblitum esse, quia ratum habebat Baptisma apud hæreticos collatum. Undè pluries conqueritur, non unicum jam, sed tot fore Baptismata, quot hæreticorum sectæ.

Ad Firmilianum quòd attinet, nego ei hoc in negotio habendam esse fidem. Quemadmodùm enim iis, qui icterico morbo laborant, vel ipsæ nives flavæ videntur, sic & viro ferventioris ingenii; ut esse solent Orientales, Stephani minæ, ultra minas ire visæ sunt. Firmiliano igitur neque in hoc, neque in aliis, quæ tota in Epistola adversùs Stephanum temerè effudit, credendum est. *Alexan. pag.* 687. Quis enim cum ipso Stephanum, Judæ proditori comparare ausit? Quis audaciæ, insolentiæ, stultitiæ, improbitatis, violatæ fidei ac traditionis Pontificem verè sanctum, & cujus integri mores, vel ipsis Donatistis probabantur, cum Firmiliano insimulet?

Nec dicas, Firmilianum à Patribus utriusque Antiochenæ Synodi contra Paulum Samosat. nobiliter exceptum fuisse. Nequè enim id promeruit, quia verè semper & moderatè locutus sit, sed quia priores illos ebullientis animi impetus pœnitentia sincera expunxerit, ut nævos suos Cyprianus martyrio.

Inst. Saltèm denegari nequit Firmiliano fides in iis, quæ spectant Stephani agendi rationem erga legatos Romam missos ab Oriente: atqui hæc agendi ratio, excommunicationem actu latam redolet.

 R. neg.

R. neg. min. Suppositâ e..'m veritate narrationis hujus, de qua silent Cyprian. Aug. cæterique coævi Scriptores; dicendum est Stephanum, hâc severitate usum esse, non ut Orientales legatos, à communione sua extorres declararet, sed ne eos benigniùs excipiens, errori favere videretur, nevè iis, quos quoquoversùm, vagari sineret, occasionem daret, disseminandi erroris.

Hîc duo notanda, 1mò. Excommunicari potuisse Firmilianum, intactô Cyprianô. Primum admittunt plures, qui secundum negant. 2dò. Non eandem semper fuisse apud antiquos excommunicationis vim, & extensionem, quæ nunc est. Hodie enim qui præcisus est, ab omnium, & à suæ etiam Ecclesiæ consortio, præcisus est: aliter porrò identidèm se res habebant, apud antiquos. Sic in Concilio Carthaginensi V. Can. 10. Dist. 18. præcipitur, ut Episcopi, qui sinè legitima causa, ad Synodum accedere neglexerint, *communione suæ* tantùm *Ecclesiæ, debeant esse contenti.* Sic & aliquando Ecclesia etiam inferior, ab alterius se commercio segregabat, secundùm id Apostoli: *Denuntiamus, ut subtrahatis vos, ab omni fratre, ambulante inordinatè.* II. Thesal. 3. Isthæc excommunicatio, vel potiùs, communionis subtractio, non fiebat virtute clavium; tantùmquè in eo sita erat, quòd utriusque Ecclesiæ Episcopi *formatas litteras*, ad se non mitterent, aut inutiliter mitterent, quia rejiciebantur. Ex quibus colliges, Ecclesiæ censuras olim, multominùs aliquando graves fuisse, quàm nunc sint.

Conclusio IV. Cyprianus, ejusquè sequaces Episcopi, controversiam de hæreticorum Baptismate, non ad fidem, sed ad disciplinam, revocasse videntur. Ità Thomassin. Nat. Alexander, &c.

Prob. Illud ad disciplinam revocatum est, circa quod unicuique permissum est id, quod vellet facere: atqui Cyprianus & qui cum eo sentiebant, circa rebaptisationem permisêre.... *Nos*, inquit, Epist. 72. ad Stephanum, *vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cùm habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ, arbitrium liberum, unusquisque Præpositus.* Quæro autem, an Cyprianus libero uniuscujusque Præpositi arbitrio permitteret rem, quam crederet ad fidem pertinere.

Prob. 2dò Quia Firmilianus rebaptisationis quæstionem, meris disciplinæ punctis comparat. Sic ille, in Epist. ad Cyprianum: *Scire quis potest, circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia, divinæ fidei Sacramenta, esse apud* Romanos *aliquas diversitates, nec observari illic æqualiter omnia, quæ Hierosolymis observantur;* ergo idem sentiebat Firmilianus de rebapti-

baptisationis usu, quod de praxi Quartodecimanorum; ac proinde, utrumque ad disciplinam revocabat.

Prob. 3tiò. Semper credidit Ecclesia, nequè aliud credere potuit Cyprianus, Episcopum à fide deficientem, posse ab aliis Episcopis judicari, imò & deponi: atqui non credebat Cyprianus, se vel sequaces suos, ob negotium rebaptisationis *judicari ab alio posse*, sed solùm à Christo, prout præfatur ipse, in Concilio III. Carthag.

Obj. 1mò. Non ad disciplinam, sed ad fidem spectat hæc quæstio, an in Ministro requiratur fides, ut validè Sacramentum conficiat: atqui quæstionem hanc, an in Ministro requiratur fides, evidentèr involvit Cyprianica de Baptismate controversia; ergo non potuit Cyprianus id, non videre. R. dist. min. Involvit evidentèr, si quæstio sub hoc respectu consideretur, C. Si quæstio sub eo penè solùm respectu attingatur, sub quo pertineat ad consuetudinem, N. Itaquè, vidit Cyprianus diversos esse, diversìs in Ecclesiìs, circa rebaptisationem usus; vidit & Stephanum antiquam sibi obtrudere consuetudinem, eique, quasi peremptoriô argumentô inniti: quid mirum si eò totam animi aciem direxerit? Hoc qui capere non valent, capiant, qua ratione singulìs diebûs doctissimi, quique, ità unam objecti alicujus faciem intuantur, ut ad cæteras nihil attendendo, quandoquè etiam ab imperitis, jure ac meritò, redarguantur.

Inst. Quòd traditur ut tàm certum, quàm certum sit, vel hæreticos non habere Ecclesiam nobiscum communem; vel non valere Baptisma collatum ab iis, qui ejus conferendi potestatem, à Christo non recepêre, traditur ut quæstio ad fidem pertinens: atqui opinionem suam tradit Cyprianus, ut tàm certam, &c. ut patet ex ejus Epist. ad Jubàinum: ergo. R. dist. min. Cyprianus opinionem suam tradit ut tam certam, &c. tradit, inquam, illativè & per consequentias, quas ex Scripturis deduci posse existimat, C. Tradit formaliter, & expresse, N. Facit id Cyprianus, quod solent, qui de re gravi & controversa disputant. Ii nimirùm, quæcunque possunt argumenta, seù ex Scripturis, seù ex Traditione decerpunt, ut opinionem suæ contrariam, excutiant: atque id, ut in rebus fidei, sic & in consuetudinibus locum habere potest; cùm eas vulgò admitti oporteat, quæ Scripturæ magis consonant, alias rejici. Ut ergo de verò Cypriani ejusquè sequacium sensu judicetur, non tàm attendi debent, eorum ratiocinia, quàm praxis, & agendi ratio: atqui Cypriani, ejusquè asseclarum praxis, multò plûs consuetudinem meram exprimit, quàm fidei dogma; ut suadent probationes nostræ; ergo.

Obj. 2dò. Ex dictis, Stephanus Afris & Asiaticis censuram intentavit, nisi resipiscerent: atqui vir prudens non eò usquè progressus esset propter rem, quæ solius fuisset consuetudinis; cùm consuetudines liberæ sint; ergo.

R. 1mò. neg. min. Si enim à temporibus Nicænæ Synodi, semper hæreticis annumerati sint Quartodecimani, qui Pascha cum Judæis celebrabant, potuit sanè Rom. Pontifex consuetudinem novam; totiquè ignotam antiquitati, adhibitis etiam censurîs proscribere.

R. 2dò. neg. min. ut quæ falsò supponat, id quod Cyprianus ad disciplinam solam pertinere judicabat, ad disciplinam quoque revocatum fuisse à Stepheno: porro contrarium demonstrat; 1mò vivax Stephani contra Cyprianum agendi ratio: vir enim prudens, si de sola consuetudine actum crederet, dissimularet ad tempus, ut sensim animos, ad saniorem disciplinam revocaret, prout in negotio Quartodecimanorum contigit; 2dò. quia ex Vincentio Lirin. Stephanus *divinum Canonem* vindicavit, *fidei devotione*, restitit errori, & id quod à Patribus acceperat, transmisit ad filios: atqui ii sunt quæstionis ad fidem spectantis caracteres. Nequè verò Ecclesia Romana rebaptisationis negotium, à Stephano accepit, ut rem disciplinæ; cùm illud tanquam litem fidei propriam definierit: ergo.

Potest tamen à formali errore, vindicari Cyprianus; 1mò quia etsi restitit in materia fidei, solùm credidit se in materia disciplinæ resistere; 2dò quia paratus erat obtemperare, *si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset, nondum autem factum erat. Aug. L. 2. de Bapt: n. 14.* Ubi autem & quando factum sit deinceps, magna est inter eruditos disceptatio; de qua id penè duntaxat certum est, Concilium illud, habitum esse *post Cypriani quidem passionem* *, *sed antequam* natus esset Augustinus, prout ipse declarat L. 2. de Bapt. c. 9: unde plenaria hæc Synodus, cùm non possit esse Sardicensis; quia in ista nihil sancitum sit, quod Rebaptisantium causam attingat; debet esse vel Nicæna anni 325. vel Arelatensis I. an. 314. Pro Arelatensi stant, Sambovius, Sirmondus, Illust. de Marca, &c. Pro Nicæna pugnant Bellarminus, Joannes Nicolái, Nat: Alexander, quibuscum sit

Conclusio V. Paulò probabiliùs videtur, Nicænam Synodum, eam esse, quæ Augustino litem rebaptisationis diremisse visa est.

Prob. 1mò. Synodus quæ rebaptisationis litem Augustino diremisse visa est, & Augustini nativitatem præcessit, & verè fuit œcu-

* *An:* 258.

œcumenica, & demum aliud circa rebaptisationem statuit, quàm statuerant Carthaginensia Agrippini & Cypriani Concilia: atqui tria hæc, Nicænæ Synodo, & quidem soli conveniunt. Minor patet: quia nulla ante Aug. ortum fingi potest, œcumenica Synodus, quæ Rebaptisantium systema subverterit, præter Nicænam; quæ cùm, teste S. Hieronymo Dialogo adv. Lucifer. *Omnes hæreticos suscepit, exceptîs Pauli Samosatensis discipulîs*, qui baptismi formam adulterabant, lethalem Carthaginensibus Cypriani Conciliis ictum impegit. Itaquè prob. maj. & quidem pro secunda parte, in qua stat tota difficultas.

Ea Synodus verè & strictè fuit œcumenica juxta Aug. quæ ab eodem Aug. vocatur plenarium totius Orbis Concilium, concordissima totius Ecclesiæ authoritas, Concilium cunctarum gentium: atqui Synodus in qua rebaptisationis quæstio definita est, vocatur ab Augustino *plenarium totius Orbis Concilium*, L. 1. de Bapt. c.7. *concordissima totius Ecclesiæ authoritas*, ibid. L. 2. c. 4. ac deniquè *Concilium cunctarum gentium*, ibid. L. 5. c. 17. ergo.

Prob. 2dò. Vel plenarium Augustini Concilium fuit ipsa Nicæna Synodus, vel Synodus Arelatensis; inter utramque enim optionem fieri debere fatentur nunc eruditi: atqui Synodus Arelatensis, nec in rei veritate, nec quòd hìc præcipuum est, in Aug. sensu, plenarium Concilium esse potest. Non in rei veritate; tùm quia Synodus illa, nullibi usquam generalibus Conciliis annumerata fuit; tùm quia nec ei præfuit R. Pontifex; nec ulli interfuêre, quàm Occidentales Episcopi: iique pauci numero, nimirum 44. teste Valesio.

Sed nequè eadem Synodus in mente Aug. fuit verè, & simpliciter plenaria: 1mò. quia S. Doctor, nullibi dixit Donatistas à Concilio œcumenico, in eo quod ad Cæcilianum pertinet, damnatos fuisse: atqui hoc indubiè & pluries dixisset, si eos Arelati damnatos resciens, Arelatensem Synodum pro verè œcumenica habuisset; ergo. 2dò. quia non aliundè probat Augustinus Melchiadis judicium in gratiam Cæciliani, à nulla plenaria Synodo resciſſum fuisse, quàm *ex eo, quòd totus Orbis non communicaret* cum Donatistis: atqui si S. Doctor Arelatensem Synodum habuisset pro verè plenaria, jam multò præsentiùs ex ejus judicio deprompsisset argumentum contra Donatistas, quàm ex denegata ipsis Ecclesiastica communione; ergo.

Prob. 3tiò. Synodus plenaria, quæ juxta Aug. litem rebaptisationis finivit, talis erat, ut ei dubio procul, cessurus fuisset Cy-

prianus: atqui nihil erat, unde colligere posset Aug. Cyprianum, Arelatensi judicio cessurum fuisse. An enim seriò credere potuit S. Doctor, Synodum ex 40. imò ex 100. Occidentis Præsulibus constantem, majoris apud Cyprianum momenti futuram fuisse, quàm tot & adeò numerosa Africæ, & Asiæ minoris Concilia, quæ rebaptisationis necessitatem sanxerant? Res profectò fidem superat.

Prob. 4tò. ex Athanasio Epist. ad Africanos, ubi per Nicænam Synodum, *hæreses omnes destructas esse* asseverat: atqui Synodus quæ hæreses omnes destruxit, Donatistarum hæresim, quæ tunc longè lateque grassabatur in Africa, destruere debuit.

Obj. 1mò. Concilium plenarium, de quo loquitur Aug. rebaptisationis litem finivit, *cunctis remotis dubitationibus*: atqui dici non potest, rebaptisationis litem, in Synodo Nicæna definitam esse, *cunctis remotis dubitationibus*. Cùm post definitionem hanc, rebaptisationis opinionem tenere perrexerint Basilius, Cyrillus Hierosol. & fortè, qui Concilio interfuerat, Athanasius ipse. R. ad 1. neg. min. Nicæna enim Synodus Can. 18. Paulianistarum Baptisma reijecit, quia peregrinâ formâ traditum; & Can. 8. Novatianorum Baptisma, pro valido habuit; utique, quia communi Ecclesiæ formâ collatum: hæc autem definiendi ratio, nullum dubitationi locum relinquit.

Adde quòd perierint multi priorum Conciliorum Canones: ex his verò aliquis esse potuerit, quô res explicitè magis definita fuerit, quàm iis, qui hodieque supersunt. Certè inter 80 Canones, quos ex Arabico exemplari, latinè translatos edi curavêre, Alphonsus Pisanus, & F. Turrianus, * quosquè genuinos esse contendit, Abraham Echelensis Maronita, unus est, qui disertè hæreticos rebaptisari vetat.

Ad 2. neg. conseq. Si enim ex iis, qui Tridentino Concilio interfuerant, alii aliter ejus Canones interpretati sint, quid mirum, si Patres Græci, non omnes, sed pauci, totam Nicænæ definitionis vim, non intellexerint. Certè plùs nocet adversariis Basilius, quàm prosit. Is enim contra expressam Nicææ sanctionem, Novatianos rebaptisari voluit; unde necessum est, ut vel Nicænum Canonem ignoraverit prorsus; vel ut in eo, œconomiam meram, non autem dogmaticum Decretum, contineri falsò crediderit.

Obj. 2dò. Ut Arelatensis I. Synodus, sit plenarium Aug. Concilium, duo sufficiunt: 1mò. Ut ea Synodus litem rebaptisationis multò expressiùs definierit, quàm Nicænum Concilium; 2dò.

* *Frassen p. 208.*

2dò. Ut eadem Synodus, verè dici potuerit plenaria à S. Aug. atqui 1mò. constat rebaptisationis litem, multò expressiùs Arelati fuisse definitam, quàm Nicææ; cùm illic, totidem verbis habeatur; hinc verò, nonnisi per consequentias, & satis ægrè deducatur; 2dò. Arelatensis Synodus ab Augustino plenaria dici potuit; cùm ad eam *ex omnibus mundi partibus*, confluxerint Episcopi, ut aiunt Patres Concilii II. Arelatensis. R. ad 1. neg. maj. Non enim sufficit, ut Augustinus Arelatensem Synodum vocare potuerit plenariam, (scimus enim ab eo, sic vocatas esse Provinciales Synodos, etiam Donatistarum) sed & necesse est, ut eam vocare potuerit plenariam *totius Orbis, cunctarum gentium*, & *concordissimam totius Ecclesiæ authoritatem*, cui dubio procùl cessura essent, quotquot in gratiam Cypriani collecta fuerant, sivè apud Afros, sivè apud Orientales Concilia; hæ enim sunt dotes, plenarii illius Concilii, quod contra Donatistas urget Augustinus: atqui constat ex dictis, S. Doctorem, nullibi Arelatensem Synodum exhibuisse, ut plenarium Concilium totius Orbis, cunctarumquè gentium.

Nec nocet istud, *ex omnibus mundi partibus*; cùm evidens sit id, per emphasim quamdam, & ad primæ Arelatensis Synodi commendationem, dictum esse. Undè Epistola Constantini, quam aliqui malè objiciunt, non dicit: convocatos fuisse Arelatum Episcopos *ex locis propè infinitis*, sed *ex diversis compluribus locis*, ut ipse vertit Sirmondus.

Obj. 3tiò. Concilium in quo finita est quæstio, de hæreticorum Baptismate, fuit transmarinum: atqui sola Arelatensis Synodus Afris, transmarina erat, non Nicæna; ergo R. neg. maj. quæ supponit, sed non probat in hoc Augustini textu, *Si quod transmarinum*, VEL *universale Concilium factum esset*, particulam VEL, esse conjunctivam.

Conclusio VI. Piè quidem præsumi potest, Cyprianum ante mortem resipuisse; sed sistendum intra puræ præsumptionis fines.

Prob. 1. pars. Piè præsumi potest id, quod præsumpsit Augustinus, vir summæ & lucidæ charitatis: atqui Augustinus. ... Sic ille Epist. 93. c. 10. Cyprianus *correxisse istam* suam *sententiam, non invenitur. Non incongruentèr tamen, de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui tanto velut patrocinio, carere noluerunt.* & Lib. 2. de Bapt. c. 4. *Profectò & uni verum dicenti, & demonstranti, posset facillimè consentire, tàm sancta anima, tàm pacata; & fortasse factum est, sed nescimus. Nequè enim omnia, quæ illo tem-*

pore, inter Episcopos gesta sunt, memoriæ litterisquè mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt novimus.

Prob. 2. pars: Si cui de Cypriani resipiscentia constare potuerit, maximè Augustino, qui in Africa positus, quidquid ad Cyprianum, & Rebaptisantes pertinebat, avida sagacitate investigavit: atqui tamen Augustinus in eo quod ad Cypriani correctionem spectat, semper stetit intra dubii metas. *Non incongruentèr existimatur*, inquit, Cyprianum *correxisse sententiam*; *fortasse factum* est ut correxerit; sed tamen *non invenitur*; sed tamen *nescimus*.

Idem dicendum de Firmiliano, quia nihil est apud Antiquos, unde probetur eum sententiam mutasse. Quòd enim scripsit Dionysius Alexand. ad Stephanum, *omnes Orientales Ecclesias, quæ antea fuerant nonnulla dissensione distractæ, ad concordiam denuò, esse reductas* &c. de sola Novatiani schismatis extinctione, intelligendum est, ut patet ex textu Eusebii.*

At, inquies, ex S. Hieronymo Dialogo adv. Lucifer. *Illi ipsi Episcopi, qui Rebaptisandos hæreticos cum Cypriano statuerunt, ad antiquam consvetudinem revoluti, novum emisêre Decretum*; ergo. R. neg. conseq. Ait quidem Hieronymus Episcopos, qui idem senserant cum Cypriano, ab ejus opinione defecisse; quòd de iis indubium videtur, qui primæ Arelatensi Synodo interfuerunt; sed non dicit, quô tempore id, factum sit, an ante, an post mortem Firmiliani. Præterea quis majorem hac in re, fidem habeat Hieron. extra Africam versanti, quam Aug. qui in ipso controversiæ loco positus, totius litis exordia, progressum exitumquè, tantîs curîs indagavit?

SECTIO TERTIA.

De intentione Ministri.

INtentio, est Actus liber voluntatis, quidpiam facere sibi proponentis: unde differt ab attentione, quæ est actus animi, ad aliquid sese applicantis.

Potest autem Minister, qui exteriorem Sacramenti ritum facit, velle 1mò. ritum hunc non seriò facere, sed per irrisionem exteriùs manifestam fingere, ut mimi & histriones; 2dò. ritum illum seriò quidem exteriùs, sed tamen per internum jocum peragere, adeoquè nihil, præter exteriorem cæremoniam, velle eorum, quæ vult Ecclesia; 3tiò potest velle ritum illum tàm interiùs, quàm exteriùs, seriò exercere, sed materialiter tantùm, atque ut rem merè naturalem, & qualiter fieri posset, si nec à Christo institutus, nec in Ecclesia usitatus esset; 4tò deni-

* *Euseb. Lib. 7. c. 5.*

denique velle potest eundem ritum facere; velut cæremoniam quam ipse sacram putet, sivè hanc Sacramentum esse credat, & gratiæ productivam, sivè non; vel ut cæremoniam, quam ipse quidem sacram non existimet, sed sciat pro sacra haberi, in societate Christianorum, & quam ut talem conficere velit.

Rursum potest quis hæc omnia velle variîs modîs, puta directè, vel reflexè, absolutè, vel conditionatè, actualiter, vel virtualiter, habitualiter, vel interpretativè, explicitè, vel implicitè, &c. unde multiplex assignari solet divisio intentionis, tùm ex parte objecti, seù rei quæ intenditur, tùm ex parte modi, quô res illa intendi potest. Itaquè ex parte objecti, quantùm saltèm ad præsentem controversiam pertinet.

Dividi potest intentio, in *Mimicam*, quæ publicam christiani ritûs derisionem annexam habet, ut si histrio per ludibrium quempiam baptiset in theatro. Et *Seriam*, quæ fit sinè exteriori derisione; & hæc vel externa est, vel interna.

Intentio externa, vel est sinè interiori dolo, & prava animi dispositione; ut si ethnica mulier puerum abluat, in nomine Trinitatis, quia audierit id bonum esse ad lenienda tormina; vel ést conjuncta interiori dolo, ut si quis baptiset quidem, sed ex errore, vel ex malitia, solùm intendat simulare, vel irridere. Prima hujus externæ intentionis species, dici posset merè naturalis; secunda verò simpliciter externa, eoquè sensu deinceps, sumemus externæ intentionis nomen.

Intentio interna, vel adæquata est, cùm quis administrando ritum sacrum, vult saltèm implicitè, quidquid eidem annexum est; ut gratiam & characterem; vel inadæquata, cùm quis vult quidem ritum ut in se, vel in tali societate sacrum, sed ex errore, vel malitia, non vult ejusdem effectus.

Intentio ratione modi, dividitur 1mò. in *Explicitam*, quâ quis expresse aliquid intendit, putà regenerationem infantis; & *Implicitam* quâ quis, unum aliquid non in se, sed in alio intendit; sic caracteris impressionem intendit, qui etsi non cogitat de charactere, vult tingere puerum, proût in Ecclesia tingi solet.

Dividitur 2dò. in *Absolutam*, quâ quis simpliciter & circa limitationem ullam, vult aliquid, putà Sacramentum conferre; talis est, quâ quis absolutè dicit, *Ego te Baptiso*, & *Conditionatam*, quâ quis vult quidpiam, putà Sacramentum conficere, sed solùm sub certa conditione: hæc autem vel est de præterito, ut *Baptiso te, si non es baptisatus*, vel de præsenti, ut *Baptiso te, si vivis*, vel de futuro, ut *Baptiso te, si in Europam mecum venturus es.*

Dividitur 3tiò. in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. *Actualis*, est præsens ac deliberata rei efficiendæ, v. g. Sacramenti conficiendi volitio. *Virtualis*, est rei efficiendæ propositum, non actu quidem, sed virtute remanens, propter actuale propositum, quod antea habitum est, nec per actum contrarium, aut incompossibilem revocatum fuit, vel interruptum: ut si quis Altare adierit, animo consecrandi, & mente in decursu distracta, consecrationis formam, quasi mechanicè pronuntiet. *Habitualis*, est intentio, non retractata quidem, sed tam longo interrupta tempore, ut nec formaliter, nec virtualiter perseveret. *Interpretativa*, est ea voluntatis dispositio, ex qua quis hoc, vel illud, ultrò faceret, si attenderet id, faciendum esse. Itaquè actualem baptisandi intentionem habet, qui actu baptisare vult; virtualem, qui actu baptisare voluit, sed in ipso absolutionis actu, mentem habet aliò avolantem: habitualem, qui ante aliquot dies, baptisare voluit, & hodie sinè renovata intentione baptisat; interpretativam, qui ratus se abluere infantis simulacrum, aquam in verum effundit infantem, quem si verum infantem nosset, seriò voluisset baptisare.

Jam quæritur, 1mò. An in Sacramentorum confectione, requiratur intentio interna, prout hæc distinguitur ab exteriori quacumque; 2dò. An actualis, prout distinguitur à virtuali; 3tiò. An absoluta, prout opponitur conditionali.

§. I. *An necessaria sit intentio interna.*

Circa præsens punctùm mirè dividuntur hæretici, & Catholici: 1mò. enim credidit Lutherus, nè eam quidem Sacramentorum Ministro, requiri externæ intentionis speciem, quæ exteriorem jocum excludat: *Si Sacerdos*, ait Novator art. 12. inter eos, quos Leo X. proscripsit, *non seriò, sed joco absolveret*; & Pœnitens *credat se esse absolutum, verissimilè est absolutus.*

2dò. Existimant Catholici plures, ad valorem Sacramenti, sufficere intentionem, quâ Minister ritum quem facit Ecclesia, seriò & attentè peragere vult, tametsi eundem ritum intùs irrideat, vel detestetur, nec ex iis, quæ facere vult Ecclesia, quidquam aliud facere velit, quàm verba supra materiam pronuntiare. Ità præ cæteris, Amb. Catharinus ex Ordine Prædicatorum, Alphonsus Salmeron è S. J. Vincentius Contenson, &c. Ex his porrò, alii externam & seriam intentionem ubilibet, ad confectionem Sacramenti, satis esse contendunt: alii è contra sentiunt Ministrum, nisi vel sit in loco sacro, vel ad Sacramenti confectionem fuerit invitatus, nihil operari; eô fermè modô,

quô

quò Judex ratam Sententiam, etiam contra mentalem intentionem profert, si sedeat pro tribunali; secùs, si loquatur è loco, ubi judicis personam gerere non intelligatur.

3tiò. Alii & hactenùs plures, censent internam ad Sacramenta validè conficienda, requiri intentionem; seù intentionem, quá quis externum ritum sic peragat, ut nec interiùs jocari velit, nec ritum hujusmodi materialiter duntaxat, seù ut rem merè naturalem, aut profanam peragere; sed formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel saltèm ut ritum in Christianorum societate habitum pro sacro, celebrare velit. Sit jam

CONCLUSIO I. Ad validitatém Sacramenti, non sufficit intentio exterior jocandi, sed requiritur vera, quæcumquè tandem ea sit, intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Haud tamen requiritur intentio faciendi id, quod facit talis Ecclesia, v. g. Romana, sed sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia vera, ubicumquè ea sit.

Prob. 1. pars. Ea ad Sacramentorum validitatem requiritur intentio, quam necessariam esse agnoscebat tota Christi Ecclesia, diu ante exortas Lutheri, Calviniquè novitates: atqui veram, adeòquè haud jocularem faciendi id, quod facit Ecclesia, intentionem, ad validitatem Sacramentorum necessariam esse agnoscebat, tota eadem Christi Ecclesia, &c. Prob. min. 1mò. ex Concilio Constant. quod Sess. ult. præcipit, ut suspectus de hæresi, inter alia interrogetur, *an credat quòd malus Sacerdos, cum debita materia, & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absolvat, verè baptiset, & verè conferat alia Sacramenta*; 2dò. ex instructione Armenis data ab Eugenio IV. ubi sic: *Sacramemta tribûs perficiuntur, rebûs, tanquam materiâ, verbis, tanquam formâ, & intentione Ministri, faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Meritò igitur Trid. Sess. 7. Can. 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dùm Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltèm faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et Sess. 14. Can. 9. *Si quis dixerit* quòd *Sacerdos non seriò, sed joco absolvat. . . . anathema sit.*

Prob. 2dò. Actio Ministri, qua talis, debet esse actio humana, relativè ad Ministerium: atqui actio exteriùs mimica, non est humana, relativè ad ministerium: sed solùm relativè, ad irrisionem, quæ sola intenditur.

Prob. 3tiò. Ideò tantùm, juxta Navotores, valent Sacramenta mimicè & jlocalariter collata, quia ad eorum valorem satis est, ut excitent fidem, quæ etiam per histrionis verba excitari potest: atqui falsum est, istud novæ sectæ principium; 1mò.

enim

enim, pueruli Baptiſmatis capaces ſunt; nequè tamen in iis, fides actualis excitari poteſt; 2dò. ſi ubi excitatur fides, ibi ſit Sacramentum, poſſet abſolutè conferri Sacramentum à machina, quæ ad emittendas voces diſpoſita, fidem excitaret: quòd ridiculum eſt.

Prob. 2. pars: Quia alioqui non valeret Baptiſma, collatum á Calviniano, qui Eccleſiam Genevenſem, veram eſſe ratus, id inter baptiſandum facere voluit, quòd facit Genevenſis Eccleſia: atqui tamen valet Baptiſma iſtud: ut patet tùm ex praxi Eccleſiæ, quæ nullibi iterat hujuſmodi Baptiſmum, ob hunc præcisè errorem *; tùm ex Rothomagenſi Concilio anni 1581. tit. de Sacram. n. 2. ubi ſic: *Vetamus ablutionem repeti, cum quibuſcumque verbis*, etiam conditionatis, *à calviniſmo aut aliis hæreſibus ſimiliter* ſeù in debita forma, *baptiſantibus, ad noſtras Eccleſias tranſeuntibus, nè de anabaptiſmo redarguamur.* Idem prohibitum fuit à Conciliis Remenſi an. 1580. Turonenſi an. 1583. &c. Et verò etſi Anglus in eo fallitur, quòd ſchiſmaticam Angliæ Synagogam, veram eſſe Chriſti Eccleſiam putat, intendit nihilominùs id facere, quod facit vera Eccleſia à Chriſto inſtituta, & Chriſti ipſius ritum ſequi: hæc autem intentio nullô privatô errore, inefficax reddi poteſt.

Si quis tamen, ait Sylvius, *nollet facere, quòd Eccleſia Romana facit, etiamſi eſſet vera Chriſti Eccleſia, & ſequeretur Chriſti inſtitutionem: Sacramentum non ſubſiſtet, quia revera, non habet intentionem faciendi, quòd Chriſtus inſtituit. Sylvius p. 8. a. 8. q. 64.*

Obj. 1mò. contra primam concluſionis partem: Non minùs valet Baptiſma, præter conferentis intentionem collatum, quàm valuerit benedictio data Jacob, præter Isáàci intentionem: atqui benedictio hæc valida, fuit, juxta id Geneſ. 27. *Benedixi ei, & erit benedictus*; ergo. R. diſt. min. Benedictio ab Isáàc data, valida fuit, accedente nova Isáàci voluntate, qui hic digitum Dei ſenſit, C. Valida fuit ab initio, N. Nequè tamen ob mutatam Miniſtri voluntatem, valet Sacramentum, quod ab initio invalidè collatum eſt; quia ſanxit Chriſtus, ut materia, forma, & intentio, ſimùl ponerentur, ſaltèm in aliis, præter Matrimonium Sacramentis.

Obj. 2dò. ex S. Aug. Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ſed ſi requireretur intentio Miniſtri, accedente ad elementum verbo, non fieret Sacramentum. Et verò ebrius, nullam baptiſando ſeriam intentionem habe-

* Reſtrictionis hujus uſum percipiet Lector ex iis quæ dicam, ubi de initerabilitate Baptiſmi.

habere potest: atqui tamen ex Aug. Tract. 5. in Joan. *Quos baptisat ebrius, baptisat Christus.*

R. ad 1. dist. Accedit verbum ad elementum, per humanam actionem, & fit Sacramentum, C. Accedit mimicè, & irrisoriè, aut citra ullam prorsùs intentionem, N. Scopus est Augustini, ut probet elementum ab Evangelica forma sejunctum, nihil habere virtutis. *Detrahe verbum,* inquit, *quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, &c.* sed de excludenda intentione Ministri, nequidem cogitat. Fatendum tamen S. Doctorem dubitasse aliquando, an Baptisma *mimicè & jocülariter** collatum non valeret. At tunc, de multis dubitare licebat, quæ deinceps, definita sunt.

Ad 2. neg. min. Nequè enim dictum est ab Augustino, *quos baptisat ebrius,* (ut malè scripsit Gratianus) sed quos *baptisavit ebriosus*; porrò ebriosus; seù vir ebrietati addictus, ritè baptisare potest, non secus ac adulter, & homicida.

Obj. 3tiò. Sacramenta se habent ut animarum medicinæ: atqui medicaminum efficacia, non pendet ab intentione medici; ergo. R. dist. maj. Sacramenta sunt medicinæ, nec sunt medicinæ nisi ritè conferantur, C. Sunt medicinæ quomodocumquè conferantur, N. Sicut ergo corporalis medicina ut prosit, debet imprimis esse medicina; sic Sacramenta ut medicinæ sint, imprimis Sacramenta esse debent: atqui non possunt esse Sacramenta, nisi constent materiâ, formâ & intentione Ministri; ergo.

Obj. 4tò. Valuit Baptisma collatum, tùm S. Genesio, qui *cùm in theatro mysteriis Christianorum illuderet, repentè conversus ad fidem, baptisatus est; Martyrol. 23. Aug.* tùm Cathechumenis illis, quos junior Athanasius, *super oram maris, puerorum ludum* imitando, baptisavit: *Ruffin, Socrat. Sozom.* atqui Baptismata hæc, collata fuêre, sinè intentione faciendi id, quod facit Ecclesia; cùm priùs mimicum fuerit; posteriùs verò, jocülariter administratum.

R. ad 1. Genesium vel solô sanguinis Baptismô tinctum esse; vel si lustrali Baptismo donatus sit, in theatro quidem conversum esse, sed non ibidem baptisatum: 1mò. Quia à tempore S. Genesii, qui circa an. Christi 285. passus est, nemò ad Adonem ** usquè, Genesium in ipsa scena, baptisatum esse dixit. Quis porrò circùmstantiam adeò singularem, ab omnibus Historicis suppressam esse existimet? 2dò. Quia assertores scenici hujus Baptismatis, in ejus historia à se invicem dissonant. Alii quippè Genesium à Sacerdote in theatro baptisatum volunt, quòd ridiculum est; alii ab alio mimo, quem monuerit

* *Lib. 7. de Bapt. c. 53.* ** *Obiit. an. 880.*

An-

Angelus, ut rem ſacram feriò conficeret; alii demùm, ab Angelo ipſo.

His adde, ratum haberi poſſe Baptiſmum à mimo collatum, modò id, intus facere velit, quòd faciunt Chriſtiani. Scilicet enim duobûs modîs, exterior Eccleſiæ ritus per jocum exerceri poteſt, 1mò. Ità ut idem ritus ſimulatè tantùm repræſentetur; 2dò. Ità ut verè intendatur id, quod intendit Eccleſia, tametſi id, ſivè ad jocum, ſivè ad alium malum finem intendatur. Prima joci ſpecies, utpotè in qua ſiſtat tota agentis intentio, Sacramenti veritatem impedit: ſecùs de ſecunda, quia hæc addit quìdem actioni finem malum, ſed qui, cùm intentionem internam non tollat, nequè etiam actionis veritatem, tollere poteſt.

R. ad 2. Fictitiam eſſe Athanaſii pueri, pueros alios baptiſantis hiſtoriam: 1mò. quia Hiſtorici de ea re, dubitantèr loquuntur. *Ferunt iſtud eveniſſe*, ait Nicephorus; 2dò. quia præfati Hiſtorici factum illud, diverſimodè narrant; 3tiò. quia impubes non erat, ſed ad minûs annos 18. natus Athanaſius, cùm Alexander, quô Pontifice, ludum hunc peractum volunt, Sedem Alexandrinam conſcendit. Scilicet enim Alexander creatus eſt Patriarcha an. 312. vel etiam 321. juxta Hieronymi chronicum; eique paulò poſt Nicænam Synodum, ac proindè ut minimum an. 326. ſucceſſit Athanaſius: atqui ut Alexandro ſuccederet Athanaſius anno 326. debuit annum trigeſimum prætergredi, ſecundùm diſciplinam hujus temporis. Porrò ſi anum 30. attigerat Athanaſius, cùm Alexandro ſucceſſit, neceſſum eſt ut an. 312. vel etiam 321. quô Patriarchales Alexandriæ inſulas obtinuit Alexander, idem Athanaſius 20mum, aut 29um, ætatis annum attigiſſet. Quis verò hominem, tali ætate donatum, credat puerum fuiſſe, qui, quòd vix apud nos faciunt novennes, Eccleſiæ ſacra, per ludum exerceret?

Si quis tamen factum admittere velit, dicendum eſt cùm S. Thoma in 4. diſt. 6. Athanaſium, ſic diſponente Deo, id animô intendiſſe; quod per Epiſcopum faciebat Eccleſia. Nequè intentioni huic adverſabatur oblectamentum, quod indè captabat, quia finis extrinſeci volitio, volitionem finis intrinſeci, neceſſariò non perimit, ut modò dictum eſt.

Obj. contra 2. Concluſionis partem: Non magis ſufficit ad habendam veram Eccleſiæ intentionem, id intendere quod facit Eccleſia Genevenſis, quæ putatur vera; quàm ad habendam veram Eccleſiæ fidem, ſufficiat credere id, quod credit Eccleſia Genevenſis, quæ creditur vera: atqui, &c. R. neg. maj. Qui enim credere vult id, quod credit Eccleſia Genevenſis, cir-

ea præsentiam realem v. g. necessariò excludit fidem, quam circa idem punctum, habet Ecclesia Catholica: at verò qui intendit facere id, quod intendit Genevensis Ecclesia, non excludit id, quod ab Ecclesia Catholica intenditur; imò illud includit potiùs, quia utraque Ecclesia, idem facere intendit, id nempè, quod à Christo institutum est.

CONCLUSIO. II. Ad Sacramenti validitatem, non requiritur intentio explicita, seù producendi effectum Sacramenti; seù conficiendi Sacramentum, seù celebrandi ritum externum, ut in se revera, & absolutè sacrum. Unde sufficit quòd quis, talem ritum peragere velit, ut ritum; qui à Christianis habetur pro sacro.

Prob. 1. pars, 1mò. ex S. Aug. Epist. 98. ad Bonifac. *Nec illud te moveat,* inquit, *quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali, ad vitam regenerentur æternam.... non enim propterea illi non regenerantur.... celebrantur enim per eos, necessaria mysteria, & verba Sacramentorum.* Unde sic: Qui parvulos baptisant, non intendentes ut ad vitam æternam regenerentur, non habent intentionem producendi effectum Sacramenti: atqui tamen, hi validè baptisant; statim ut *necessaria mysteria* celebrant, & Sacramenti verba.

Prob. 2dò. Ecclesia nec Pelagianos, nec Calvinianos, novo tingit Baptismate, cùm in ipsius gremium revertuntur; imò id, quò ad Calvinianos, expresse vetuit * Pius V. atqui tamen nec Pelagiani intendebant delere originalem noxam, quam fictitiam esse existimabant; nec intendunt Calviniani, imprimere characterem, cujus existentiam negant; ergo.

Prob. 2. pars: Synodi Florentina, & Trid. non aliam in Ministro, requirunt intentionem, quàm faciendi id, quod facit Ecclesia: atqui hæc intentio, in eo etiam reperitur, qui etsi ritum hunc pro verò Sacramento, aut pro ritu in se sacro non habet, vult tamen eum perficere formaliter, ut ritum Ecclesiæ, sacramvè in illa cæremoniam. Prob. min. Intentio faciendi, quod facit Ecclesia, reperiri potest in Gentili, & in Athæo, ut ex dicendis constabit: atqui tamen nec Gentilis, nec Atheus, qua tales, habent, aut habere possunt, ritum Baptismatis pro Sacramento, aut pro re, in se absolutè sacra; ergo.

Prob. 3. pars: Quia si requiritur, ut certò requiritur, intentio faciendi, quod facit Ecclesia, saltèm requiriri debet, ut ritus sacramentalis exerceatur, prout ritus, qui in tali societate habetur, pro ritu religioso.

Obj.

* *Tract. de Bapt.*

Obj. 1mò. In Ministro Sacramenta conficiente, requiritur intentio Ecclesiæ, cujus est Minister: atqui intentio Ecclesiæ pro objecto habet, & Sacramentum, & Sacramenti effectus; ergo. R. dist. maj. Requiritur Ecclesiæ intentio implicita, vel explicita, C. explicita necessariò subd. requiritur ad melius, C. ad esse simpliciter, seù ad validitatem, N. Porrò qui vult seriò facere ritum, quem faciunt Christiani, vult eo ipso, indirectè tamen, facere quidquid ex eo ritu consequi potest; quia qui verè vult causam necessariam, vult & omnes ejusdem effectus.

Inst. Absolutio à peccatis, est effectus Sacramenti Pœnitentiæ: atqui ad validitatem Pœnitentiæ, requiritur ut Minister intendat absolvere à peccatis; ut patet ex Tridentino Sess. 14. c. 6. ergo. R. dist. min. Requiritur ut Minister intendat absolvere à peccatis, id est, ut velit non simulare, sed verè & ex animo proferre verba absolutionis, prout ab Ecclesia proferuntur, dùm à peccatis absolvit, C. id est, ut ipsam pœnitentis, justificationem, directè & explicitè intendat, N. Itaquè ad pœnitentiæ validitatem, requirit Trid. Synodus, ut Minister seriò agat, præsertim ubi agitur, de largienda absolutione: ad non ideò, censet invalidam fore absolutionem, sine intentione conferendæ justificationis impensam: unde Sess. 7. Can. 11. non aliam intentionem exigit in Ministro, tanquàm absolutè necessariam, quàm generalem intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; hæc autem intentio subsistere potest, etsi desit particularis intentio, seù conferendæ gratiæ, seù conficiendi Sacramenti.

Obj. 2dò. Actus sacramentalis, est actus religionis: atqui ad actum religionis, non sufficit operis exercitium, sed & finis intentio requiritur. R. dist. maj. Est actus religionis si licitè simùl & validè fiat, C. Si validè solùm, N. Porrò valent multa, quibus deest, legitima intentio: aliàs invalidè ordinaret, qui propter lucrum ordinat.

Conclusio III. Intentio externa, quâ quis Ecclesiæ ritum, exterius quidem seriò peragit, sed intus, vel deridere tantùm & fingere, vel ut rem merè naturalem, aut profanam exercere vult, non autem formaliter, ut ritum Ecclesiæ, aut sacram in ea cæremoniam; non sufficit ad valorem Sacramenti.

Prob. 1mò. In his quæ ad salutem & Sacramenta pertinent, licitum non est sequi opinionem probabilem, relictâ tutiorî, quæ vel probabilior sit, vel æquè probabilis: sed qui cum Catharino, sufficientiâ externæ intentionis sequuntur, relinquunt opinionem, quæ simul est tutior, & probabilior, vel æquè probabilis ac opposita. Major patet ex censura hujus propositionis:

nis:

nis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi, opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Prob. itaque minor. Et quidem 1mò. Tutior est opinio nostra, cùm nullo exponat discrimini æternam infantis salutem, quàm Catharini sequaces, dubio saltèm periculo exponunt. Si enim infans ille à Ministro, intùs derisore, non sit verè baptisatus, prout censet pars Theologorum dimidia major, jam perit ille in æternum. Si autem validè baptisatus est, nihil ille patitur mali, ex iterato sub conditione Sacramento; 2dò. Eadem opinio, si non probabilior, at saltèm æquè probabilis est, tùm probabilitate extrinseca; cùm semper major fuerit internæ intentionis, quàm externæ, assertorum numerus, uti agnovit tempore suo Paludanus *; & nostro Hyacinthus Serry **; tùm & probabilitate intrinseca; cùm & gravia quibûs impetitur momenta, non improbabiliter excutiat; & gravibûs se, tueatur argumentîs, quæ nonnisi probabiliter solvuntur ab adversariis, prout patebit in decursu.

Nequè tamen ideò tenenda erit opinio, quæ Baptismum ab impiis collatum iterari jubet. Hæc enim licèt tutior, statim ut inter hæreses annumerata fuit, jam nè uno quidem, probabilitatis gradu, gaudere potest.

Prob. 2do. ex Apost. I. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi*, &c. Unde sic: Ad validitatem Sacramenti, necesse est, ut qui ipsum confert, aliquo saltèm sensu gerat se, pro Ministro Christi: sed qui exteriorem ritum nonnisi materialiter frequentat, ut v. g. ad abluendas corporis sordes, nullo sensu gerit se, ut Ministrum Christi. Qui enim non differt ab exteriori mimo, nisi quia impietati jungit hypocrisim, ille non magis quàm mimus exterior, gerit se pro Ministro Christi: atqui interior, de quo loquimur mimus, non differt ab exteriori, &c.

Prob. 3tiò. Citati suprà Conciliorum Florent. & Trid. *** textus, ad validitatem Sacramenti requirunt, materiam, formam, & insuper, intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia: sed qui intentionem purè externam gerit, non habet intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Qui enim solam habet intentionem ridendi, fingendi, aut tanquàm profanum quid, faciendi id, quod facit Ecclesia, ille nec habet, nec habere potest, intentionem veram faciendi id, quod facit Ecclesia: atqui in hypothesi nostra, Minister solam habet intentionem deridendi, fingendi, &c. Unde non differt penes intentionem ab eo, qui Sacramentum deridet exteriùs: cùm in utroque eadem sit, mentalis deridendi intentio; sed differt solùm, penes ma-

* *Palud. in 4. dist. 6. q. 2.* ** *Serry. p. 105.* *** *Supra. p. 43.*

manifestationem irrisionis, quam prodit alter, alter celat animo; ergo non magis Sacramentum conficit, qui interiùs deridet, quàm qui exteriùs.

Confirm. 1mò. Simulquè ostenditur quæstionem hanc, non esse de nomine, ut plures malè opinantur. Adit Titius sagam, & ab ea modum extinguendi certò incendii postulat. Respondet hæc paucis: Mitte salis pugillum in flammas, & hæc loquere: Azariel, Cokariel, Misài: idque cum intentione faciendi id, quod pari in casu intendunt sagæ: atqui constat Titium, etsi sal in flammas mittat, & magica quæ exscripsimus verba recitet, nihil operaturum, si præscripta sibi intentione caruerit, nec caruerit solùm, sed & ei velut diabolico cuidam pacto renuntiaverit; ergo à pari.

Confirm. 2dò. Non magis seria ritûs exterioris frequentatio cum interiori derisione, facit id, quod facit Ecclesia, quàm exterior ritûs ejusdem derisio, cum interiori & seria intentione, impediat id, quod facit Ecclesia: atqui hæc non impedit. Si quis enim internum haberet animum pueri baptisandi, & exteriùs nè pro Christiano haberetur, verba jocosè à se proferri fingeret, adeò ut ipsum Baptisma derideri crederetur, staret nihilominùs Sacramentum,* quamvis tunc deesset externa intentio; ergo cùm contrariorum, contrariæ sint rationes, ubi deest interna intentio, ibi quantumcumque seriò peragatur exterior ritus, necessariò deest intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

Prob. 4tò. Quia inter 31. Propositiones, quas die 7. Decemb. an. 1690. proscripsit Alexander VIII. extat hæc n. 28. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamquè baptisandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia*: porrò in systemate Catharini, Minister omnem ritum externum observat, nec aliundè deficit, nisi quòd resolvat *intùs in corde suo, non intendo facere, quod facit Ecclesia*; ergo proscripta hac propositione, videtur & ipsum Catharini systema proscribi. Quis porrò suæ alienæquè salutis studiosus, externæ intentionis sufficientiam tueri ausit, si hanc à Romana Ecclesia purè & simpliciter rejectam esse, sincerè credat?

Quòd autem dicit Serrius, districtam fuisse censuram hanc in Lutheri errorem, qui *à nonnullis malè feriatis imprudenter recudebatur in Belgio.*** Malè dicit, cùm nullus *in Belgio*, aut alibi proferri possit illius temporis Scriptor, qui eò usque *malè feriatus* fuerit, ut Lutheri de jocosæ intentionis sufficientia errorem renovaret.

Prob. 5tò. ex S. Thoma 3. p. q. 64. a. 10. *Intentio Ministri potest*

* *Lugo & alii.* ** *Serry. p. 93.*

potest perverti dupliciter; uno modò respectu ipsius Sacramenti, putà, cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere; & talis perversitas, tollit veritatem Sacramenti, Præcipue *quando suam intentionem exteriùs manifestat*; ergo sivè manifesta sit, sivè occulta Ministri intentionem suam pervertentis derisio, tollitur veritas Sacramenti. Vox enim *præcipuè*, qua sæpenumerò utitur S. Thomas, nunquam apud eum, nisi comparatè sumitur: unde sicut qui dicit, nihil faciendum esse in templo quod immodestiam redoleat, *præcipuè* cùm expositum est Altaris Sacramentum, non negat, sed asserit potiùs, nusquam fas esse, in templo recedere à gravitatis legibus; sic in proposito, qui dicit intentionem perverti *præcipuè* per derisionem apertam, supponit eam, occulta etiam derisione perverti. Mitto plures S. Doctoris textus.

Obj. 1mò. ex Conciliis Florent. & Trid. ad Sacramenti valorem sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia: sed qui externum ritum seriò celebrat, intendit facere, quod facit Ecclesia. Ecclesia enim nihil aliud facit, quàm ritum illum, qui in debita formæ supra materiam applicatione positus est; ergo. R. ad 1. dist. min. Qui externum ritum, ut quid minimè profanum, seù ut cæremoniam sacram vel in se, vel in tali societate celebrat, intendit facere, quod facit Ecclesia, C. Qui externum ritum quocumque modo celebrare intendit, N. Itaquè quòd ad Sacramenti valorem non sufficiat præcisè ritus exterior etiam seriò peractus, ipsi hodie confitentur adversarii, qui contra, vel præter Catharini mentem, ritum hunc inefficacem esse censent, nisi in debitis circumstantiis fiat. Paulò ultra progredimur nos, & quia non concipimus quì fieri possit, ut circumstantiæ exteriores independenter à quocumque voluntatis actu ritum è profano sacrum efficiant, exigimus ut ritus idem fiat, cum intentione interna faciendi, quod facit Ecclesia.

Ad 2. dist. pariter: Ecclesia nihil facit quàm ritum exteriorem, ut distinctum à profano, C. Nihil facit quàm ritum exteriorem materialiter sumptum, N. Certè enim aliud intendit Ecclesia; quàm intendat mulier, quæ sanitatis causa puerum abluit in nomine SS. Trinitatis: atqui tamen constat 1mò. mulierem hanc invalidè baptisare, si nec rogata, nec in templo baptiset. Constat 2dò. probari efficaciter non posse, quòd eadem mulier validè baptiset, si vel rogata, vel in templo faciat id, quod privatim inutiliter faciebat; ergo cum Ecclesia certò & efficaciter baptisare velit, consequens est, eam per ritum exteriorem aliquid ab ipso ritu præcisè sumpto, diversum in-

intendere: iſtud verò nihil aliud eſſe poteſt, quàm ratio ritus ut in ſe, vel in tali ſocietate ſacri.

Obj. 2dò. Ea opinio admitti non debet, quæ conſtanti Eccleſiæ praxi, adverſatur: atqui opinio noſtra talis eſt. Ad id enim ſufficit, ut Eccleſia nunquam ſollicita fuerit de Sacramentis ritè quò ad formam & materiam confectis, etſi multas de interna Miniſtrorum intentione dubitandi rationes, habere poſſet: atqui Eccleſia - - - - Unde nec Baptiſmata à Ludovico Gaufredi collata, nec Ordinationes, à Philiberto de Lavardin Cenoman. Epiſcopo factas, iterari voluit: etſi uterque declaraverat, ſe nuſquam baptiſandi, aut ordinandi animum habuiſſe. R. neg. min. Et dico, Miniſtrorum impietatem, quæ in eo ut plurimùm ſita eſt, quòd avaritiæ, gulæ, aut veneri ſerviant, non eſſe cauſas dubitandi, an legitima caruerint intentione: cùm experimento compertum ſit, è multis depravatorum Sacerdotum millibus, nec unum eſſe, qui de retinenda intentione cogitet. Et verò ſi quis præ malitia nollet infantem baptiſare, is profectò, non internæ ſolùm intentioni renuntiaret, quàm gravibus Theologis ſciret haud videri neceſſariam, ſed, quod facile eſt factu, formam vitiaret, dicendo v. g. ſubmiſſa & lacera voce: *Ego te baptiſo, in nomine matris.*

Quòd ſpectat ad facta Gaufredi, Lavardini, &c. dico 1mo. à veritate alienum eſſe, quòd Gaufredus inſtante morte declaraverit ſe, quos abluerat infantes, abſque intentione mentali, & in nomine dæmonis baptiſaſſe. Increbuit quidem is de eo rumor, poſt mortem illius, ſed falsò; tùm quia nihil de eo tradidit Author Tragicarum Hiſtoriarum, qui ſecundo poſt ſupplicium Gaufredi anno ſcripſit, & tamen immania quæque de eodem impio Sacerdote mandavit poſteris; tùm quia Gaufredus idem, etſi de ſceleſtis quibuſcumque, ſub tortoris manu interrogatus, nuſquam tamen, de retenta in Sacramentis intentione poſtulatus eſt.

Idem de Lavardini ordinationibus dicendum: etſi enim is, coram Parocho S. Sulpitii, qui Pariſiis morienti, Viaticum adminiſtraturus erat, declaravit, ſe dolere plurimùm, quòd ſæpiùs ſine cauſa abfuiſſet à ſuâ Diœceſi; nè una tamen vocula indicavit, fictitiam illam in Ordinibus retentionem intentionis, undè ſparſus ea de re rumor, mera eſt calumnia, prout declaravêre Sambovius Tom. 3. caſ. 17. Nicolaus l'Herminier in Eccleſia Cenomanenſi Archidiaconus, qui rem totam ab iis, qui cum Lavardino vixerant, edoctus erat, &c.

Addo 1mò. Falſum eſſe, quòd ordinati à Lavardino, tranquilli ſteterint. Conſtat enim ſeù Regularium, ſeù Sæculari-

um plures, qui ab eodem Episcopo inaugurati fuerant, falso rumore deceptos, Ordines denuò recepisse. 2dò. Ecclesiam, si confecta ab iis, qui intentionem suam retinuisse fingebantur Sacramenta, non jusserit iterari; at nec etiam prohibuisse, nè iterarentur; prout tamen in opposito systemate, prohibere debuerat, ob certam, ut adversarii volunt, secundi Sacramenti nullitatem.

Obj. 3tiò. Valet Baptisma ab infidelibus, Judæis, v. g. Paganis, imò & Atheis collatum: atqui infideles illi, nec habent, nec habere possunt, veram & internam intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Major constat, ex Nicoláò I. in Responso ad Consulta Bulgarorum, c. 104. ubi sic: *A quodam Judæo* * *nescitis utrùm Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptisatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine Sanctæ Trinitatis ---baptisati sunt--- constat eos, non esse denuò baptisandos.* Prob. itaque min. Quia prædicti infideles, seriò velle non possunt intentionem suam, intentioni Christi conformare, seque gerere ut Ecclesiæ Ministros. Qui enim Christum habent pro seductore, à quo nulla Sacramenta istitui potuerint; qui Ecclesiam reputant, congregationem impiorum vel amentium; qui cæremonias ejus, meram illusionem esse existimant; illi dubio procul, nec suam intentionem Christi intentioni conformare, nec se ut Ecclesiæ Ministros, seriò gerere velle possunt: atqui, &c.

R. 1mo. Palmare hoc argumentum in eos, à quibus proponitur, militare: Posito enim adversariorum discursu, deest intentio etiam exterior Judæis & Paganis notoriis: cùm ii, in hypothesi adversariorum, Ecclesiæ ritus, nonnisi ut profanos & abominabiles peragant, & peragere cognoscantur; ergo non magis seriò baptisant, quàm si ante Baptismi celebrationem dedeclarassent se, nec velle, nec posse seriò baptisare.

R. 2dò. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Quamvis enim Judæi & Pagani, non possint Ecclesiæ ritus peragere ut in se sacros, possunt tamen eos peragere velle, ut ritus, qui in Christianorum societate habentur pro sacris: atqui eò ipso, velint, nolint, conformant se intentioni Christi, seque gerunt ut Ecclesiæ Ministros; cùm ex omnium confesso, necesse non sit ad rationnem Ministrorum Ecclesiæ, ut ejusdem ritus intendant, tanquam gratiæ productivos, vel ut sacramentales; ergo.

* De hoc textu consule Antonium, Augustinum, de emendatione Gratiani, Lib. 1. Dialogo 18. p. 199. edit. Baluz. ubi pro *A quodam Judæo.* vult legi, *à quodam viro*, prout habetur *in Libro Cæsaraugustano.*

Cæterùm si Judæi & alii similes certò semper baptisarent, nihil esset causæ cur R. Pontifices solliciti fuissent de Baptismate, ab iis sub legitima materia & forma collato; quia formæ ad materiam applicatio seriò facta, indubiè sufficeret: atqui tamen constat Nicolâùm I. de hujusmodi Baptismo anxium fuisse. Sic enim ibid loquitur: *A quodam Judæo, nescitis utrùm Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptisatos asseritis,* &c. *sed primùm utrùm Christianus, an Paganus, ipse Judæus extiterit, vel si postmodùm factus fuerit Christianus, investigandum est.* Unde duo colligere est, 1mò. Malè textum hunc adduci ab adversariis, ut probent valere Baptismum à Judæo collatum; hic enim non agitur de viro religione, sed origine Judæo; cùm de virò religione Judæo, dubitare non possit an Christianus sit, an Paganus; 2dò. Baptisma à Pagano collatum pro suspecto habitum fuisse ab eodem Pontifice; cùm inquiri voluerit, an baptisator ille, Paganus foret, an Christianus. Cur porrò suspectum fuit illud Baptisma, nisi quia prudens erat ratio dubitandi an Paganus, qui Baptistæ officium affectabat, internam habuisset intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia? De mente Innocentii IV. vide dicta in Prælectionibus nostris pag. 191. & seq.

Obj. 4tò. Difficilem S. Aug. textum, Lib. de Bapt, c. 53. ubi sic: *Si nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cur extra* eandem Ecclesiam *intersit non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed Religione mutatus est. An plùs valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen si posteà prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur,* & infrà: *Nequaquam dubitarem habere eos Batismum, qui ubicumque & à quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sinè sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent; quanquàm eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ insererentur Ecclesiæ - - - - Sicut jam præteritis Majorum Statutis non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur.*

Unde sic: Ut ex eo loco certùm sit, retentionem intentionis nihil nocere Sacramentorum integritati, sufficit, ut Aug. per eos, qui Sacramenta fallaciter conferunt, intelligat illos, qui seriò quidem baptisant exteriùs, sed interiùs, & apud se ipsos dicunt, se nolle baptisare: atqui res ità se habet. Augustinus enim

per

per eos de quibus loquitur *fallaces*, non potuit intelligere, nisi aut Ministros etiam exteriùs simulantes; aut homines peccato lethali infectos, quos Theologi *fictos* vocant, fictione scilicèt præparationis; aut eos qui fide carentes, malè de Sacramento ejusque effectu sentirent; aut demùm seriò quidem agentes exterrùs, sed interiùs simulantes: atqui nullum ex tribus prioribus intellexit S. Doctor. Non 1. Quia fallaces illos, quos verè baptisare asserit, opponit baptisantibus *in mimo*, de quorum Baptismi valore dubitat. Non 2. Quia si S. Pater, per fallaces eos intelligeret, qui lethali peccato sordent, per veraces à contrario eos intelligeret, qui à lethali culpa liberi sunt: id autem fallsum est; cùm Augustinus veraces de quibus loquitur, agnoscat etiã extra Ecclesiam, ubi nemo est, qui immunis sit à lethali culpa hæreseos aut schismatis. Non 3. propter rationem oppositam: fallaces enim de quibus Augustinus loquitur, reperiuntur etiam in Ecclesia Catholica: porrò nemò est in Ecclesia Catholica, qui careat fide circa Sacramenta: ergo superest, ut S. Doctor per fallaces intellexerit eos, qui seriò agunt exteriùs, intùs autem, intentionem suam retinent.

R. ad 1. & 2. neg. min. pro tertia parte. Et dico, Augustinum per fallaces Baptismi Ministros, eos intelligere, non qui intentione interna carent, sed qui malè sentiunt de Baptismi necessitate & utilitate; & tamen veram circa utrumque fidem simulant exteriùs eò ipso, quò Sacramentum illud spontê & seriò tradunt, vel recipiunt. Undè solùm docet S. Pater eum, qui absque legitima fide de veritate aut utilitate Baptismi, eundem confert, verum conferre Sacramentum; quia cum hoc fidei defectu, consistere potest generalis intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Hanc porrò esse S. Doctoris mentem, patet 1mo. Quia opponit Baptismum in Ecclesia vel hæresi fallaciter receptum, Baptismo mimicè recepto cum fide: quærit enim *an plurimùm distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia*; ergo ut stet oppositio, non supponit in fallaci fidem, quam supponit in mimo repente converso; 2dò. Quia docet Baptismum fallaciter datum, detecta fallacia non iterari, idque secundùm *Majorum Statuta*, seù Leges: atqui nulla unquam fuit Ecclesiæ lex, quæ vetuerit nè iteraretur Baptisma sine intentione collatum; 3tiò. Quia loquitur Aug. de Baptismo fallaciter dato, tanquam de re in Ecclesia suo tempore satis communi: porrò adeò semper in Ecclesia rarum fuit Baptisma, sinè mentali intentione collatum, ut vix unum in tota retro historia, ejus exemplum occurrat; 4tò. Idem indicat scopus S. Augustini: agit enim contra Donatistas, qui Baptismum sinè fide col-

collatum pro irrito habebant, nullam verò movebant quæstionem de Baptiſmo, ſine intentione collato; ergo non loquitur S. Doctor de abſentia intentionis, ſed ſolùm de abſentia fidei.

Inſt. Supponit S. Doctor fallaciam de qua loquitur, reperiri in quibuſdam Eccleſiæ Catholicæ membris, & non reperi, in omnibus membris, ſocietatis hæreticæ: atqui falſa eſſet utraque ſuppoſitio in hypotheſi noſtra. In Eccleſia enim, nemini deficit fides; extra Eccleſiam, nulli competit. R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. 1. part. In Eccleſia nemini deficit fides, nemini veraci, C. Nemini fallaci, N. Itaquè, etſi ii ſoli plenè, & perfectè, ad Eccleſiam pertinent, qui integram ſervant Eccleſiæ fidem; haud tamen illico, extra Eccleſiam ſunt omnes, qui à fide excidunt. Nā excidunt à fide hæretici occulti; & ii tamen, in Eccleſia manent; undè validè abſolvunt.

Ad 2. part. diſt. Extra Eccleſiam, nulli competit fides Theologica & ſupernaturalis, C. Nemini competit fides quædam humana, quâ id totum de Sacramentis credatur, quod Catholici credunt. N. Sicut enim idem cum Romanis de Trinitate ſentiunt Calviniani, ità idem de Sacramentis tenere poſſent; adeòquè & apud eos, reperiri poſſent fallaces, qui exteriùs ſimularent id à ſe credi, quod intùs revera non crederent.

Obj. 5tò. S. Thomas expendens, quomodo ſuppoſita neceſſitate intentionis Miniſtri, poſſit quis certus eſſe, de validitate Sacramenti ſibi collati; cùm nemò, de alterius intentione certus eſſe poſſit: ſic nodum hunc ſolvit 3. p. q. 68. a. 8. *Dicendum, quòd circa hoc, eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum - - - - Alii* verò *meliùs dicunt, quòd Miniſter Sacramenti, agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter, in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit, ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum.* Undè ſic: Juxta eum ſufficit intentio exterior, qui expreſsè docet, ad Sacramenti validitatem ſatis eſſe, ut verba ſacramentalia ſeriò proferantur, quia in his *exprimitur intentio Eccleſiæ* &c. atqui S. Thomas docet expreſsè, &c.

R. neg. maj. Et dico, per hanc S. Doctoris phraſim: *In verbis quæ profert Miniſter, exprimitur intentio Eccleſiæ,* non intelligi intentionem, quæ in Eccleſia ſola exiſtat, ſed veram & mentalem intentionem, quæ Miniſtro inexiſtat, faciendi id, quod facit Eccleſia. Patet 1mò. Quia intentio Eccleſiæ, & intentio faciendi, quod facit Eccleſia, ſunt voces ſynonymæ apud Albertum M. * S. Thomæ Magiſtrum; 2dò. Quia S.

* *Albert. Mag. in 4. d. 6. art. 11.*

Tho-

Thomas in eadem q. 64. art. 10. hæc exprefsè habet: *Cùm aliquis, non intendit Sacramentum conferre, fed deriforiè aliquid agere, talis perverfitas, tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando fuam intentionem, exteriùs manifeftat.* An autem S. Doctor rejeciffet art. 8. neceffitatem intentionis, quam adeò perfpicuè art. 10. commendat? 3tio. Quia idem Scholæ Angelus q. 68. a. 7. exprefsè docet, quod *fi in adulto deeffet intentio fufcipiendi Sacramentum, effet rebaptifandus*: atqui ex * eodem Sancto, non minor eft neceffitas intentionis in Miniftro, quàm in fufcipiente; ergo.

Inft. 1mo. Ex S. Thoma, *intentio quæ fufficit ad perfectionem Sacramenti, exprimitur in verbis, quæ profert Minifter*: atqui intentio quæ exprimitur in verbis, quæ profert Minifter, eft folùm externa; aut faltèm poteft non effe interna. R. neg. maj. Non enim dixit S. Thomas, *intentio, quæ fufficit*, &c. fed, *intentio Ecclefiæ quæ fufficit*: porro probavimus 1mò. Per intentionem Ecclefiæ, intelligi intentionem faciendi, quod facit Ecclefia. 2do. Intentionem faciendi, quod facit Ecclefia, effe mentalem in fententia S. Thomæ.

Inft. 2do. Mens D. Thomæ eft, ut tollat anxietatem quam habere poffint fideles, ob fufceptum ab infideli baptifma: atqui fubfiftit anxietas hæc tota, fi S. Doctor internam intentionem requirat. R. neg. min. Eò enim ipfo, quò docet & verè docet S. Thomas, intentionem faciendi id, quod facit Ecclefia, in verbis à Miniftro prolatis contineri, tollit anxietatem, quantùm tolli poteft; quia moraliter certum eft eum, qui feriò verba quædam profert, eadem in obvio, & naturali fenfu proferre, non autem in fenfu planè alieno: porrò ad tollendam anxietatem, non requiritur omnimoda, fed fufficit moralis certitudo, ut quæ fola, his in materiis adeffe poffit. Imò S. Doctor meliùs tollit anxietatem admiffa, quàm rejecta intentione mentali; quia fi femel conftet, prout adverfarii volunt, infidelem veræ intentionis incapacem effe, jam conftabit eum nequidem capacem effe, intentionis externæ; cùm hæc in iis folùm occurrere valeat, qui credi poffunt id intendere, quod intendit Ecclefia, prout fuprà diximus.

Obj. 6to. Valent Sacramenta in Chriftianifmo, ficut Acta publica in ftatu civili; atqui in ftatu civili, valent Acta publica ftatim ut feriò conficiuntur, &c. Sic legatus validè in alium transfert dominium civitatis, cùm exteriùs ferio agit Regis nomine, quamvis huic translationi interiùs, reluctetur. Sic valet lata à Judice fententia, fi folitos juris ritus fervet, quæ inter po-

* *In 4. dift. 27. q. 1. a. 2. q. 4.*

cula non valeret: idem est de contractu à Notariis dissentientibus scripto.

R. neg. major. Non enim adeò æquè conveniunt regimen Ecclesiasticum & civile, ut quæ uni sufficiunt, semper sufficiant alteri, vel quæ in uno requiruntur, semper in alio necessaria sint. Atque id ex brevi exemplorum quæ objecta sunt consideratione elucescet: 1mo. enim, Reipublicæ politicæ legati, meri vulgò sunt nuntii, Reipublicæ voluntatem deferentes; undè nihil mirum, si quidquid intùs sentiant, transferantur dominia; quia hanc ipsi translationem non faciunt, sed à Dominis suis factam declarant. At verò Sacramentorum Ministri habent se ut activi eorumdem dispensatores, qui ut operentur, id velle debent, quod voluit Christus, secundùm id Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: ubi nonnisi accedente hominis consensu solvuntur & ligantur peccata.

2dò. Nec plùs valet paritas, ab exemplo Judicis petita: 1mò. Quia nulla est ejusdem Judiciis sententia, cum intentione etiam mentali pronuntiata, si jocosè feratur, aut extra debitas loci temporisquè circumstantias; & tamen valet Sacramentum cum mentali intentione collatum, etiamsi conferatur à ludente, qui non Sacramentum ipsum, sed adstantes solos ludere velit; 2dò. Vel Judex ex plurali aliorum, qui sibi assident Judicum suffragio, vel per se solùm, sententiam fert. Si 1. firma est ejus sententia, quidquid decernat animo, quia non tàm absolvit ipse, quam juridicè absolutum declaret. Si 2. Sententia ejus nulla est secundùm se; undè quidquid virium habet, habet ab implicito Principis consensu, qui authoritate sua firmat, quidquid exteriùs, secundùm leges peractum fuit.

3tiò. Valet contractus, à Notario dissentiente exceptus, quia non est contractûs causa efficiens, sed Scriba.

Obj. 7mò. cum Salmerone: Ea opinio admitti non debet, quâ posita demonstrari nequit, perpetua Ecclesiæ visibilitas: atqui positâ intentionis internæ necessitate - - - - - Ecclesia enim visibilis, est societas hominum, qui legitima imprimis, habent Sacramenta; ac proinde Ministros, qui legitimè ordinent, absolvant, &c. atqui posita intentionis internæ necessitate, demonstrari nequit hujusce societatis existentia. In systemate enim nostro, supponi facilè potest, quempiam Baptismi Ministrum, quam inter baptisandum intentionem retinuisse; ex iis verò quos sic baptisavit, plures amplissimis præpositos Diœcesibus, quarum Clericos omnes ordinaverint: atqui ex ordinationes, & quæ ipsas consequutæ fuerint, Eucharistiæ consecrationes,

nes, absolutiones, &c. nullæ erunt; ergo nulla hic erunt Sacramenta; nulla proinde Ecclesia.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. retorqueo argumentum. In systemate adversariorum supponi potest, aliquem baptisatum à Ministro, qui vel naturali aquâ usus non fuerit, vel voculam formæ essentialem prætermiserit industriè, posteà promotum fuisse ad amplissimæ Diœcesis regimen. Idem pro toto Regno, imò & pro tota Ecclesia supponere lubebit; ergo.

Reponet fortè Salmeron, hypothesim meam esse paulò difficiliorem. Sed præter quàm id falsum est; inde sequetur tantùm, quòd paulò difficiliùs futurum sit, ut nulli sint veri Sacerdotes, in amplissimo Regno. Dicet hypothesim meam, esse moraliter impossibilem. Esto; ergo moraliter tantùm impossibile erit, universam Ecclesiam deficere, quòd falsum est, imò & hæreticum. Dicet, quod superest, hypothesim meam, incompatibilem esse, cum hypothesi singularis illius providentiæ, quâ Christus Ecclesiæ suæ invigilat, & usque ad sæculi finem invigilaturus est. Rectè quidem: sed quo jure id de sua, hoc ego eodem jure, de hypothesi mea, pronuntiabo. Undè

R. 2dò. neg. maj. Et dico, Christum suæ, semper ità provisurum Ecclesiæ, ut Episcopi & Sacerdotes in ea, si non omnes ad unum, saltèm ex parte longè maxima, futuri sint veri Episcopi, & veri Sacerdotes. Imò, ait S. Thomas, * *pie credi potest, quòd* si quis non baptisatus in Episcopum promoveatur, *Summus Sacerdos non permitteret, hoc ità latere, quòd periculum Ecclesiæ* particulari *imminere potest.* Hic porrò ad providentiam recurrimus non gratis, sed propter expressa Christi promissa, Matth. 16. *Portæ inferi, non prævalebunt adversus eam.* & ibid. 28. *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Obj. 8vò. Non minor in adultis Sacramentum suscipientibus requiritur intentio *recipiendi*, quàm in Ministris intentio *faciendi*, quod facit Ecclesia: atqui in subjecto Sacramenta recipiente, sufficit intentio externa. Qui enim solo supplicii metu Baptismum recipit, solam habet intentionem externam: atqui is tamen validè baptisatur, ex Adriano I. qui Epist. 8. decernit, Saxones tormentorum metu, ad Baptismum adactos, eundem validè recepisse, *etsi*, ait Pontifex, *foris tantùm, non intùs consensissent.*

R. 1mo. neg. maj. Siquidem intentio interpretativa quandoquè sufficit, ad suscipiendū Extremæ-Unctionis Sacramentum. Sufficit etiam intentio habitualis, quæ sola in amentibus remanet,

* *In. 4. dist. 25. q. 1.*

net, ad susceptionem Baptismi: atqui tamen neutra illa intentio, sufficit ad collationem Sacramentorum.

R. 2dò. ad 1. neg. min. cum S. Thoma 3. p. q. 68. a. 7. *Si in adulto*, inquit, *deesset intentio, suscipiendi Sacramentum, esset rebaptisandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum, Si non es baptisatus, ego te baptiso.*

Ad. 2. neg. maj. Etsi enim, qui ex solo supplicii metu baptisatur, ante intentatas minas nolit baptisari, vult tamen, post minas baptisari, aut saltèm, contrariam habuisse voluntatem, non præsumitur; unde Ecclesia, quæ de internis non judicat, prohibet, nè ad profanos mores revertatur; quia persuasum habet ea, quæ ex metu fiunt, etsi secundùm quid in voluntaria sint, esse tamen simpliciter voluntaria.

Ad 3. dist. Saxones *foris tantùm* consenserant, id est, consenserant involuntariè *secundum quid*, C. *Simpliciter*, N. Unde valere potuit eorum Baptisma, sicut valere potest conjugium illius, qui Titiam ducit, nè patibulum ducat.

Et verò, si Pontifices sensissent valere Baptismum, secluso quocumque cordis consensu, non erat, cur improbarent id Glossæ, in cap. 3. *De Baptismo. Valet Baptismi Sacramentum, ab eo susceptum, qui corde dissentit; modò dicat ore, se consentire*: atqui tamen Glossam hanc, expungi jussit Greg. XIII.

Quæres 1mò. An qui retenta intentione, Baptisma irritum fecit, se ipsum etiam cum vitæ periculo, prodere teneatur. R. Teneri, nisi aliter damnum hoc, resarciri queat. Quisque enim, æternam proximi, à se, per summum scelus decepti, salutem, propriæ vitæ, præferre debet, juxta id Aug. L. de Mendacio, c. 6. *Temporalem planè vitam, pro æterna vita proximi, non dubitabit Christianus amittere.* Si tamen Minister Episcopo, vel Magistratui, crimen suum sub confessionis sigillo detexerit; iiquè malè tinctos, denuò tingi curent, jam sufficiet reo, ut crimen suum, pœnitentia diluat. Verùm is, retentæ intentionis casus, nec hactenus contigisse videtur; nec, Deo juvante, continget in posterum. Si cui tamen certò constet, imò si rebûs seriò pensatis, dubium sit, an Minister nequam, legitima caruerit intentione baptisando, tunc Baptisma, vel absolutè, vel sub conditione, denuò conferendum erit. Quod si id, circa scandalum, ob rebaptisandorum multitudinem fieri nequit, & res moram patitur, recurrendum erit, ad Episcopum.

Quæres 2dò. An intentio errans, possit esse interna; proindequè, an baptiset quis validè marem, ratus esse feminam. R. Ad valorem cujuscumque, præter Matrimonium Sacramenti, sufficere, ut persona sit confusè determinata: unde qui baptisat,

sat, sivè circa personam erret, sivè non, validè baptisat; quia præsentem, quisquis ille sit, baptisare intendit. Si tamen existimans se, marem baptisare, excluderet feminam, non staret Baptisma; sicut non staret Ordinatio, si veritus Præsul, nè filius Regis sese, ordinandis immiscuisset, suam circa eum intentionem expresè retineret.

Sicut autem in personam præsentem, sic & in præsentem materiam, absque limitatione ferri debet intentio, nisi subsit causa. Unde, imprudenter se geret celebrans, si ad unam hostiam, limitet intentionem suam; quia fieri potest, ut propter adhæsionem, duplex sit, quæ credebatur unica; sicque, vel neutra consecrata sit, vel dubitari possit utra sit consecrata.

Quæres 3tio. An intentione legitima præditus censeri possit, qui cogente mortis metu, Sacramentum confert. R. affirmat. contra Serrium: Quia ad valorem Sacramenti, sufficit vera intentio faciendi, quod facit Ecclesia: atqui intentionem hanc, potest quis ex metu, seù justè, seù injustè incusso, efformare: unde qui premente naufragii metu, puerum baptisat, quem quia sibi invisum baptisare noluerat, validè tingit; ergo & validè baptisare poterit, etsi baptiset, ob metum iniquè incussum, putà ab iis, qui puerum domi, contra Ecclesiæ leges, baptisari volent. Et verò metus, etiam gravis, nisi rationem obruat, non tollit voluntarium *simpliciter.*

Non nego Matrimonium, Vota, Beneficii resignationem, concessionem, aut prorogationem jurisdictionis, & similia, in casu metûs gravis, invalida esse jure positivo: verùm invaliditas hæc, quô ad Baptismum, constitui non potuit, quia Baptisma, sub nullo prorsus respectu, dispositioni Ecclesiæ subjacet: secùs de Matrimonio ut contractu.

Quæres 4to. An valeat Sacramentum, si Minister intentiones habeat oppositas, putà si id facere velit, quod facit vera Ecclesia, nolit autem id facere, quod facit Ecclesia Romana. R. Valere Sacramentum, quoties posterior intentio, priorem non destruit: unde valet Baptisma, à Genevensi Prædicante collatum; quia Romanæ Ecclesiæ exclusio, quæ à speculativo intellectûs errore proficiscitur, totalem & absolutam relinquit intentionem, faciendi id, quod fecit Christus.

§. II. *An necessaria sit intentio Actualis.*

Expendam 1mò. Quæ intentionis species non sufficiat: 2dò. Quæ satis sit.

CONCL. I. Ad validam Sacramenti confectionem, non sufficit intentio habitualis, vel interpretativa.

Prob.

Prob. 1. pars: Intentio ad Sacramenti confectionem sufficiens, influere debet in actionem sacramentalem; cùm illam utpotè de se indifferentem, determinare debeat, ad esse Sacramenti: atqui intentio merè habitualis, nec influit, nec influere potest, in actionem sacramentalem: Cùm intentio illa, nec in se, nec in virtute remaneat, ut ex ejus definitione notum est; sed solùm in habitu, ex præteritorum actuum repetitione comparato.

Et verò intentio habitualis subsistit in homine ebrio vel dormiente: atqui tamen neuter capax est Sacramenti validè conficiendi; cùm neuter humano modo agere possit.

Prob. 2. pars: Actio sacramentalis, utpotè humana & moralis in genere meritorio, debet liberè poni: atqui non ponitur liberè id, quod ponitur sinè ullo voluntatis actu; & sinè ullo voluntatis actu ponitur id, quod nec vis, nec voluisti, sed solùm voluisses, si scivisses esse volendum.

Obj. 1mò. contra 1. part. Intentio habitualis sufficit, ut Missæ omnes per totum mensis, imò & anni spatium celebrandæ, alicui applicentur; ergo & sufficit, ut toto eo mense, conficiatur Sacramentum. R. neg. conseq. Disparitas est, quòd intentio, qua Sacerdos applicare vult fructum Missæ per mensem, non sit merum hujus applicationis deinceps faciendæ propositum, sed ipsamet realis & actualis, ejusdem fructûs applicatio. Ast intentio quâ quis toto mense celebrare vult, non est actualis confectio Sacramenti, sed nudum ejus conficiendi propositum: unde ad confectionem illius, nova toties requiritur intentio, quoties præcedens nec in se, nec in virtute remanet; quia hæc, utpote omnino præterita, in actionem sacram influere non potest.

Obj. 2dò. contra 2. partem: Sufficit intentio interpretativa, ut adultus validè recipiat Sacramentum Extr-Unctionis, de quo nunquam antè cogitaverat; ergo eadem intentio sufficit, ut quis idem, vel aliud Sacramentum, ritè conferat. R. neg. conseq. Qui enim Sacramentum recipit, habet se per modum subjecti & patientis; potest autem quis solùm interpretativè volens, vel etiam non volens, esse subjectum Sacramenti, ut patet in infantibus, qui validè baptisantur: At verò qui Sacramenta conficit, habet se per modum agentis, cui opus est ut rem de se ad plura indeterminatam, determinet ad esse sacrum: porrò hæc determinatio, quæ liberum Ministri influxum requirit, veram quoquè requirit intentionem, quæ saltèm virtualiter subsistat.

CON-

CONCLUSIO II. Ad valorem Sacramenti, non requiritur intentio Actualis, sed sufficit Virtualis.

Prob. Intentio ad Sacramenti valorem sufficiens, debet quocumque in casu Ministro sui compoti esse possibilis: atqui, ait S. Thomas, habere intentionem actualem, * *non est totaliter positum in hominis potestate; quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, secundùm illud Psalmi: Cor meum, dereliquit me*; ergo.

Prob. 2. pars: Ad Sacramenti confectionem aliqua requiritur intentio: atqui nec requiritur intentio actualis, nec sufficit habitualis vel interpretativa; ergo superest ut requiratur & sufficiat virtualis. Et verò sufficit intentio, ex qua Minister eo modo agit, qui sibi moraliter possibilis est: atqui ex intentione virtuali agit homo, &c. Objectionem quæ ex Matrimonio per Procuratorem contracto deducitur, solvemus in Tract. de Matrim.

Ex dictis colliges, 1mò. Gravis peccati suspectos esse, qui voluntariè distrahuntur in conficiendis Sacramentis: quia hic subest irreverentia, quæ pro levi haberi facilè non possit; 2dò. Eum qui formam sinè intentione inceptam, cum intentione prosequitur, aut è contrario, nihil efficere; quia necessum est, ut intentio in formam totam influat. Idem est, si quis absolutionis formam quam attentè incœpit, perficiat somno oppressus: quia dormiens humano modo non agit; 3tiò. Validè consecrari hostias, quas quis consecraturus in pixide super corporali reposuerit; etsi earum oblitus, pixidem non aperuerit in decursu actionis: quia hìc influit, primæva intentio. Sed de his alibi. 4tò. Eos qui cùm irregulares sint, dimissoriisve aut legitimo titulo destituti, manuum impositionem recipiunt ab Episcopo, qui per se, vel Ministros suos declaravit, talium ordinationem à se non intendi, verè tamen ordinari, si declaratio hæc, sit solùm comminatoria: secùs, si absoluta sit; quia hìc nulla occurret intentio, nequidem virtualis. In dubio de intentione Episcopi; erit is consulendus. Quòd si objerit, ponderanda erunt verba, quibûs usus est: si verò ex iis defuncti mens certò colligi nequit, iteranda erit sub conditione ordinatio, tanquam dubia. Cæterùm ejusmodi declarationes de futuro intentionis defectu; quæ nullum in Pontificalibus fundamentum habent, jure improbantur à Lugo, ob gravia quæ hinc exoriri possunt dubia.

§. III. *An intentio debeat esse Absoluta.*

Tria quæruntur: 1mò. An Secramentum sub conditione validè conferatur; 2dò. An licitè; 3tiò. An conditionem exteriùs exprimi necesse sit. CON-

* *3. p. q. 64. art. 8.*

CONCLUSIO I. Valet Sacramentum, collatum ſub conditione de præterito, aut de præſenti, ſi purificata ſit conditio; at non valet collatum ſub conditione liberè futura, niſi fortè in caſu Matrimonii; de quo alibi.

Prob. 1. pars: Valet Sacramentum collatum abſolutè: atqui Sacramentum ſub conditione de præterito, aut de præſenti collatum, confertur abſolutè, ſi conditio purificata ſit, id eſt, ſi vel extiterit de facto, vel exiſtat actu; quia voluntas conditionalis, poſita conditione, tranſit in abſolutam. Hinc valent Baptiſmus & Pœnitentia, ſub his formulis collata: *Si non es baptiſatus, ego te baptiſo; Si vivis, ego te abſolvo*: poſito quòd infans baptiſatus non fuerit, aut pœnitens vivat.

Quòd ſi conditionis exiſtentia, naturaliter reſciri non poſſit; ut ſi dicat quis: *Ego te baptiſo, ſi ſis prædeſtinatus?* diviſi ſunt Theologi: undè iterari deberet Sacramentum, ſub ea conditione, ſacrilegè collatum, ſi ſit iterabile; qualis non eſſet Extrema-Unctio ſic collata, homini jam ſanato.

Prob. 2. pars: Si valeret Sacramentum, ſub conditione futura collatum, vel valeret dùm forma applicatur materiæ, vel cùm implebitur conditio; atqui - - - - Non 1. Quia Sacramentum non valet hîc & nunc, niſi adſit intentio illud, hîc & nunc, conferendi: ſed qui vult ſolùm abſolvere ſub hac v. g. conditione, ſi talis res furto abrepta reſtituatur ante finem menſis, non intendit, hìc & nunc abſolvere, ſed intentionem ſuam ad certum uſque tempus, ſuſpendit. Non 2. Quia nullum eſt Sacramentum, ſinè materia & forma: atqui cùm purificatur conditio, jam phyſicè deſierunt materia & forma.

Objiciuntur duo, 1. Validè quis abſolvitur à cenſuris, hac lege, ut intra certos dies ablata reſtituat; ergo & eadem lege, validè abſolvetur à peccatis; 2do. Se habet ſententia Miniſtri Pœnitentiæ, ut ſententia Judicis: atqui hæc ſubſiſtere poteſt, cùm conditione de futuro.

R. ad 1. neg. conſeq. Abſolutio à cenſuris, vim omnen habet, à voluntate abſolventis, unde ad eam, non requiruntur verba, nisì ut innoteſcat abſolventis intentio: at ſacramentalis abſolutio, tota conſiſtit in verbis à Chriſto inſtitutis, quorum efficaciam Miniſter ſuſpendere non poteſt.

R. ad 2. diſt. Se habet - - - - ut ſententia Judicis, quantùm ad aliquid, quia Pœnitentiæ Miniſter, Judicis officium exercet, C. Se habet quantùm ad omnia, N. Differt enim utraque, à ſe invicem ſententia, quòd Chriſtus ad Sacramentum concurrere voluerit materiam, formam, ſimulquè intentionem, quæ tria concurrere ſimùl non poſſunt, ubi habetur intentio Sacramen-

ti suspensiva usque ad positionem conditionis futuræ; quia dùm ista impletur, desierunt jam materia & forma: porrò nihil tale vel à Deo, vel ab humanis Legislatoribus, ad judicialis sententiæ valorem, præceptum est.

CONCLUSIO II. Non licet apponere Sacramentis conditionem de futuro; de præterito autem vel de præsenti, quandoque licet, quandoque non.

Prob. 1. pars: Non potest sinè gravi sacrilegio profanari Sacramentorum materia & forma: sed qui conditionem de futuro, quæcumque ea sit, apponit Sacramento, materiam ejus & formam profanat; quia hæc nulliter adhibet, ut statim dictum est.

Prob. 2. & 3. pars: Licet enim hac inter baptisandum formula uti, *Si non es baptisatus, ego te baptiso*; non licet verò ista uti, *Si es prædestinatus, ego te absolvo*; quia sic exponitur Sacramentum nullitati, quæ grave pœnitenti præjudicium ciere possit: cùm validè, & utiliter absolvi queat, etiam non prædestinatus.

Imò peccaret, qui absolvendo hominem, quem crederet dispositum, hanc apponeret conditionem, *Si es dispositus, absolvo te*: quia sinè causa recederet ab Ecclesiæ praxi, quæ hujusmodi conditiones, ablegat. Haùd tamen graviter peccaret, quia conditio hæc nihil mutat in re, sicque nec Sacramento nocet, nec suscipienti: cùm Sacramentum seclusa eadem conditione, prodesse non possit indispositо, aut eadem posita, non prodesse ritè disposito.

Hìc notand. 1mò. Non esse iterandum sub conditione Sacramentum, nisi post diligens examen, prout attentìs circumstantiis fieri potest; 2dò. Baptismum in dubio sub conditione iterandum esse: id enim jam à nono Ecclesiæ sæculo præscriptum est, in Capitularibus Caroli Magni. L. 6, c. 181. quod & sanxit sæculo XI. Alexander III. c. 2. *De Baptismo*; 3tiò. Cætera Sacramenta, quidquid contra reclament nonnulli, non secus ac Baptismum, sub conditione administrari posse; tùm quia id, & timoratorum usu, & Ecclesiæ praxi, satis hodie firmatum sit; tùm quia, qui infantem absolvit, sub hac conditione, *Si sis ratione sufficienti præditus*, Sacramento disertiùs consulit, verba nonnisi materialiter pronuntiando: quæ alioqui prolata absolutè adeòque & formaliter, Sacramentum efficient nullum, posito quòd puer necdum idoneus sit, eidem Sacramento.

Quòd autem objicitur, nullum apud Patres priorum septem Ecclesiæ sæculorum, extare vestigium formæ conditionalis; parum urget, 1mo. Quia postulabat horum temporum Religio ut

ſacramentales formæ, ac proin quæ iis annexa erant, ſilentio premerentur; 2dò. Quia cùm nemò ignoret, non poſſe ſinè irreverentia Sacramentorum incapaci ſubjecto conferri, vix unquam ignorari potuit, huic incommodo quoties verè immineret, per intentionem conditionatam occurrendum eſſe. Id tamen deinceps ſcriptum fuit, ut & ipſæ Sacramentorum formæ, licèt eædem vix ignorari poſſent. Et verò vel contendunt adverſarii malè ſancitum eſſe ut Baptiſma certis in caſibus ſub forma conditionali adminaſtraretur; vel non. Si 1. Eccleſiam totam à qua hæc hodie formula uſurpatur, redarguunt. Si 2. Dicant cur quòd in Baptiſmo, gravi de cauſa ob reverentiam peragitur, in Pœnitentia eandem ob cauſam, peragi non poſſit.

Porrò ex communi Theologorum ſententia, cum Sacramentum datur ſub conditione, non opus eſt, ut conditio voce exprimatur. Si tamen Baptiſma publicè conferatur in caſu dubio, exprimenda erit conditio in Rituali expreſſa, ne Miniſter Eccleſiæ legi deeſſe credatur.

CAPUT TERTIUM.

De cauſa materiali Sacramentorum.

MAteria Sacramenti eſt illud omne, quod cùm adhuc indeterminatum ſit ad eſſe Sacramenti, ſeù ad ſignificandam & producendam gratiam, indiget ab alio ad id, determinari. Forma verò eſt illud omne, quod materiam determinat ad eſſe Sacramenti. Sic in Baptiſmo, ablutio eſt materia, quia de ſe indifferens eſt ad lotionem corpoream, & ſpiritualem: hæc autem verba, *Baptiſo te*, prolata cum debita intentione ſunt forma, quia ablutionem aquæ determinant, ad lotionem ſpiritualem.

Dixi in utraque definitione, *illud omne*; quia licèt Sacramenti materia ſit aliquando res, ut aqua in Baptiſmo; aliquando non eſt niſi actio, ſeù miniſtrantis, ſeù ſuſcipientis Sacramentum, ut impoſitio manuum in Confirmatione, & actus pœnitentis in Pœnitentia. Sic quoque etſi forma ut plurimum ſita ſit in verbis, non tamen neceſſariò; cùm nútus, litteræ, & ſigna ſimilia, quæ ab Aug. * *verba viſibilia* nuncupantur, verborum & formæ vicem gerere poſſint in Matrimonio, juxta eos qui in mutua partium conſenſione, Matrimonii formam reponunt. His reſpectivè ſenſibus intelligendum quòd aït Eugenius

* *De Doctr. chri. c. 3.*

nius, Sacramenta *rebus*, *tanquam materia* perfici, & *verbis*, *tanquam forma*. Jam omissis in utilibus, expendendum 1mo. An quodlibet Sacramentum constet materia & forma; 2dò. An Christus Sacramenti cujusque materiam & formam determinaverit; 3tio. An forma Sacramentorum debeat esse concionatoria, an consecratoria; 4tò. An & quæ mutatio in materia aut forma, Sacramentum irritet.

ARTICULUS PRIMUS.

An Sacramentum omne materia & forma constet.

NEgarunt Paulitiani, qui circa an. 688. omnem à Sacramentis materiam eliminarunt, totamquè eorum virtutem, reposuerunt in verbis Christi; unde illos qui Evangelium reciperent, eò ipsò affirmabant baptisari, quia Dominus in Evangelio dixerit, *Ego sum aqua viva.* Sit

CONCLUSIO. Quodlibet Legis novæ Sacramentum, constat materia & forma.

Prob. 1mo. Ex citato jam Eugenii Decreto, ubi *omnia Sacramenta perfici* dicuntur *rebûs*, *tanquam materia*, *& verbîs*, *tanquam forma*, ità ut *si aliquot desit*, *non* perficiatur *Sacramentum.* Idem decernit Tridentinum, cùm suam unicuique Sacramento, assignat materiam & formam.

Prob. 2do. Ut Sacramentum omne, materia constet & forma, sufficit, ut in quolibet Sacramento extet aliquid, quod indigeat determinari, & aliquid, quod determinet; primum enim materiæ, secundum formæ rationem habet: atqui --- Sic in Baptismate ablutio, in Confirmatione, impositio manuum juncta unctioni, in Pœnitentia, actus pœnitentis, per verba determinantur, ad esse sacramentale; idem est de Sacramentis cæteris, ut videbitur in Operis decursu.

Obj. Eucharistia post prolata Consecrationis verba, remanet Sacramentum; ergo datur Sacramentum, quod non constet verbis ut forma. R. dist. conseq. Datur Sacramentum spectatum in *facto esse*, seù secundum esse permanens, quod verbis non constet, C. Datur Sacramentum *in fieri*, N. Hìc porrò non loquimur de Sacramentis, nisi prout perficiuntur, ac proinde solùm in fieri.

Materia Sacramentorum duplex; *remota* & *proxima*. Materia remota, est res vel actus sensibilis, cujus applicatione, (addi posset, vel destructione, propter Pœnitentiam) conficitur Sacramentum. Proxima verò est actio, quâ eadem materia remota applicatur. Sic in Baptismo, aqua est materia remota,

& ablutio quâ aqua hæc applicatur, materia proxima.

Quæres quomodo materia & forma sibi coexistere debeant, seù, ut breviùs áiunt, quæ debeat esse utriusque simultas. R. Requiri simultatem physicam in Eucharistia; in aliis verò Sacramentis, sufficere moralem, quæ tamen non sit eadem in omnibus.

Prob. 1. pars: Quia pronomina. *Hoc* & *Hic*, quæ Consecrationis formam ingrediuntur, verificari non possunt, nisi materia sit physicè præsens.

Prob. 2. pars, Quia in composito morali, quale est Sacramentum, sufficit simultas moralis. Unde si quis post factam ablutionem, chrismationem, aut unctionem, statim verba pronuntiet, valet Sacramentum; quia forma etiam tunc, censetur juxta communem usum, veraciter dici; sicut veraciter loqui censetur, qui priusquam bibat; àit, *Bibo*, *sanitati tuæ.* Equidem formæ istæ *Baptiso*, *signo*, &c. tempus præsens indicant: sed sua est, huic tempori latitudo, ità ut moraliter dicatur, id actu fieri, quod vel immediatè anteà factum est, vel post immediatè fiet. Quapropter nihil ad substantiam Sacramenti interest, an præcedat forma, an materia: quanquam postulat utcumque analogia, ut materiam sequatur forma; cùm hac, illam, oporteat determinari.

Prob. 3. pars, Quia formæ Baptismi, Confirmationis, Ordinis & Unctionis-Extremæ, longè breviori à materia intervallo sejungi postulent, quàm formæ seù Pœnitentiæ, seù Matrimonii. In Baptismo enim, &c. si quis abluerit, & post uuum *Pater* & *Ave*, dicat *Abluo te*, mentiri censebitur: quia verbum, *Abluo*, rem præsentem, aut quasi præsentem exigit, ut verificetur. Aliud est in Pœnitentia & fortè in Matrimonio, prout ibidem videbimus.

Cæterùm etsi in his quatuor Sacramentis physica simultas non est de necessitate Sacramenti, est tamen de ministerii congruitate, tùm ut serventur præscripta Ritualium; tùm ut occurratur scrupulis; tùm etiam ut consulatur certitudini Sacramentorum. Posset enim facilè fieri ut quam brevem judicas distantiam, & aliis videatur, & sit reapsè longior.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Christus Sacramentorum materias & formas determinaverit.

NAta est præsens quæstio ex eo præcipuè, quòd Sacramentum Ordinis non iisdem materia & forma à Græcis etiam Catholicis, conferri videatur, quibûs in Ecclesia Latina confertur:

tur:

tur: unde ſi unicam pro Sacramento Ordinis materiam ac formam inſtituerit Chriſtus, neceſſum eſt, ut è duabus Eccleſiis, quæ diſparibûs utuntur materiîs & formîs, alterutra careat vera Ordinatione, & ſic nec Epiſcopos habeat, nec Sacerdotes; quod grave eſt inconveniens. Si autem utraque in alia, & alia materia vel forma, validè conſecret; oportet ut vel Chriſtus diverſas pro diverſis Eccleſiis, materias & formas inſtituerit, quod multi abſurdum cenſent; vel unaquæque Eccleſia ſuam, ſaltèm de alterius primariæ conſenſu, ſibi formam & materiam inſtituerit: quod plures admitti debere credunt. Nè verò hinc concludatur, Sacramenta ab Eccleſia inſtituta fuiſſe, non à Chriſto.

Not. Materiam Sacramentorum, dupliciter à Chriſto inſtitui potuiſſe, 1mo. Ità ut determinata ab eo fuerit ſecundùm genus tantùm; putà ſi Chriſtus ſolùm præſcripſerit in genere, ut in tali, aut tali Sacramento, aſſumeretur ſignum aliquod exterius, idoneum ad ſignificandum hujus Sacramenti finem; 2do. Ità ut ab eo ſecundùm ſpeciem determinata fuerit; putà ſi Chriſtus hoc numero ſignum, expreſsè determinaverit, impoſita lege, eo ſemper utendi. His poſitîs,

Conſtat 1mo. Quorumdam Sacramentorum, materiam in ſpecie à Chriſto determinatam fuiſſe: putà Baptiſmi, qui ſola aqua; & Euchariſtiæ, quæ nonniſi pane & vino confici poteſt.

Conſtat 2do. Formas Sacramentorum, non determinatas fuiſſe materialiter, ſeù quò ad ſonum & idioma; cùm indubiè valeat Baptiſma, quocumque idiomate adminiſtratum; ſed ſolùm formaliter, ſeù quò ad ſenſum. Imò conſtat quoquè ſenſum hunc non ità certis verbis alligatum eſſe à Chriſto, ut non poſſit niſi certa verborum ſpecie reddi, in quacumque lingua; undè in Ordinatione voces, quæ materiam comitantur, etſi Latinos apud & Græcos, in idem recidunt, aliæ tamen ab aliis diſcrepant.

Conſtat 3tio. Fœdè allucinari Lutherum, cum L. de cap. Babylon. hæc ſcribit: *Non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius Miniſter, non det in nomine Domini, verè baptiſatum eſſe in nomine Domini.* 1mo. Quia alioqui, * *ſi quis dicat, Ego te baptiſo in nomine Lutheri, & Catharinæ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli, erit juxta Lutherum, verus Baptiſmus, modò qui ſuſcipit, accipiat in nomine Domini.* 2do. Quia reclamant Patres. Tertul. L. de Bapt. Lex inquit, *tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta; Ite ad omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris,* &c. Aug. L. 6. de Bapt. c. 25. *Certa ſunt verba Evangelica, ſinè quibus, non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Atque hinc ea ſollicitudo, quâ cautum eſt à Concilio Arelatenſi I. ut examinaretur ſedulò quibûs in Ba-

* *Bellarm. L. 1. c. 21.*

ptiſmate verbîs uſi eſſent Ariani. Quæſtio igitur eſt: an non etiam in ſpecie formas, determinaverit Chriſtus. Sit

CONCLUSIO. Probabiliùs eſt, Chriſtum cujuſvis Sacramenti materiam & formam determinaſſe, ſecundùm ſpeciem.

Prob. Vel Chriſtus materiam & formam ſacramenti cujuslibet determinavit in ſpecie, vel Eccleſiæ poteſtatem reliquit utriuſque determinandæ, quoties id ſibi æquum videretur: atqui Chriſtus poteſtatem hanc Eccleſiæ non reliquit. Alioqui enim poſſet Eccleſia materiam, quæ olim valida fuit, hodie irritare; & quæ olim irrita fuit, hodie facere validam, imò & eſſentialem: porrò nec ex Scriptura nec ex Traditione colligi poteſt, miram hanc & ſtupendam facultatem, Eccleſiæ impenſam fuiſſe. Undè interrogati adverſarii, ut vel unum ſeù ex novo Teſtamento, ſeù ex Conciliis, vel ex Patribus textum adducant in gratiam opinionis ſuæ, muti remanent, & elingues.

Confirm. Ex Tridentino * Eccleſia nihil poteſt in ſubſtantiam Sacramentorum: atqui ſi poſſet materiam ex valida, nullam facere, &c. jam non aliquid, ſed multùm poſſet in ſubſtantiam Sacramentorum. Quæ enim poſſet in partes intrinſecas Sacramenti, neceſſariò poſſet, in ejus ſubſtantiam: ſicut poſſet in partes intrinſecas hominis, qui efficeret ut compoſitum ex iis exurgens, jam non eſſet homo. Atqui Eccleſia poſſet in partes intrinſecas Sacramenti, &c.

Obj. Eccleſia defactò novam materiam, materiæ à Chriſto inſtitutæ ſubſtituit, in Ordinatione & Matrimonio. Nam primis ſeptem Eccleſiæ ſæculis, ſufficiebat in Ordinatione impoſitio manuum, eaque nunc ſufficit, apud Græcos. Pariter ante Tridentinam Synodum, ſufficiebat ad Sacramentum Matrimonii, conſenſus clandeſtinus: atqui nequè nunc in Ordinatione ſufficit impoſitio manuum; neque ſufficit ad Matrimonii valorem conſenſus clandeſtinus, prout Tridenti definitum eſt.

R. ad 1. neg. ant. ad 1. 2. neg. min. Vel enim ſola manuum impoſitio, nunc ut olim eſſentialis eſt Ordinationis materia, vel inſtrumentorum traditio, ſi hodie eſt, fuit & ab initio materia ejuſdem Ordinationis, ut in ipſo de Ordine Tractatu evincemus.

Ad 2. 2. diſt. maj. Ante Tridentinum contractus clandeſtinus ſufficiebat ad Matrimonium, quia tunc continebatur ſub contractu legitimo, idque liberè, non neceſſariò, C. Sufficiebat ratione ſui præcisè, & neceſſariò, N. Itaquè non quilibet contractus, eſt materia Matrimonii, ſed is ſolùm, qui legitimus fuerit, id eſt, nulla poſitiva authoritate irritatus: atqui nunc ut ante, contractus legitimus eſt materia Matrimonii; ergo nunc eadem eſt, quæ ſemper fuit materia Matrimonii. Fecit quidem

* *Seſſ. 21. cap. 2.*

dem Ecclesia, ut quòd antea erat contractus legitimus, jam non sit legitimus, ac proinde ut jam in materiam assumi non possit; sed non ideò magis mutavit materiam Matrimonii, quàm qui ex vino facit acetum, materiam mutat Eucharistiæ.

Inst. Qui facit ut materia quæ valebat ad Sacramentum, jam non valeat; mutat materiam Sacramenti: atqui ex modò concessis, facit Ecclesia, &c.

R. 1mo. neg. maj. ad sensum objectionis: aliàs qui ex vino acetum facit, materiam Eucharistiæ mutaret; is enim facit ut materia quæ ante valebat, jam valere non possit.

R. 2do. dist. maj. Qui facit, ut materia quæ valebat, jam non valeat, qui inquam hoc facit, materiam eamdem retinendo, C. Qui facit materiam hanc destruendo, N. Itaquè qui facit ut materia, quæ in priori suo esse perseverat, jam minimè idonea sit Sacramenti materia, mutat ejusdem Sacramenti materiam. Sic qui faceret ut aqua, Baptismi, & vinum, Eucharistiæ materia non essent, is utriusque Sacramenti materiam mutare diceretur: verùm non ità est de eo, qui solùm materiam aufert & destruit; cùm nullibi voti materiam mutare dicatur, qui aufert ab alio calicem, quem is certa die, dandum voverat. Porrò Ecclesia facit quidem ut consensus clandestinus desinat valere; quia facit ut jam non sit contractus legitimus: sed nec facit, nec facere potest, ut contractus qui manet legitimus, non sufficiat ad valorem Matrimonii; quia neque hoc ipsa unquàm intendit, nec id intendendi potestatem recepit à Christo.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ mutatio in materia vel forma, Sacramentum irritet

NOt. Materiam mutari posse. vel *substantialitèr*, cùm ex communi hominum judicio non censetur eadem esse, quam instituit Christus, seù quò ad speciem; seù quò ad usum; vel *accidentalitèr*, cùm etsi in nonnullis ab ea discrepet, quàm Christus instituit, ejusdem tamen manet cum illa rationis. Pari ratione mutatur forma *substantialitèr*, cùm non idem remanet verborum sensus: *accidentalitèr* verò, cùm idem manet. Sit

Conclusio I. Mutatio substantialis materiæ, vel formæ, Sacramentum perimit; non accidentalis.

Prob. 1. pars: Quod tollit partem intrensecam Sacramenti, tollit Sacramentum: atqui mutatio substantialis, seù materiæ, seù formæ, tollit - - - sicut hominem tollit, qui corpus tollit vel animam.

Prob. 2. pars: Quia mutatio, eò ipso quò merè est accidentalis, Sacramentum relinquit integrum.

Cavendum tamen, accidentalem videri posse, quæ mutatio sit substantialis, relativè ad institutionem Christi. Sic licèt idem esse videatur Baptisma collatum in nomine Trinitatis, cum eo, quod confertur in nomine Patris, & Filii, &c. haùd tamen valet Baptisma simpliciter collatum, in nomine Trinitatis.

Ex dictis colliges, 1mo. Eum qui glacie uteretur ad Baptismum, aut massa cruda ad Eucharistiam, nihil effecturum esse; quia etsi glacies ab aqua, penes speciem physicam non differre supponatur, differt tamen specie morali: hæc autem in Sacramentis, utpote quæ sint entia moralia, potissiùm considerari debet; 2do. Non stare Sacramentum, si materia ejus eò usque alteretur, ut moraliter desinat esse id quod priùs. Sic qui consecrando vino tantùm immiscet aquæ, ut jam usuale vinum reputari nequeat, subvertit materiam consecrationis, quæ verô vinô perfici debet.

Longè faciliùs obrepit mutatio in formam, idque sex præcipuè modis, quos quis sic expressit:

Nil formæ demas, nil addas, nil variabis:
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

1mò. Itaque forma mutatur, verbi alicujus subtractione; eaquè subtractio Sacramentum perimit, vel non, prout sensum perimit vel conservat. Undè si quis in Baptismo demat voculam, *Baptiso*, vel *te*, non stabit Baptismus: sicut nec Pœnitentia, si dicat solùm, *absolvo*; quia Baptismus & absolutio, ordinantur ad subjectum certum, cui materia vel forma, applicari debet. Si verò in Baptismo dematur solùm vox, *ego*, vel in consecratione particula, *enim*, nihil utrique Sacramento decedet; quia formæ sensus, subsistet integer.

2dò. Mutatur forma, additione extranei verbi unius vel multiplicis: & tunc valet aut deficit Sacramentum, prout additio debitum sensum servat, aut corrumpit. Undè nihil conficies si dicas vel cum Eunomianis,* *Baptiso te in nomine Dei increati, & Filii creati*, &c. vel cum Arianis, *In nomine Patris majoris, & Filii minoris*, &c. quia sic tollitur, Personarum æqualitas, & fides Ecclesiæ in qua dantur Sacramenta. Idem erit, si dixeris, *In nomine Patris, & B. Mariæ, & Filii*, &c. quia sic conferri videtur Baptismus, in nomine creaturæ, perindè ac in nomine Trinitatis.

De Baptismate sub hac collato formula, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. & B. Virginis*, statuit S. Thomas illud invalidum esse,** *si sic intelligatur in nomine B. Virginis* conferri, *sicut in nomine Trinitatis*; quia *talis sensus*

* *Epiph. hær.* 75. ** 3. *p. q.* 60. *art.* 8.

sus esset contrarius veræ fidei: validum verò, *si sic intelligatur, non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptisato ad conservandam gratiam baptismalem.* Hæc opinio quam tenent plures, practicè probabilis videtur: si cui tamen, ut Tournelyo, videatur hæc dubia, repetat is, talem Baptismum sub conditione. Profectò peccaret gravitèr, qui hoc baptisaret modo, nisi ignorantia, vel bona fides excusaret.

Per contrariam rationem non perimitur forma, additione accidentali; unde validè quis baptisaverit *in nomine Patris omnipotentis, Filii ejus unigeniti, & Spiritûs Paracleti.* Item si pòst ultima verba formæ, hæc addat: *& B. Virgo te adjuvet.* Idem est, si quis hîs consecret verbîs: *Hoc est corpus meum, sanctum,* vel *pro humano genere crucifixum:* secùs, si hâc utatur formulâ, *Hoc est corpus meum àèreum:* quia vox *àèreum,* alienat vocem *corpus,* à propria significatione, quam intendit Christus; saltèm si adjungatur formæ tanquam determinativa ejus, ità ut ex primaria loquentis intentione, præcedentia verba, per subsequentia restringantur. Et verò licèt certum sit, nullo prorsùs interiori errore violari veritatem Sacramenti, ritu legitimo celebrati, secundùm id Augustini L. 4. de Bapt. c. 15. *Ad Baptismum qui verbîs Evangelicîs consecratur, non pertinet cujusquam vel dantis, vel accipientis error;* constat tamen non perfici Sacramentum à Ministro, qui errorem, vel alienum ritum, inducere vult; cùm ex hac prava intentione, sensus formæ ex ambiguo, determinatur ad sensum, sensui Ecclesiæ contrarium. Hinc consultus Zacharias Papa de Sacerdote, qui *Latini eloquii* planè *nescius, infringens linguam, dicebat: Baptiso te, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta,* respondit: * *Si ille qui baptisavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola, ignorantia Romanæ locutionis,* sic dixerit, *non possumus consentire, ut denuò baptisentur.*

Sed quid, si Minister erret circa termini sacramentalis significationem; putà si falsò existimet voculam *hic* in consecratione calicis; esse adverbium locale? Censet Lugo nihil hinc deperire consecrationi; quia Minister, qui supponitur veram habere intentionem faciendi id, quod instituit Christus, vult significare id, quod Christus significari voluit, etiamsi illud malè concipiat.

3tiò. Mutatur forma, per variationem vocum. Si voces varientur tantùm quò ad idioma, stabit Sacramentum: undè valet Baptisma, seù latinè, seù vernaculè proferas formam ejus: imò si quis latinè nesciat, vel malè loquatur

* *Dist. 4. De consecr. cap. 26.*

satiùs erit juxta S. Antonin. ut patrio idiomate baptiset, nisi solemniter baptiset. Stabit etiam Sacramentum, si pro voce adhiberi solita, vocem usurpes synonymam. Undè si quis pro *absolvo te*, dicat, *Remitto tibi peccata tua*, vel pro *Hoc est*, &c. *Istud est, Corpus meum*, Sacramentum perficitur. Idem est, juxta S. Antoninum,* si pro *Baptiso*, vel *absòlvo te*, dicas, *Baptiso*, vel *absolvo vos*, vel *Majestatem vestram*. Denique si cum Latinis absoluta verba usurpes, in forma Pœnitentiæ, vel deprecativa cum Græcis, nihil periclitabitur Sacramentum: quia utrobique idem est quò ad substantiam verborum sensus.

At verò *mutatio quæ tollit sensum, tollit rationem Sacramenti*.** Hinc si quis in Pœnitentia dicat *Abluo te à peccatis*; in Baptismate, *Mundo te ab originali peccato*, nihil conficietur; quia mutabitur principalis formarum significatio. Abluo enim à peccatis, non exprimit sententiam judicialem, quæ à Ministro proferri debet. Mundo ab originali noxa, non exhibet, modum ablutionis; mundari enim quis potest, nec mundari per ablutionem.

4tò. Mutatur forma, transpositione verborum, quæ cùm sensum aufert, Sacramentum tollit, aliàs non. Undè valet Baptismus sub hac datus forma. *In nomine Patris*, &c. *baptiso te*. Valet & hæc Eucharistiæ consecratio, *Hoc est meum Corpus*, *Hic est Sanguinis mei calix*, non ista, *Meum est hoc Corpus*; quia prima dicendi ratio, sensum servat, secunda nequaquam; qui enim dicit, *Meum est, hoc Corpus*, indicat tantùm Corpus Christi, ad Christum pertinere; qui verò dicit, *Hoc est corpus meum*, indicat id, quod nondùm est corpus Christi, fieri Corpus Christi, undè vox *Hoc*, confusè indicat aliquid, quòd ex pane efficitur corpus.

5tò. Mutatur forma, per corruptionem terminorum; quæ si tanta sit, ut verborum sensum destruat; cadet Sacramentum; ut si quis dicat, *Baptiso te in nomine Matris*, &c. Si autem corruptio, etsi gravis relativè ad vim, quam termini primitùs habent, non noceat usuali eorum significationi, non desinet Sacramentum perfici, ut patet de Baptismo, *In nomine Patria*, & *Filia*, &c.

6to. Mutari potest formæ sensus, per interruptionem, quâ tollatur moralis continuitas actûs, & intercipiatur intentio Ministri. Undè si quis post prolata hæc verba, *Ego te baptiso in nomine Patris*, ad aliud se convertat tandiù, ut posteriora verba, cum prioribus moraliter non connectantur, Sacramentum efficiet tantò incertiùs, quantò fuerit prolixior mora. Secùs, si tussiat, sternutet, silentium imperet, &c.

Con-

* *L. 1. c. 4. a. 2. n. 6.* ** *S. Thomas 3. p. q. 60. art. 8.*

Conclusio II. Qui Materiam aut Formam Sacramenti cujuslibet substantialitèr immutat, lethaliter delinquit: qui verò accidentalitèr, peccat aliquando mortalitèr, aliquando non.

Prob. 1. pars: Quia gravem Sacramento injuriam, & grave suscipiendi damnum infert, qui substantialitèr formam aut materiam immutat: cùm utraque necessaria sit, necessitate Sacramenti. Hinc illud S. Basilii L. de Spiritu S. c. 12. *Quidquam addere, aut detrahere* Sacramentis, *planè* est *ab æterna vita excidere.*

Idem est si quis citra necessitatem conficiat Sacramentum in materia aut forma dubia, vel solùm probabili. Is enim & religionem violat, ob illatam rei sacræ injuriam; & charitatem proximo debitam; & justitiam, si ex officio Sacramenta administrare teneatur, vel ad ea administranda dolosè se ingerat. Quòd si quis sinè negligentia gravi, sed ex repentino casu, prædicta invertat, vel non erit peccatum, vel leve erit. Etsi autèm facilè excusatur laicus, qui in necessitate baptisans, formam, cujus oblitus est, pervertit, haùd tamen eadem de causa, excusantur obstetrices, quæ cùm similes in casus sæpè incidant, tenentur ex officio formam Baptismi callere.

Prob. 2. pars; Quia fieri potest, ut mutatio accidentalis, attenta consuetudine, Ecclesiæ præcepto, Sacramenti dignitate, circumstantiarum natura &c. gravem quandoquè, quandoque levem deordinationem importet. Atque hinc peccat lethaliter 1mo. Græcus in azymo, Latinus in fermentato pane consecrans; 2do. Qui parum aquæ non immiscet, consecrando vino. 3tio. Qui gallicè pronunciat consecrationis formam, vel hæc omittit verba, *novì & æterni Testamenti.* Leviter verò, seclusìs scandalo & contemptu peccaret, qui voculam *Ego* à forma Baptismi, *In nomine Patris*, ab absolutione, tolleret.

ARTICULUS QUARTUS.
An Forma Sacramentorum sit consecratoria?

Verba quæ in conficiendis Sacramentis adhibentur, possunt esse vel *promissoria*, quæ divinas promissiones in animum revocant, qualia possunt hæc esse: *Qui manducat meam carnem, vivet in æternum;* vel *concionalia*, seù *instructiva*, quæ alta voce prolata, excitant fidem suscipientis, aut saltèm excitare possunt; vel demùm *consecratoria*, seù *benedictionis*, per quæ materia Sacramenti benedicitur, & ab usu vulgari, ad sacrum traducitur; sitquè idonea ad effectum, quem Christus ab ipsa produci voluit.

Jam quæritur, utrùm deficiente verbo promissorio, vel concionali, deficiat aliquid, undè Sacramentum saltèm illegitimè administretur. Asserunt Protestantes, contra quos sit

Conclusio. Verba Sacramentorum, verè sunt consecratoria, non concionatoria.

Prob. 1. Si quæ in verbis sacramentalibus requiratur concio, vel ad essentiam Sacramenti, vel ut Sacramentum debitè administretur: atqui neutrum dici potest. Non 1. alioqui enim, invalida essent Ecclesiæ Romanæ Sacramenta; utpotè quæ sinè concione prævia, administrentur: atqui tamen valent prout tùm verbis, tùm propria sua agendi ratione docuit Calvinus, qui in Ecclesia Romana baptisatus, nunquàm novo tingi Baptismate curavit. Non. 2. ritè enim confertur Baptismus à solo Ministro, infanti, vel amenti soli: atqui tamen nulla hìc babetur concio; cùm hanc nec ad se ipsum Minister, nec ad infantem aut fatuum, habere possit.

Prob. 2do. Verbum consecratorium est illud, quod applicatum materiæ, eandem ità facit è communi sacram, ut statim per se, effectum suum parere nata sit; atqui tale est verbum sacramentale. Prob. min. 1mo. ex S. Irenæo. L. 5. c. 2. *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi*; 2do. ex S. Aug. L. 6. de Bapt. c. 25. *Deus adest Evangelicis verbis suis, sine quibus, Baptismus consecrari non potest; & ipse sanctificat Sacramentum suum, ut homini - - - - valeat ad salutem.* Undè sic: Illud verbum materiam è profana facit sacram, & ad producendos suos effectus habilem, quô positô, panis fit Corpus & caro Christi; aqua verò ad salutem valet: atqui ex citatis Patribus, quibus congruunt cæteri, positô verbô, panis communis fit caro Christi, &c.

Prob. 3tio. Idem sit de cæteris Sacramentis judicium, ac de Baptismo: atqui Baptismi forma verè est consecratoria, non concionalis. Hæc enim verba: *Ego te baptiso in nomine*, &c. non sunt concionalia, ut per se patet; aut si concionalia sint, desinant Novatores in Ecclesiam Romanam invehi, quasi quæ sine concionali verbo Sacramenta administret.

Obj. 1mo. Præscripsit Christus ut Sacramenta per doctrinam, unà cum verbis consecratoriis conferentur. *Ite*, ait, Math. ult. *Docete omnes gentes, baptisantes eos*, &c. undè Apostoli neminem, nisi priùs decenter instructum baptisarunt. R. ad 1. neg. ant. Præcepit quidem Christus ut non baptisarentur Gentiles, nisi priùs Christianam legem edocti; & hoc fecit semper, semperque faciet Rom. Ecclesia, longè meliùs quàm Calviniana,

na, quæ nisi blasphemias quibûs turget, docere nequit. At non præcepit Christus ut in ipsâ Sacramenti actione, necessariò præmitteretur concio doctrinalis, imò contrarium præcepit, cùm voluerit baptisari infantes, qui aliquando quidem doceri poterunt, si vivant; sed actu doceri non possunt.

Obj. 2do. S. Ambrosius, Lib. de initiandis, c. 3. sic loquitur: *Aqua sinè prædicatione Dominicæ Crucis, ad nullos usus futuræ salutis est:* sed quod sine prædicatione, ad nullos salutis usus inservit, sinè prædicatione, malè administratur. R. dist. maj. Aqua baptismalis ad nihil inservit sinè Crucis prædicatione, quæ fiat opere & consecratione, C. Sinè prædicatione, quæ fiat verbô & concione, N. Crucis prædicatio fieri potest verbô, vel opere. Crux prædicatur verbô, cùm populus efficaciam Crucis edocetur. Crux prædicatur opere & factô, cùm efficitur aliquid, quod à Cruce vim suam trahit: sic porrò Crucem prædicant Ecclesiæ Ministri, cùm certos faciunt ritus, qui efficaciam suam trahunt à Cruce. Jam verò Ambrosius loquitur, de postremo hoc prædicationis genere. Sic enim pergit: *Ea,* de qua loquor, *prædicatio, est invocatio S. Trinitatis, nam hæc ut applicatur Baptismo, Crucis efficacitatem commendat.*

Obj. 3tio. id S. Aug. Tract. 80. in Joan. n. 3: *Undè ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus; quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus - - - salvus eris.* Undè sic: Verbum de quo loquitur Aug. est verbum sacramentale: atqui idem verbum, est verè verbum concionale. Verbum enim quod Paulus prædicabat, est verbum concionale: atqui verbum de quo loquitur Augúst. id ipsum est, quod Paulus prædicabat. R. dist. maj. Verbum de quo loquitur Aug. verbum inquam aliquod, est sacramentale, C. Verbum omne, N. Itaquè mens Augustini est ut probet, hominem sivè in Sacramento mundetur, sivè extra Sacramentum, semper mundari per verbum Dei. Hìnc non omnes textus quibûs utitur, verbum sacramentale indicant, sed alii verbum concionale, quod á Christo & Paulo prædicatum est; alii verbum, quo ad elementum accedente, fit Sacramentum; & hoc vel ipsi Calviniani, pro merè consecratorio, habere debent; alioqui enim necessum est, ut fateantur sublata concione, tolli Sacramentum, prout sublatô verbô, Sacramentum tolli, meramque aquam remanere, docet Augustinus: atqui tamen hodie negant Calviniani Sacramentum tolli, cùm tollitur concio; cùm Amesius eam solùm *ad meliùs esse* necessariam credat; ergo.

Inst.

Inſt. Verbum quod operatur, *non quia dicitur*, *ſed quia creditur*, ac proin annuntiatur, eſt concionale: atqui ex Aug. verbum quo ad elementum accedente, fit Sacramentum, adeòque verbum ſacramentale, operatur, *non quia dicitur*, *ſed quia creditur*. R. diſt. min. Verbum ---- operatur non quia dicitur, id eſt, non propter ſonum purè materialem, qui ſolo ſenſu percipitur, ſed propter virtutem ſibi inditam, quæ ſola fide percipi poteſt; vel propter ipſius Eccleſiæ fidem, quæ per verbum illud, juſtificationem conferri credit, C. Verbum operatur non quia dicitur, ſed quia creditur, quaſi ad ejus operationem requiratur concio fidei excitativa, vel ipſa fides ſemper N. Itaque, *in ipſo* Sacramentorum *verbo*, *aliud eſt ſonus tranſiens*, *aliud ſenſus manens*, prout loquitur ibid. Auguſt. Sonus tranſiens per ſe, & ſecluſa Eccleſiæ fide, nihil operatur ad ſalutem. Undè ſi per impoſſibile, non crederet Eccleſia, formam Sacramenti eſſe ex divina virtute juſtificativam, infidelis etiam intendens facere, quod facit Eccleſia, non baptiſaret defectu intentionis. Verùm etſi neceſſe ſit, ut in Eccleſia exiſtat fides, quâ credatur virtus ſignis ſenſibilibus à Chriſto indita; haùd neceſſe eſt, ut fides illa in adminiſtratione Sacramenti, per concionem exponatur. *Hoc* enim *verbum fidei tantùm valet in Eccleſia Dei*, *ut mundet infantem*, *quamvis nondùm valentem corde credere ad juſtitiam*, *& ore confiteri ad ſalutem*; ait ibid. Auguſt.

CAPUT QUARTUM.

De Subjecto Sacramentorum.

QUatuor in præſenti expendenda veniunt, 1mo. An ad validam Sacramenti receptionem, neceſſaria ſit ejuſdem ſuſcipiendi voluntas; 2do. Quæ ad idem fructuosè percipiendum, deſiderentur diſpoſitiones; 3tio. An qui cum obice Sacramentum recepit, ejuſdem gratiam ſublato tandem obice, recuperet; 4tò. An & cui peccatori, negari poſſint Sacramenta.

ARTICULUS PRIMUS.

De intentione ad Sacramenti receptionem, neceſſaria.

COnſtat, 1mo. Nullam in parvulis, aut perpetuò amentibus, requiri intentionem, ut validè recipiant Sacramenta Baptiſmi,

ptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ; de quo alibi; 2do. Ad validam Euchariſtiæ receptionem, nullo opus eſſe interiori conſenſu; quia cùm Sacramentum illud, habeat eſſe permanens, ſubſiſtit ubicumque reponitur; etſi nullum, niſi in ritè diſpoſitis, fructum pariat. Quæritur itaque an in adulto ad validam receptionem Sacramenti in uſu poſiti, requiratur interior ejuſdem Sacramenti recipiendi intentio, & qualis hæc eſſe debeat. Sit

CONCLUSIO I. Invalidè Sacramenta recipit adultus, ſeù omninò reluctans, ſeù merè negativè ſe habens.

Prob. 1. pars: contra Gloſſam: 1mo. ex Innocentio III. cap. 3. *De Bapt.* ubi ſic: *Ille qui nunquam conſentit, ſed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti.* Meritò igitur juſſit Gregorius XIII. expungi Gloſſam, quæ aſſerens *valere Sacramentum ab eo, qui corde diſſentit, modò dicat ore, ſe conſentire,* non tam Innocentii textum interpretabatur, quàm ſubvertebat.

2do. Gravis obligatio, nemini prorsùs invito imponi poteſt, atqui Baptiſmus & Ordo, gravem imponunt obligationem; ergo neutrum hoc, recipi poteſt ab invito. Et verò ſi valeret Batiſma collatum invitis, ii *ſaltèm ratione Sacramenti, ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent: undè ad ſervandam regulam fidei Chriſtianæ, forent rationabiliter compellendi:* atqui, *id eſt Religioni Chriſtianæ contrarium*; ergo. Ità Innocent. III. cit. cap.

Prob. 2. pars, contra Cajetanum, 1mo. ex S. Aug. qui L. 4. de Bapt. c. 24. *Ideò,* áit, *cùm alii pro* parvulis *reſpondeant --- valet utique ad eorum conſecrationem* Baptiſmus, *quia ipſi reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet:* atqui non reſpondet pro ſe, qui negativè ſe habet. Is enim nec pro ſe facit, ne contra ſe.

Prob. 2do. ex Rituali Rom. ubi vetat Paulus V. nè adultus, qui in amentiam, ſubitumvè morbum inciderit, baptiſetur, niſi priùs, cùm ſui compos erat, Baptiſmum expetierit.

Hùc faciunt rationes, pro prima Concluſionis parte adductæ: non enim magìs decet ut nullatenus volenti, quàm ut invito, grave onus imponatur.

Obj. 1mo. S. Aug. Lib. 4. Confeſſ. c. 4. narrat amicum ſuum, cùm diù ſinè ſenſu jacuiſſet, baptiſatum fuiſſe: atqui tamen is, Baptiſmum non expetierat. Imò, ait Aug. *à fide vera deflexeram eum in ſuperſtitioſas fabellas, & pernicioſas.* R. neg. min. Et dico, Auguſtini amicum, etſi nonnihil ab eo corruptum, probabiliter expetiiſſe Baptiſma, ſaltèm cùm ſenſit ingruere morbum, qui ſerium quid protenderet. Et verò Baptiſmus ille grandes in amico Auguſtini effectus peperit, ut ibid. videre eſt: atqui ex adverſariorum confeſſo, Baptiſma no-

nolenti collatum, nullos præter characterem effectus parit. Objectionem ex ordinatione invitis collata, expendam suo loco.

Obj. 2do. Qui vult tantùm materialem Sacramenti ritum recipere, non habet veram Sacramenti suscipiendi intentionem; ut patet ex suprà dictis: atqui tamen is verè Sacramentum recipit. Alioqui enim censuris plecti non posset: atqui tamen plectitur; ergò. R. ad 1. neg. min. ad 2. dist, maj. Plecti non posset, si constaret de fictione, C. secùs, N. Si constaret Ecclesiæ quempiam fictè solùm sacro se ritui subjecisse, jam eum censuris plectere non posset; quemadmodùm si constaret aliquem intùs, dissensisse à votis, quæ ore protulit, nihil jam ei in vim sanctæ obedientiæ, præcipi posset à Superioribus. Quoniam verò moris est eorum, quos tædet jugi, interiorem, quem re ipsâ non habuerunt, dissensum allegare, ideò Ecclesia, non secùs ac Respublica sæcularis, huic insistit regulæ juris: *Qui tacet, consentire videtur*, undè agit ex suppositione præstiti veri consensûs, donec eum defuisse probetur. Si tamen, quod hodiè rarum est, ageretur de Baptismo, conferendus iterum foret, sub conditione ob dubium.

Conclusio II. Ut quis Sacramenta quædam validè recipiat, non requiritur actualis, aut virtualis intentio, sed sufficit quandoque habitualis, vel interpretativa.

Prob. Quia ex Conciliis, & Ritualibus, baptisari debent moribundi sensu destituti, si anteà Baptismi desiderium exhibuerint, atqui tamen in hujusmodi personis, nulla est intentio actualis, aut virtualis propriè dicta, sed solum habitualis; ergo hæc ad Baptismum sufficit, & pari jure, ad Confirmationem. An ad Eucharistiam, Pœnitentiámvè, aut Extremam-Unctionem sufficiat, suis in locis discutiemus.

Quæres, an muti & surdi à nativitate, baptisari possint. Respondet Gibert,* enitendum esse, omni quâ fieri potest viâ, ut id genus homines legem Christi edoceantur & eam, per exempla quæ potentiùs movent, in praxim redigere assuefiant: tùm ubi quid sit Baptismus, etsi imperfectè admodùm, didicerint, baptisentur: quia plenior & magis explicita fides, non est necessaria iis, qui ejusdem habendæ, incapaces sunt. Addit idem, haut denegari debere cætera, præter Ordinem Sacramenta, mutis, qui jam tincti fuerint; tùm quia ad ea jus habent vi jam recepti Baptismatis: tùm quia, hæc ad piè vivendum necessaria sunt.

Imò sunt, qui surdum, mutum, & cæcum ab infantia, baptisari velint, sub conditione *si es capax.* Nempè inquiunt: & hujus quoque salutem vult Deus, & consequenter gratias largitur

* *T.* 10. *Cons.* 27.

largitur, vi quarum mutus iste & generatim velle possit quidquid ad hanc salutem necessarium est, & de commissis à se peccatis sincerè conteri; porrò cùm incertum sit: an non sufficiat hæc voluntas ad Baptismi validitatem, & in extremis, extrema tentanda sint, quidni fiat erga miserum, quod nocere nequit, & prodesse potest? Quoniam tamen haud sufficit homini, ut intus illustretur ab eo qui *illuminat omnem hominem*; expenderem ego, an ii de quibus agitur, divinæ gratiæ obtemperent; an non passim agant ut equus & mulus, quibus non est intellectus; unô verbô: de arbore judicarem ex fructibus: neque opimos exigendo, quos solus Christianus ferre possit; neque eos admittendo, qui nonnisi vitiatum fundum redoleant.

ARTICULUS SECUNDUS.
De dispositionibus ad Sacramenta necessariis.

SAcramenta vel sunt *Mortuorum*, quæ conferunt gratiam primam, id est, quæ hominem transferunt à statu injusti, ad statum justi; vel *Vivorum*, quæ gratiam secundam largiuntur, seù hominem ex justo, faciunt justiorem. Jam quæritur, 1mo. An ad validam Sacramenti receptionem requiratur fides; 2do. An ad fructuosam ejus receptionem, necessariæ sint præviæ ex fide ac pietate dispositiones. Sit

CONCLUSIO I. Ad recipienda cætera, præter Pœnitentiam, Sacramenta, non requiritur fides.

Prob. 1. pars, tùm quia non magis necessaria videtur fides in recipiente, quàm in Ministro; tùm quia nullibi repetitur Baptisma collatum Anabaptistis, etsi ii jam adulti, adeòque jam à vera fide devii baptisentur; tùm quia id expresè docet Aug. Lib. 3. de Bapt. c. 14. ubi sic: *Fieri potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.*

Prob. 2. pars, quia ad pœnitentiam prærequiritur contritio saltèm imperfecta: atqui hæc sinè fide, subsistere non potest; ergo.

Obj. 1mo. Conc. Arelat. I. Can. 8. statuit, *ut Afri in Ecclesiam redeuntes, denuo baptisentur, si interrogati non responderint Trinitatem*; ergo fides Trinitatis ad validam Sacramenti receptionem necessaria est. R. dist. ant. Si non responderint Trinitatem, id est, si non responderint se in nomine trium Personarum fuisse baptisatos, C. Id est, si circa Trinitatem errare deprehendantur, N. Imò, aiunt Patres, *si perviderint eum, in Patre, & Filio, & Spiritu S. baptisatum esse, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Cæterùm iis temporibus ex fide baptisati plerumque colligi poterat, an ritè

baptisatus esset; quia qui alieno ritu baptisabant, malè Neophytos suos erudire consueverant.

Obj. 2do. Id Aug. Lib. 7. de Bapt. c. 53. Valet Baptisma *receptum sinè simulatione & cum aliqua fide*; ergo non intentio solùm, sed & fides ad Sacramenti valorem requiritur. R. dist. ant. Valet cum aliqua fide, latiùs aut strictiùs sumpta, C. Cum aliqua fide sumpta strictiori sensu, N. Equidem ad valorem Baptismi requirit Aug. ut qui eum recipit, aliquid de eo credat; puta ut credat ritum hunc, à Christo institutum esse, aut saltèm pro ritu religioso haberi apud Christianos. At non requirit fidem Theologicam; cùm sciret & illam non vigere apud Arianos, & Arianos pro validè baptisatis haberi ab omnibus Christianis, præter Donatistas. Ecqui aliud sibi velle possunt nitida hæc ejus verba: *Fieri potest ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.* Ubi voces: *Integrum Sacramentum*, validitatem Sacramenti exprimunt, non autem ejus effectum; quia in eo qui fidem non habet, *vacuum est omne mysterium*, ut docet S. Ambrosius L. de Spir. S. cap. 3.

Conclusio II. Ut Sacramenta vivorum cum fructu recipiantur, prærequiritur gratia sanctificans.

Prob. Quia cætera, præter Baptismum & Pœnitentiam, Sacramenta, ideò vivorum Sacramenta dicuntur, quia vitam spiritualem supponunt; quod utrùm quò ad Unctionem-Extremam restringi debeat, alibi discutiemus.

Hinc mortalis sacrilegii reus est, qui ad hujusmodi Sacramenta accessurus, dispositiones pro gratia habituali comparanda, requisitas omittit. Excipiunt quidem aliqui casum in quo summa necessitas, non permittit tempus debitæ contritioni; ut si Parochus nè infamiam incurrat, Missam celebrare hìc & nunc teneatur; aut Sacerdos Hostiam deglutiat, ne hanc Calviniani in cloacam projiciant. Verùm & in his quoque casibus, ei qui sentit se etiamnum adhærere gravi peccato, arbitramur à re sacra abstinendum esse. Ecquis Parochum ab incestu recentem, illicò ad aram conscendere sinat, quia alioqui emicabunt populi oblocutiones? Quòd si quis in alia hypothesi sentiat se ritè contritum, poterit aliquando rem sacram facere, etsi à Confessario, qui ex fructibus judicare vult, absolvi nondum possit. Quòd spectat ad secundum Hostiæ profanandæ casum, nulla respectu Christi impurior est cloaca, quàm cordis lethali peccato sordidi.

Sed nùm confiteri debet, si potest, qui reus lethalis culpæ accedere debet ad Sacramenta vivorum? R. affirmat. Et id quidem constat primò de Eucharistia, ob expressam Trid. sanctionem Sess. 13. c. 7. & Can. 11. Sed neque seria, quidquid o-

pinentur aliqui, de cæteris Sacramentis, poteſt moveri difficultas: 1mo. Quia ex Aug. *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, certis incerta præponere, certiſſimum* eſt *peccatum*: atqui certis incerta præponit, qui neglecto certo gratiæ per confeſſionem recuperandæ medio, dubium & arduum contritionis perfectæ iter arripit. *Quis* enim, ait Catechiſmus Trident. * *ignorat illam* quâ peccata delentur contritionem, *adeò vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas, cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit*: *At quoniam pauci admodùm ad hunc gradum perveniunt, &c.*

2dò. Quia Trid. Præviam Euchariſtiæ confeſſionem exigit, ut vitetur periculum indignæ receptionis: atqui ratio hæc pro aliis quoque Sacramentis valet. An enim quia hæc Euchariſtiæ inferiora ſunt, licebit ea profanandi periculo ſe objicere.

3tiò. Quia quod aiunt adverſarii confeſſionem non præcipi pro cæteris extra Euchariſtiam Sacramentis, falſum eſt. Sic enim habet Odo de Solliaco Pariſienſis Antiſtes: ** *Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur priùs, & poſtea confirmetur.* Idem tradunt plura Germaniæ, Angliæ, & Galliæ Concilia; putà Rothomagenſe an. 1581. Turonenſe & Remenſe an. 1583. Bituricenſe an. 1584, &c.

4tò. Quia nitidè ſcribit S. Antoninus, quòd Ordinandi *confeſſionem præmittere debeant, ſicut,* inquit, *fieri debet in omnibus Sacramentis, excepto Baptiſmo, quod eſt janua aliorum.* Eadem fuit Eccleſiæ Romanæ praxis, prout liquet ex Pontificali Romano. Quod ad Extremam-Unctionem attinet, hæc habentur in antiquo Codice Siculo ſex ſæculis antiquiori: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti.*

Objiciunt 1mo. Tridentinum non præcipere præviam confeſſionem, niſi reſpectu Euchariſtiæ: undè Seſſ. 24. c. 1. de Reformat. futuros conjuges hortatur quidem, ſed non obligat ad præmittendam Matrimonio confeſſionem; 2do. Rituale Pauli V. de Sacerdote Sacramenta adminiſtraturo, ſibique conſcio lethalis culpæ, iis ſolùm verbis loqui: *Si habeat copiam Confeſſarii, & temporis locique ratio ferat,* CONVENIT *confiteri,* quæ verba conſilium merum important; 3tio. Nullam eſſe ex Synodis antè citatis, quæ generalem in Eccleſia authoritatem habeat. Verùm abſit ut leviuſcula hæc, à tutiori parte retrahant nos in materia, quæ ad debitam Sacramentorum receptionem ſpectat. Undè

Ad 1. Trident. præviam ſuſceptioni Euchariſtiæ confeſſionem exigendo, non negavit eam cæteris vivorum Sacramentis, præmitti debere. Imò ratio cui innixa confeſſionem exigit ante

* *P. 2. c. 5. q. 32.* ** *Obiit an. 1196.*

te Eucharistiam, *nè scilicet tantum Sacramentum indignè, atque adeò in mortem* sumeretur, sat superque insinuat, ordinariam fidelium contritionem, haud sufficere ad vitandum morale periculum, recipiendi indignè Sacramenti; quæ utique ratio ut pro Eucharistia, sic & pro cæteris Sacramentis valet. Cæterùm ideò de Eucharistia tantùm, sermonem fecit sacra Synodus, quia inter articulos à Patribus commissos examini Theologorum, decimus iste fuit, * *Solam fidem esse sufficientem dispositionem ad Eucharistiam, neque ad id confessionem esse necessariam;* nulla verò ab hæreticis mota est quæstio, circa necessitatem confessionis præmittendæ aliorum Sacramentorum susceptioni.

Nec obest quod additur de Matrimonio: 1mo. Quia Trid. ibi generatim loquitur de iis omnibus, qui Matrimonio conjungendi sunt; porrò tàm certum est confessionem haud esse iis omnibus necessariam, quàm certum sit, non eos omnes mortali peccato gravari; 2do. Quia Trid. non loquitur ibi de sola confessione, sed & de communione, quæ quia præcepta non est, adhibere debuit Synodus verbum, quod exhortationem sonaret, non strictæ legis præceptum; 3tio. Quia mens Concilii fuit, ut hæreticorùm errores proscriberet, non ut solveret quæstiones inter Catholicos motas; etsi satis aliunde indicaverit, quam in partem propenderet.

Ad 2. Paulus V. ambigua voce uti potuit, nè litem purè Theologicam dirimeret. Cæterum, cùm Paulus idem saperet ac prædecessores sui, in eam partem inclinare debuit, quæ iisdem arriserat magìs: atqui pars quæ mortalis culpæ reos ante vult confiteri, quàm Sacramenta vel ministrent vel recipiant, Romanis Pontificibus qui ante Paulum fuerant, longè plùs placuerat, quàm opposita. Romanum enim Catechismum approbarunt S. Pius V. Gregorius XIII. & cum iis plures primi nominis Antistites, quos inter S. Carolus Borromæus. Porrò Catechismus Romanus hæc habet part. 2. c. 5. *Si quid salutis nostræ ratio postulet consideremus, profectò quoties aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cùm Sacramenta administramus aut percipimus, toties confessio, prætermittenda non est.*

Ad 3. Allegatæ Synodi, cùm Galliæ, Angliæ, Italiæ, Germaniæ & Belgii consensum indicent, sat Ecclesiæ dispersæ consensum indicant, ut hinc nemo deviare possit. Et verò quem salutis suæ studiosum non movebit ducentorum & suprà, seù Conciliorum, seù Ritualium authoritas?

Conclusio III. Non prærequiritur status gratiæ, ut Sacramenta mortuorum fructuosè recipiantur. Requiruntur tamen in adultis præviæ fidei, & pietatis dispositiones.

* *Pallav. Lib.* 12. *c.* 1.

Prob.

Prob. 1. pars. Baptiſmus & Pœnitentia ideò vocantur Sacramenta mortuorum, quia pro ſpiritualiter mortuis inſtituta ſunt: atqui non pro his, ſed pro vivis inſtituta forent, ſi ad ea ritè ſuſcipienda prærequireretur ſtatus gratiæ; ergo.

Prob. 2. pars, Quia ex dicendis, Sacramenta iis ſolùm gratiam conferunt, qui non ponunt obicem: atqui óbicem poneret, qui ſinè ullo fidei vel pietatis ſenſu ad eadem Sacramenta accederet.

ARTICULUS TERTIUS.

An Sacramenta fictè ſuſcepta reviviſcant.

Fictio duplex, altera *Intentionis* quâ quis fingit velle ſe recipere Sacramentum, quod non vult interiùs recipere; & de hac non loquimur in præſenti. Altera *Præparationis*, quâ quis Sacramentum recipit, abſque neceſſariis diſpoſitionibus: & hæc vel eſt *Inculpabilis*,* ut cùm quis ad Sacramentum accedit, exiſtimans bona fide ſe ſufficienter eſſe diſpoſitum; vel eſt *Culpabilis*, ut ſi quis ad Baptiſmum accedens, peccato mortali adhæreat.

Certum eſt fictionem præparationis ſolius, etſi non impediat nè Sacramenta quæ characterem imprimunt, & de quibus præcipuus hìc ſermo, validè recipiantur; impedire omnes Baptiſmi v. g. effectus, præter impreſſionem characteris. Siquidem gratia Sanctificans, & virtutes eidem annexæ, infundi non poſſunt in animam peccato ſubditam. Quæſtio igitur eſt, 1mo. An ſublata fictione renaſcantur ii effectus, quos impediverat fictio; 2do. Utrùm ſi in Baptiſmo reviviſcant, reviviſcant pariter in aliis Sacramentis; 3tio. Quæ ad reviviſcentiam hanc, neceſſariæ ſint conditiones. Sit

Conclusio I. *Sublata fictione, reviviſcit Baptiſmus, ac proinde non ſolùm fictionis venia, ſed & Baptiſmi effectus, ſeù gratia regenerans recipitur. Idem probabile eſt, de Confirmatione & Ordine.*

Prob. 1mo. ex S. Aug. Lib. 1. de Bapt. cap. 12. *Quod ante datum eſt* Baptiſma *valere incipit, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Unde ſic: Tunc reviviſcere dicitur Baptiſmus, cùm incipit operari id, quod propter fictionem operari non potuerat, nempè remiſſionem peccatorum: atqui ex Auguſt. ſublata fictione, incipit Baptiſmus operari, &c.

Prob. 2do. Vel in hoc caſu mundatur quis ab originali labe per Baptiſma reviviſcens, vel per Pœnitentiam: atqui hoc non? cùm nec pœnitentia ad tollendum originale peccatum inſtitu-

* Gonet.

ta ſit, nec gratia quæ pœnitentiæ fructus eſt, ullibi vocetur regenerans.

Prob. 2. pars: Ideò Baptiſmi reviviſcentiam admittunt paſſim Theologi cùm SS. Aug. & Thoma, quia alioqui Baptiſmus, utpote initerabilis, ſuo ſemper fruſtraretur effectu, qui tamen viro Chriſtiano admodùm neceſſarius eſt: atqui hæc ratio in Ordine etiam & Confirmatione militat. Cùm enim Sacramenta hæc iterari non poſſint; qui ea ſuſcepiſſent fictè, non tantùm privati manerent gratia ſanctificante, quæ eis reſpondet, ſed & jure ad gratias actuales, conſequenter ad hæc Sacramenta ſuo tempore conferendas, quæ tamen admodùm neceſſariæ ſunt, ſeù *Confirmatis*, ut fidem etiam cum propriæ vitæ diſpendio profiteantur, ſeù *Ordinatis*, ut munia ſua dignè exerceant: atqui tàm funeſta privatio ſummam Dei erga eos qui ſeriò convertuntur, benignitatem videtur dedecere.

Confirm. ex Aug. qui reviviſcentiam Ordinis ſacri diſertè agnoſcit L. 2. contra Creſcon. c. 10. ubi de Sacerdotibus in hæreſi conſecratis hæc fatur: *Chriſtiana ſanè in vobis Sacramenta agnoſco. Apud vos quidem aliena ſunt; ſed cùm cor veſtrum corrigitur, fiunt ea ſalubriter veſtra, quæ perniciosè habebatis aliena.* Quorſum verò iſtud, *ſalubriter veſtra fiunt*, niſi quia jam incipiunt largiri ſanctitatem, quam propter obices impendere non potuerant.

Hæ rationes utcumque Matrimonii reviviſcentiam adſtruunt; quia licèt iterari poſſit, non tamen vivente comparte; unde quia conjux pluribûs indiget gratiîs, ut gravia ſtatûs ſui onera ſuſtineat, credibile eſt has ei, cùm fictionis ſincerè pœnitet, conferri; nè alioqui relativè ad conditionem ſuam, inermis ſemper maneat.

Quod ad Extremam-Unctionem pertinet, cùm hæc rarò conferatur, & gratiæ eidem annexæ ſummi ſint momenti in agone, ubi uno tantùm paſſu dividuntur vita & æternitas; piè quoquè de Deo præſumit, qui hanc per Pœnitentiam reviviſcere exiſtimat cum SS. Thoma in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. & Bonaventura diſt. 1. p. 1. art. 15.

Aliud eſt de Euchariſtia & Pœnitentia; tùm quia neceſſe non eſt ut reviviſcant, cùm facilè iterari poſſint; tùm quia, qui ſacrilegas communiones aut confeſſiones millies geminaſſet, is ſi in ultima ſenectute tot fictionum ſeriò pœniteret, eundem conſequeretur ſanctitatis gradum, quem qui millies piè & ſanctè Sacramenta hæc percepiſſet; quòd vix in animum induci poteſt.

Obj. imò S. Aug. Lib. 1. de Bapt. c. 12. remiſſionem peccatorum tribuit pœnitentiæ, ſeù *piæ correctioni, & veraci confeſſio-*

ſſio-

fessioni: atqui quod est effectus pœnitentiæ, reviviscenti Baptismo tribui non potest. R. dist. maj. Tribuit pœnitentiæ tanquam removenti prohibens, seù obicem fictionis, C. Tanquam causæ effectrici, N. Ut operetur Baptismus requiritur dolor sincerus de fictione, quæ Baptismi effectum impediit; verùm dolor ille, nec gratiam regenerantem per se largitur, nec instar causæ efficientis delet originale peccatum: alioqui qui ipso Baptismi tempore verum hunc dolorem gestasset in corde, per eum, non autem per Baptismum regeneratus fuisset.

Obj. 2do. Si Baptisma reviviscat, vel delebit peccatum originale, & actualia quæ Baptismum præcessêre peccata, vel ea quæ fictam ipsius susceptionem concomitata sunt, vel ea quæ subsequuta fuêre: atqui nullum ex his dici potest. R. Conc. min. quò ad ultimam partem, & nego saltèm quò ad primam. Unde dico 1mo. peccata Baptismo fictè suscepto posteriora, nè indirectè quidem remitti per Baptismum, prout docet S. Thomas 3. p. q. 69. a. 10. Ratio est, 1mo. Quia nullum hominis baptisati peccatum aliter deleri potest, quàm per pœnitentiam in re, vel in voto: atqui peccata Baptismum subsequuta, sunt eò ipso hominis baptisati; 2do. Quia alioqui peccata hæc, non essent subjicienda clavibus.

Dico 2do. Peccata quæ Baptismum præcesserunt, per ipsum remitti, sublato obice: quia vel tolluntur per Baptismum, vel per Sacramentum Pœnitentiæ: atqui per istud tolli non possunt; cùm non magis Ecclesiæ jurisdictioni subjaceant, quàm ipsa non baptisati persona. Unde nulla pro iis peccatis imponitur satisfactio, quæ tamen pro peccatis post Baptismum commissis imponitur.

Quod attinet ad fictionem & peccata, quæ fictam Baptismi susceptionem comitantur, ut si qnis dùm baptisatur, actuali ferveat odio contra proximum, respondet S. Thomas hîs verbîs ibid. ad 3. *Fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem, quâ remotâ, Baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum ipso.* Quæ quidem infrà, explicare conabimur.

Inst. 1mo. Baptismus delere non potest id, quod jam deletum invenit: atqui Baptismus, quò tempore supponimus eum operari, jam omnia prorsus peccata invenit deleta, seù per contritionem perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, seù per attritionem cum eodem Sacramento. Prob. min. Baptismus operari non potest, nisi cùm sublata est fictio: atqui jam tunc peccata omnia deleta sunt. Contritio enim quæ fictionem delet, statim ut ponitur, perfectè justificat; ergo. R. ad 1. &

2. neg. min. Quia cùm tollitur obex, ponitur quidem dispositio prærequisita ut tollatur peccatum, seu vi Baptismi, seu vi Pœnitentiæ; sed nondum in hoc instanti, deletum est peccatum, quia non deletur nisi per gratiam justificantem, quæ statim quidem infundenda est à Deo, sed nondum in illo priori infusa intelligitur: adeò ut sublatio obicis præcedat gratiæ infusionem, si non prioritate temporis, saltèm prioritate naturæ.

Ad 3. neg. ant. Contritio enim quantumcumque perfecta, est quidem ultima ad justificationem dispositio: sed non est forma se ipsa justificans, aut expellens peccatum: id enim quod formaliter justificat, & peccatum excludit, est ipsa gratia sanctificans. Porrò gratiam hanc infundit Deus consequenter ad signa quæ instituit; ergo cùm Baptismum instituerit in gratiam regenerantem, & Pœnitentiam in gratiam alterius generis, consequens est, quòd Baptisma & Pœnitentia operentur simul, etiam simultate naturæ, quòdque hæc culpas post Baptisma commissas deleat, quò præcisè instanti illud peccata, ante sui susceptionem commissa delet.

Inst. 2dò. Non magis potest Baptismus delere peccata, quæ ipsum præcesserunt, quàm fictionem cum qua receptus est; atqui Baptismus non delet fictionem cum qua susceptus est, sed hæc per Pœnitentiam deleri debet, ex S. Thoma; ergo, &c. R. neg. maj. quæ in sensu objectionis est de falso supponente. Fictio enim præcisè sumpta prout est privatio dispositionis necessariæ, non deletur, sed solùm aufertur, prout ante Baptismum auferri debuerat. Sicut ergo Judæus qui ad Baptismum accedens, enixè dolet de actualibus, quæ commisit peccatis, aufert à se fictionem omnem, nec tamen peccata sua delet, cùm hæc solùm deleantur per infusionem gratiæ regenerantis; sic qui receptô indignè Baptismô, dolet de fictione, tollit fictionem, nec tamen maculam, si qua è fictione remanserit, delet. Unde hæc vel per Baptismum deletur, si ipsum præcessit, vel per Pœnitentiæ Sacramentum, si post ipsum Baptismum continuaverit.

Sed quia fictio adjungi solet, toti Baptismatis actioni, & perseverare post instans terminativum illius, ideò subjicienda est clavibus Ecclesiæ; idemque dicendum de cæteris peccatis, quæ sic Baptismum comitata fuêre, ut non desierint ante completam ejus susceptionem; quia hæc jam incipiunt esse peccata hominis baptisati, ac proinde clavibus Ecclesiæ subjecti. Unde quòd supra dicebat S. Thomas, peccata simul existentia cum Baptismo, per ipsum deleri, à pluribus ejusdem Discipulis intelligitur: de peccatis Baptismum tempore concomitantibus, sed non usque ad instans terminativum ipsius; eorum enim

nim quæ vel uno ultra instanti perseverassent, eadem foret ratio ac fictionis ipsius, sicque ut hæc, sic & illa, per Pœnitentiam solam, expungi possent.

Quæres an Sacramenta ablato obice rediviva, majorem conferant gratiam, pro majoris dispositionis gradu. R. affirmat. Quia ex generali Concilii Trident. doctrina Sess. 6. c. 7. gratia adultis confertur *secundùm propriam cujusque dispositionem*, adeòque inæqualiter, ubi inæqualis est dispositio: atqui actus quô tollitur obex in nostro casu, est vera & propria dispositio, non quidem ad Sacramentum, quod sinè dispositione illa recipi validè potest, sed ad effectum Sacramenti; ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

De dispositionibus necessariis ut reviviscat Baptismus.

Fictio vel est *negativa*, cùm quis bona fide existimat se esse dispositum, licèt re ipsa dispositus non sit; vel *positiva*, seù *contraria*, cùm quis quô baptisatur instanti, actum malum exercet, putà odii; vel *privativa*, cùm quis culpabiliter, caret dispositione necessaria, putà actu detestationis erga peccata antè commissa; licèt nullum tunc aliud committat peccatum, quàm voluntariæ hujus omissionis. Sit

Conclusio. Ut reviviscat Baptismus cum fictione positiva receptus, requiritur vel contritio perfecta extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel attritio cum eodem Sacramento. Ut verò reviviscat idem Baptismus cum fictione negativa susceptus, sufficit attritio.

Prob. 1. pars. Ut reviviscat Baptismus cum fictione seù obice receptus, necessum est, ut fictio hæc auferatur: atqui fictio positiva auferri nequit, nisi per contritionem, vel perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel imperfectam cum eodem Sacramento. Nullum enim baptisati hominis peccatum tolli potest, quàm per contritionem perfectam extra Sacramentum, vel imperfectam cum Sacramento: atqui fictio consummata, de qua loquimur, est peccatum hominis baptisati; seù peccatum natura posterius Baptismo completo in suo esse. Peccatum enim fictionis consummatum, est actio impediens virtutem Baptismi: atqui talis actio natura posterior est Baptismo; cùm priùs natura sit Baptismum esse, quàm virtutem ejus impediri.

Prob. 2. pars: Si requireretur contritio perfecta ad reviviscentiam Baptismi cum fictione negativa suscepti, pejor esset conditio hominis Baptismum cum fictione negativa suscipientis, & qui deinceps non peccasset; quàm suscipientis vel cum fictione positiva, vel cum negativa, quam deinceps subsequutum

 esset

esset grave aliquod peccatum: hi enim justificari possent per attritionem cum Sacramento, cujus ratione peccati Baptismum subsequentis capaces essent; ille verò, utpotè Sacramenti Pœnitentiæ incapax, quia ex hypothesi nullam post receptum Baptisma noxam admisisset, nonnisi per contritionem perfectam justificari posset: absurdum consequens.

Hìc notand. secundam hanc nostræ conclusionis partem intelligi de ficto negativè, qui mortaliter non peccaverit post Baptismi susceptionem; aliàs eadem ei necessaria foret ad reviviscentiam dispositio, quæ ficto positivè: quia peccatum grave Baptismo posterius, nonnisi per contritionem vel imperfectam in Sacramento, vel perfectam extra Sacramentum, dimittitur.

Obj. contra 1. part. 1mo. Baptismus reviviscit sublato obice: atqui ex concessis, obex fuit tantùm defectus attritionis; ergo posita attritione sola, ponetur & effectus Baptismi. R. dist. min. Fuit tantùm defectus attritionis, sed voluntarius, ac proinde lethaliter gravis, C. Fuit tantùm defectus involuntarius, N. Itaque cùm attritionis defectus in positivè ficto sit culpa mortalis, necesse est, ut ea remittatur vel per Baptismum, vel per contritionem perfectam, cum voto Pœnitentiæ; vel per contritionem imperfectam, cum pœnitentiæ Sacramento actu recepto; atqui culpa hæc per Baptismum quô natura posterior est, remitti nequit; ergo superest, ut vel remittatur per contritionem perfectam, &c.

Obj. 2do. Eucharistia indirectè remittit peccatum originale in homine solùm attrito, qui bona fide credit se esse baptisatum; ergo & Baptismus reviviscens similiter remittet attrito peccatum fictionis, saltèm si illud non occurrat memoriæ ipsius. R. neg. conseq. Disparitas est, quòd Eucharistia secundariò instituta sit, ut gratiam primam conferat, adeòque ut deleat peccata omnia priùs admissa; cùm nullum grave peccatum in eodem subjecto subsistere possit, cum gratia sanctificante; at verò Baptismus nullo modo institutus est, ut peccata post sui receptionem commissa deleat. Quapropter fictio quæ cuipiam prorsus è memoria exciderit, indirectè tolletur per Pœnitentiam, cum aliis quæ deinceps commiserit peccatis; aut saltèm per contritionem, vel charitatem perfectam, quæ in eo supponi facilè posset, qui nullum à tempore Baptismi fictè recepti, grave peccatum commisisset.

Obj. contra 2. part. Tollere fictionem, est tollere peccatum: atqui peccatum sola attritione tolli non potest. R. neg. maj. Quia cùm fictio purè negativa non sit peccatum, qui eam tollit, peccatum non tollit, sed ponit conditionem, quâ inductâ peccatum tàm actuale, quàm originale, per Baptismum tolli debet.

AR-

ARTICULUS QUINTUS.

An liceat Sacramenta administrare peccatoribus.

PEccatorum alii sunt *occulti*, alii verò *publici*. Hi autem tales sunt, vel *publicitate juris*, cùm de eorum crimine constat, seu per propriam ipsorum in judicio confessionem, seu per depositionem testium, seu per sententiam Judicis; vel *evidentia* seu *notorietate facti*; cùm nempè crimen aliquod coram tot testibus commisêre, ut illud jam nulla tergiversatione in tota vicinia celari possit. Circa quod consule quæ dixi Tom. 2. Jam peccator seu occultus, seu publicus, vel publicè seu coram frequenti cœtu, Sacramentum petit, vel occultè, id est, solus à solo.

CONCLUSIO I. Peccatori undecumque notorio Sacramenta etiam publicè petenti, negari debent, excepta Pœnitentia, & nonnunquam Matrimonio.

Prob. 1mo. ex Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus*, quæ Eucharistiæ potissimum à Patribus accommodantur, unde & is Ecclesiæ cantus: *Ecce panis Angelorum - -- - non mittendus canibus*: atqui per canes, designantur *peccatores manifesti*, prout docet S. Thomas 3. p. q. 80. a. 6. & cum eo unanimis Theologorum chorus. Hinc S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. Sacramentorum dispensatores sic compellat: *Non parva vobis imminet ultio, si quemquam ullius improbitatis conscium hujus mensæ participem esse concedatis - - - - Sivè quis Dux militiæ sit, sivè Præfectus, sivè Princeps diademate coronatus, indignè nè accedat prohibe - - - - non de ignotis, sed de notis hæc disputo.*

Prob. 2do. Quia ante annos non plùs 40. universîs mundi Catholici Ritualibûs severè interdictum erat, nè peccatori cuicumque notorio darentur Sacramenta, prout docet vir eruditus adæquè & parum suspectus B. Van-Espen part. 2. tit. 4. de Euch. c. 2. n. 20. *Cùm ergo*, áit, *Ritualia atque Synodalia Decreta velint universim, publicos & notorios peccatores à Communione repelli, manifestum est à verbis, & mente Ecclesiæ omnino deviare, qui hujusmodi peccatores non priùs volunt esse repellendos, quàm per sententiam Judicis sint ut notorii peccatores declarati.* Sed de his adi fusiorem nostram Theologiam pag. 339. ubi expressas Ritualium Remensis, Aletensis, & Parisiensis Ecclesiæ, authoritates protulimus.

Prob. 3tio. Si nunquam sufficiat facti publicitas ut quis arceatur à Sacramentis, non poterit arceri à synaxi sacra, mulier quæ vultûs pectorisque immodestia, lasciviam spirat; non ebriosus, qui à manè in vesperum tripudiat in popinis; non is

qui

qui fraterno quem palam fudit, cruore madidus, Christi mysteria postulare audet: atqui hæc à pietate prorsus aliena sunt.

Ergo inquies, valet in Gallia publicitas facti. Valet utique in iis, quæ juris sunt divini, & contra quæ nemo præscribere potest; quale istud est: nè margaritæ projiciantur ante porcos. Valet & in iis quæ ex usu quamdam induunt notorietatem juris, ut cùm agitur de neganda Duellistis aut Comœdis sepultura Ecclesiastica. Valet & quantùm ad reservationem casuum quorumdam, qui nisi publici sint, non reservantur. Sed non valet quantùm ad alios casus, ad quos ab Ultramontanis extendi solet. Sic nec excomunicatos, nisi denuntiati sint, fugere tenemur, nec notorios Clericorum percussores, &c.

At inquies, nonne præsumi potest concubinarium, qui ad Eucharistiam accedit, à peccato resipuisse. R. Resipiscentiam hanc, non supponi nisi idonea morum conversione probetur, præsertim verò ejectione concubinæ.* Et verò si conversus supponeretur quicumque accedit ad Sacramenta, non possent hæc negari Comœdis, & hos enim ritè conversos, supponi oporteret. Deinde quoti ad Sacramenta accedunt, ut vulgatam impietatis suæ famam abstergant, si possint? Quoti, quia non satis mysteriorum nostrorum dignitatem compertam habent? &c. Quapropter si quis eò veniret temeritatis, ut hæretico, vel usurario notoriis, Eucharistiam dari præciperet, brevi ista Apostolorum voce, reprimendus esset: *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum,* qui foris canes esse voluit, *judicate.***

Cavendum tamen & summoperè cavendum, 1mo. Nè pro notorio habeatur, quod vel paucis cognitum sit, vel rumoribus nixum incertis, vel sola vulgi credulitate aut imperitia fundatum. Idque etsi in pluribus locum habere potest, habet præsertim in iis, quæ pertinent ad sortilegium, magiam & quandoque hæresim; 2do. Ubi sentit Parochus fieri posse, ut ad Sacramenta accedat quis, suspectæ famæ, æquum est, ut eum amicè conveniat; moneat de ipso spargi multa, quæ tetri quid moribus ejus inurant; hortetur ut scandali causas resecet; 3tio. Et id curare debet ut è suggestu, nemine tamen designato, contra eos insurgat, qui nè pro impiis habeantur, accedere volunt ad Deum, *quasi gens, quæ justitiam fecerit;* 4to. Non deferat Eucharistiam, cum periculo tumultûs & scandali, putà si notorius adulter necdum, ut potest, pellicem è domo ejecerit; 5to. Non habeat ut notorium in hoc vico peccatorem, qui tantùm notorius sit in alio, præsertim si fama criminis non videtur eò faciliè perventura;*** 6to. Ubi viderit peccatorem tergiversatione aliqua non improbabili, idæam criminis à se propellere, consu-

* *Gibert.* ** *Act.* 7. *** *Sylvius.*

consulat Episcopum, & mandata ejus exequatur; nè dùm scandalo vult occurrere, scandalum innectat gravius.

Excepi in conclusione à regula communi, Pœnitentiam & identidem Matrimonium. De Pœnitentia constat neminem ab ea repelli debere, cùm hæc pro iis potissimum instituta sit, qui laborant & onerati sunt. Vetat quidem Bonifacius VIII. c. 2. *De usuris* in 6. ne manifesti usurarii *ad confessionem* admittantur, *nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, præstent idoneam cautionem*; Verùm haud satis scio, num ea lex vigeat apud nos.

Quod ad Matrimonium pertinet, constat & ab ipso communiter arcendos esse eos, à quibus palàm profanaretur. Unde Card. Noallius, approbavit agendi rationem cujusdam Parochi, qui puellam cum homine lubricis cantibus, gallicè *Opera*, deserviente maritare renuerat, donec is spopondisset se, periculoso huic exercitio renuntiaturum. Admitti quidem ad Matrimoniū solent, qui quas in concubinas habuêre, in uxores habere jam volunt; sed quia sic crimen ejurare censentur: an autem illud de facto & in corde ejurent, expendet sagax Confessarius eique prodesse poterunt, quæ à nobis dicta fuêre, Tom. 1.

Conclusio II. Peccatori occulto, occultè petenti Sacramentum negari debet, nisi Minister peccatum ejus rescierit per Confessionem. Idem faciendum, si coram iis petat, quos de crimine ejus, certiores factos esse constet.

Prob. tùm ex Rituali Rom. ubi sic: *Occultos peccatores, si occultè petunt, & non eos emendatos agnoverit, repellat*; tùm quia hæc agendi ratio, nec scandalo est adstantibus, qui cognita petentis improbitate, ægrè ferrent Sacramenta ab eo profanari; nec detrimentum affert petenti, cui detrahitur occasio consummandi exteriùs sacrilegii, tùm quia impietati cooperatur Minister, qui non obstat eidem, cùm sine ulla juris alieni læsione, obstare potest.

Dixi, *nisi Minister peccatum didicerit in confessione*, quia quæ hac via sciuntur, pro exteriùs ignoratis haberi debent, præsertim cùm inde imminet confusio pœnitenti. Unde si Sacerdos nonnisi *confessionali scientia* didicerit Titium, peccatorem esse scandalosum, nequidem eum tunc, etsi solus sit cum solo, repellere poterit.

Conclusio III. Peccatori occulto, Sacramentum publicè petenti, negari non debet.

Prob. Quia Christus ipsa sua erga Judam praxi prohibuit, nè peccatoribus occultis, negarentur Sacramenta, & id prohibere debuit. Quòd prohibuerit: patet ex totius Ecclesiæ sensu, quæ

ex Christi actione semper intulit, peccatores occultos à sacris mysteriis abigi non posse: unde Augustinus Hom. 50. *Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sivè sæculari, sivè Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Quòd autem id debuerit Christus prohibere, suadetur; quia si peccatoribus occultis Sacramenta denegare liceret, jam eorum participatio nè bonis quidem libera foret; essetque insuper penè quotidiana ruinæ spiritualis occasio pusillis, & malis. Quoti enim etiam conscientiæ puræ à Cæna sancta abstinerent, nè ab improbo Ministro ejicerentur? quoti ejicerentur de facto, non quia mali, sed quia malo Parocho displicerent? quoti ne ejicerentur, miseris Sacramentorum nundinatoribus, munera offerrent? quoti ejicerentur ob culpam levem, quæ imperito vel malè effecto Pastori gravior videretur,quàm in se sit? quoti ob minus crimen expulsi, venirent in suspicionem gravioris noxæ, de qua nè cogitarunt quidem? Ergo exigebat sapientia Christi, ut res constitueret eô modô, quô nunc in Ecclesia sua constitutæ inveniuntur.

Obj, 1mo. Non licet alteri graviter peccandi materiam præbere: sed qui indigno Eucharistiam administrat, &c. R. dist. maj. Non licet præbere alteri materiam necessariam peccandi, C. Materiam liberam, subd. Non licet sinè gravi causa, C. Cum causa gravi N. Itaque non licet eam peccandi materiam præbere, quâ quis sinè peccato, uti non potest: sic non licet puellæ, quò patris & matris internecionem removeat, stupratoris libidini cedere. Verùm licet, nec raro licet præbere materiam, quâ quis ad peccatum nonnisi ex malitia usurus est. Sic licet reddere avaro pecuniam, quâ is ad gravandum usuris pauperem usurus est; licet ab impio Ministro petere Sacramenta, quæ sacrilegè dabit: quia æquæ suppetunt, sic agendi causæ.

Obj. 2do. Nunquam licet dare Sanctum canibus; cùm id adversetur præcepto, quod utpotè negativum, obligat pro semper: atqui peccator etiam occultus est canis; publicitas enim nihil immutat in re. R. dist. maj. Non licet dare Sanctum canibus, quos Christus à Sancto excludi voluerit, C. Quos Christus noluerit excludi, N. Porrò ex dictis constat Christum, nonnisi manifestos peccatores exclusisse à perceptione corporis sui. Unde hi soli canum nomine à Patribus intelliguntur, & meritò, quia eidem publicè insultant. Quapropter præceptum Christi negativum quidem est, sed non generale prorsus & absolutum: quod & aliis pluribus convenit, putà isti: *Si quid voveris, nè differas reddere.*

Obj. 3tio. Nullum est gravius crimen, crimine indignè Commu-

munionis; ergo quidquid evenire poſſit, nihil non tentari debet ut avertatur. R. diſt. ant. Et crimen illud, crimen eſt reſpectu indignè communicantis, C. Et eſt crimen reſpectu Miniſtri in noſtro caſu, N.

Quæres 1mo. An non ad vitandam impietatem, poſſit impio tradi Hoſtia, minimè conſecrata.

R. negat. cum S. Thoma q. 80. art. 6. Unde conſultus Innocentius III. *de Presbytero, qui cum ſe* ſciret *in mortali crimine conſtitutum*, conſecrationem omittebat, ſic reſpondet:* *Graviùs videtur offendere, qui fraudulentèr illud myſterium præſumpſerit ſimulare; cùm non ſolùm Deo, cui videtur illudere, ſed populo quem decipit, ſe adſtringat.*

Quæres 2do. An Miniſter aliquam adhibere debeat diligentiam, ut ſibi moraliter conſtet de dignitate petentis? R. Non unam hic pro Sacramentis omnibus regulam conſtitui poſſe. Cùm agitur de Baptiſmo, qui Sacramentorum janua eſt, non antè eô adultum initiare licet, quàm moraliter conſtet eum & inſtructum ſatìs, & ritè diſpoſitum eſſe. Unde graviter delinquet etiam laicus, qui ſecùs fecerit, quia gravi alterius peccato cooperabitur.

In Confirmatione digni habentur, quos præſentant Parochi. Qui à nemine præſentantur, ruſtici præſertim & inopes, ignari plerumque rerum ſalutis, quandoque interrogandi an confeſſionem præmiſerint; an non jam antè fuerint confirmati, &c.

Quò ad Euchariſtiam, uſu receptum eſt, ut bonus præſumatur, cui nihil objici poteſt. Curandum tamen Parocho ut in eorum qui de novo in Parochia ſua domicilium fingunt, mores inquirat, ſeù per aliquos quibus fidere poſſit; ſeù per literas interrogando eum, à cujus Parochia tranſmigrarunt, an illic piè antea vixerint, an quæ cum iis nomine uxoris habitat, uxor ſit legitima, &c.

In Pœnitentia Miniſter utpote Judex, moralem adhibere debet diligentiam, ut internam pœnitentis diſpoſitionem comperiat, priuſquam abſolvat eum, vel liget. Sed de his alibi.

CAPUT QUINTUM.

De effectibus Sacramentorum.

Effectus illi, ſunt gratia, & character.

ARTICULUS PRIMUS.

De Gratia ſacramentali.

EXpendemus 1mo. An Sacramenta producant gratiam & qualem; 2do. Quò modô. §. I.

* *Cap.* 7. *De celeb. Miſſ.*

§. I. *An Sacramenta producant gratiam.*

Gratia quæ ſupernaturale eſt donum intellectuali creaturæ gratuitò datum in ordine ad æternam ejus ſalutem, vel eſt actualis, vel habitualis. Gratia *Actualis*, eſt donum ſupernaturale per modum actûs tranſeuntis conceſſum, ut vel ſancta in intellectu cogitatio, vel pia in voluntate motio excitetur. Gratia *Habitualis*, ſeù *juſtificans*, eſt ſupernaturalis quædam forma, permanenter inhærens animæ; eamque vel à ſtatu injuſtæ, ad ſtatum juſtæ transferens, & tunc dicitur *gratia prima*; vel à ſtatu juſtæ transferens, ad ſtatum juſtioris, & tunc dicitur *gratia ſecunda.* Jam quæritur 1mo. An Sacramenta conferant habitualem gratiam; 2do. An ex iis noñulla gratiam primam conferant vel ſecundam.

Conclusio I. Sacramenta novæ legis, gratiam producunt proximè & immediatè.

Prob. 1mo. Vel Sacramenta gratiam producunt, vel mera ſunt ſigna juſtificationis jam receptæ, ut Proteſtantibus placet: atqui hoc non. Quæ enim ſemper in Scriptura & Patribus exhibentur ut cauſæ juſtificationis, nuſquam autem ut ſigna ejuſdem jam receptæ, non poſſunt haberi pro meris juſtitiæ jam receptæ ſignis: atqui Sacramenta ſemper exhibentur ut cauſæ - - - - Sic de Baptiſmo dicitur ſimpliciter: Act: 2. *Baptiſetur unuſquiſque veſtrum, in remiſſionem peccatorum*; non autem in ſignum jam factæ ſibi remiſſionis peccatorum. Sic de Pœnitentia ait Chriſtus Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;* ubi peccata miniſterio Sacerdotum remitti, non autem merè remiſſa ſignificari dicuntur. Sic de Unctione-Extr. àit Jacobus c. 5. *Oratio fidei ſalvabit inſirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei;* non autem, ſignificabuntur remiſſa, aut remittenda. Idem docent Concilia & Patres. Concilium CP. I. *Confitemur*, inquit, *unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Tertullianus L. de reſur. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur.* Auguſt. Tract. 80. in Joan. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.*

Prob. 2do. Ex abſurdis quæ pleno cornu invehit, Novatorum opinio. Si Sacramenta tantùm proſint mediatè, id eſt, fidem excitando, ſequitur 1mo. Non valere Baptiſmum latina lingua collatum iis, qui neſciunt latinè; 2do. Infantes nulla lingua poſſe baptiſari, quia nulla eſt lingua, quæ fidem in iis excitare poſſit; 3tio. Parem fuiſſe Baptiſmi Joannis, cum Chriſti Baptiſmo efficaciam, quia & Joannis Baptiſmus fidem excitabat;

tabat; 4to. Validum esse Sacramentum, etiam à mimo collatum; cùm quisquis certa effert verba, fidem excitare possit: atqui hæc totidem sunt absurda.

Obj. 1mo. Se habent novæ legis Sacramenta ad justificationem nostram, sicut se habuit circumcisio, ad justificationem Abrahæ: atqui hæc merum fuit justificationis jam per fidem receptæ signaculum; juxta id Rom. 4. *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*, seù quam ante circumcisionem suam receperat. R. neg. maj. 1mo. Quia circumcisio, si respectu Abrahæ signum fuit receptæ jam sanctificationis, potuit in populo Judæo ejusdem justificationis causa esse; de quo infra: 2do. Quia si circumcisio gratiam parere non potuerit, quia ad id elevata à Deo non fuerat, non statim idem dicendum de Sacramentis Legis novæ, quæ instituta sunt ut gratiam, aut gratiæ augmentum producant.

Obj. 2do. Si Sacramenta proximè justificent, Scriptura Sacramentis, non autem fidei, justificationem attribuere debuit: atqui è contra, Scriptura tribuit justificationem fidei, non Sacramentis. Min. patet ex Rom. 1. ubi *justus ex fide* vivere dicitur, non ex Sacramentis. R. neg. min. Ità enim tribuitur justificatio fidei, ut simul tribuatur Sacramentis: qui enim per Apostolum dixit, *Justus ex fide vivit*, dicit per semetipsum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Joan. 6.*

Obj. 3tio. Id S. Petri Epist. 1. cap. 3. *Vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum;* ergo justificat Baptismus, non ratione ablutionis, sed ratione conscientiæ bonæ, seù fidei interioris. Unde August. Serm. 30. de verbis Domini: *Baptisma per fidem mundat.* Si per fidem; ergo non per se ipsum immediatè. R. neg. conseq. Sensus enim D. Petri est, Baptismum salvos facere, non quia corporis sordes abstergit, quod unum præstare poterant baptismata Judæorum: sed quia mundat sordes animæ, ità ut jam nihil in ea remaneat, propter quod vereatur coram Deo sisti, & ab eo interrogari.

Augustinus in objecto textu, exigit quidem fidem instar dispositionis quâ adultus ad justificationem se præparet: sed nec eam per Baptismi ritum excitari supponit, ut supponunt Novatores; nec signis visibilibus instrumentalem efficaciam abnegat: cùm mirabundus quærat, *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat.*

CONCLUSIO II. Sacramenta mortuorum, per se & primariò gratiam primam producunt, & per accidens secundam.

Prob. 1. pars: Sacramenta mortuorum, Baptismus scilicet & Pœnitentia, eam per se & primariò gratiam producunt, ad

quam conferendam instituta fuêre: atqui instituta fuêre, ad producendam gratiam primam. Primariò enim instituta fuêre, ad mortuos spirituales, spiritualiter vivificandos; Baptismus quidem regenerando, Pœnitentia autem resuscitando.

Et verò si Baptismus & Pœnitentia gratiam secundam parerent per se, nemo ad ea ritè accedere posset, nisi jam per contritionem perfectam justificatus: atqui id dici non potest. Alioqui enim longè difficilior esset justificatio in nova Lege, quàm fuerit in antiqua; in hac enim ad justificationem satis fuisset perfecta contritio; in illa verò requireretur insuper susceptio Sacramenti ardui & difficilis, qualis est Pœnitentia, eique annexa peccatorum confessio.

Prob. 2. pars: Quia non raró contigit ut pœnitens vel perfectè conteratur ante susceptionem Sacramenti, vel venialia tantùm confiteatur; sicque primâ jam gratiâ donatus sit, cùm accedit ad Sacramentum: atqui tunc secundam gratiam necessariò recipit. Cùm ex Trid. Sacramenta gratiam conferant, non ponentibus obicem; & obicem non ponat, sed è contra, qui charitate perfecta instructus accedit.

Conclusio III. Singula Sacramenta gratiam sacramentalem, seù uniuscujusque Sacramenti propriam producunt; hæc verò est ipsamet gratia sanctificans, prout annexum habet jus, ad gratias actuales, quibûs Sacramenti finis obtineri possit.

Prob. 1ma. pars, 1mo. ex Tertuliano supra: * *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro manûs impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur: Caro Corpore Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* atquì propriā pariunt gratiā Sacramenta, quorum alia animam mundant à peccato, alia eandem consecrant, alia illuminant &c.

Prob. 2do. tùm quia alioqui eadem esset gratia Ordinationis, quæ conjugii; tùm quia Sacramenta nonnisi penes ritum alia ab aliis differrent; tùm quia haud necessum fuisset ut septem instituerentur à Christo; cùm in uno percipi potuisset, quidquid in aliis percipitur gratiæ.

Prob. 2. pars: Vel gratia sacramentalis idem est ac gratia sanctificans, una cùm jure ad gratias actuales cùm opus fuerit recipiendas; vel est habitus alter ab eadem gratia sanctificante distinctus: atqui habitus ille novus & gratis admittitur, quia sinè probatione; & frustra, quia gratia sanctificans à Sacramento producta, unà cùm jure ad actuales gratias, quibûs indiguerit homo, sufficit ad obtinendum Sacramenti effectum. Cùm id satìs sit ut Fideles & habitu ad effectum supernaturalem ordinato, & gratiis ad eundem effectum disponentibus instruantur: quod in systemate nostro contingit. Obj.

* *pag. 96.*

Obj. 1mo. Si gratia ſacramentalis ſit idem habitus, cùm gratia ſanctificante, gratia unius Sacramenti non differret, à gratia alterius: atqui falſum conſequens, ex dictis. R. diſt. maj. Non differret ſpecie phyſica, C. Specie morali, N. Ea enim moraliter differunt, quæ jura tribuunt diverſa; porrò gratia ſanctificans prout oritur: v. g. à Confirmatione, jus tribuit diverſum ab eo, quod dat eadem gratia, prout oritur à Baptiſmo. Hæc enim nata eſt fomitem mitigare, nè concupiſcentia noceat; illa confert robur, *nè Chriſti opprobria, Chriſtianus erubeſcat.* *

Obj. 2do. Gratia nulla homini debita eſſe poteſt: atqui debita eſſet gratia, ad quam homo jus haberet. R. diſt. maj. Gratia nulla homini debita eſſe poteſt, titulô juſtitiæ rigoroſæ, quia tunc non eſſet gratia. C. Titulô divinæ benignitatis, quæ certa, certis Sacramentis jura miſericorditer alligavit, N.

CONCLUSIO IV. Sacramenta ſolô numerô diſtincta, ut duo Baptiſmi, æqualem in ſubjectis æquè diſpoſitis, inæqualem verò in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis, gratiam producunt. Sacramenta verò ſpecie diſtincta, ut Euchariſtia & Baptiſmus, inæqualem.

Probantur 1. & 2. pars. Quia Sacramentum operatur ut cauſa naturalis, ignis v. g. æqualem in ſubjectis æquè diſpoſitis, diſparem verò in iis, quæ diſparî modô diſpoſita ſunt, effectum producit. Unde juxta Tridentinum recipit unuſquiſque per Baptiſmum juſtitiam, *ſecundùm propriam* ſuam *diſpoſitionem. Seſſ. 6. c. 7.*

Prob. 3. pars. Sacramenta quò ſunt excellentiora, eò potiores effectus parere debent: atqui ex Sacramentis ſpecie diſtinctis, alia aliis ſunt excellentiora. *Si quis*, aït Tridentinum: *dixerit hæc ſeptem Sacramenta inter ſe ità eſſe paria, ut nulla ratione aliud ſit, aliô dignius; anathema ſit. Seſſ. 7. Can. 3.* Et verò quis neget Euchariſtiam eſſe quid Unctione-Extr. vel ipſo Baptiſmo præſtantius?

Obj. 1mo. Ex Tridentino juſtitia ſingulis conceditur prout vult Spiritus S.** atqui gratia quæ datur prout vult Spiritus S. non datur æqualiter; quia Spiritus & ſpirat ubi vult, & quomodo vult. R. diſt. min. Non datur æqualiter, cùm Spiritus S. non vult eam dari æqualiter, C. Secùs, N. Porrò quòd baptiſmalem gratiam ſecundùm diſpoſitiones recipientis, ac proinde majorem in meliùs diſpoſito, dari velit Spiritus, docet ibid. Trident.

Obj. 2dò. Saltèm Sacramenta quæ à ſanctioribus conferuntur Miniſtris, plùs tribuunt gratiæ. R. diſt. Plùs tribuunt gra-

* *Auguſt. in Pſal. 30.* ** *Seſſ. 6. c. 7.*

tiæ accidentalis, C. Gratiæ ſacramentalis, N. Ut enim ait S. Thomas: *Effectus Sacramentorum non datur melior per meliorem Miniſtrum. Aliquid tamen annexum*, ſeù actualis quædam gratia *impetrari poteſt recipienti Sacramentum, per devotionem Miniſtri; nec tamen Miniſter illud operatur, ſed impetrat operandum à Deo.* *

Ex his colliges, 1mo. Iis qui crebrò accedunt ad Sacramenta enixè curandum, ut quô puriori poterunt oleô animæ ſuæ, lampadem inſtruant; perſuaſi ſcilicet ſe quò ſanctiores convivii domum ingreſſi fuerint, eò ſanctiores receſſuros eſſe. Qui verò poſt geminata Sacramenta, ſemet ſuî ſimillimum ſemper eſſe detegit, vereatur improperium iſtud: *Amice quomodo hùc intraſti, non habens veſtem nuptialem?*** 2do. Poſſe aliquando Sacramentum nobilius, parciorem edere effectum, quàm minùs nobile, ſi hoc ab homine longè plùs diſpoſito recipiatur.

§. II. *Quô modô Sacramenta gratiam producunt.*

Duo hìc nobis inveſtiganda, 1mo. An novæ Legis Sacramenta gratiam producant *ex opere operantis*, an *ex opere operato*; 2do. An ſi ex opere operantis, eandem producant *phyſicè*, an *moraliter*.

Gratia dicitur produci ex opere operantis, cùm datur propter meritum congruum vel condignum, ſeù Miniſtri, ſeù ſuſcipientis. Dicitur verò conferri ex opere operato, cùm datur vi & efficacia operis externi à Chriſto inſtituti, & ſubjecto debitè applicati; idque independenter ab omni actu ſeù Miniſtri, ſeù ſuſcipientis, tanquam meritorio gratiæ, quæ confertur. Dixi *tanquam meritorio*; quia fatentur omnes Catholici in adultis Sacramenta recipientibus, pias requiri diſpoſitiones, ſine quibus non confertur gratia.

Conclusio I. Sacramenta producunt gratiam ex opere operato. Ità Trident. Seſſ. 7. Can. 8. *Si quis dixerit per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato, non conferri gratiam ---- anathema ſit.*

Prob. 1mo. Producere gratiam ex opere operato, eſt eam producere independenter à merito tùm Miniſtri, tùm ſuſcipientis: atqui Baptiſmus gratiam hoc modô producit. Nam verè regenerantur infantes à Miniſtris etiam hæreticis abluti: atqui regenerantur independenter à merito, &c. Unde Auguſt. Lib. 4. contra Creſcon. c. 16. *Non eorum meritis à quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur, conſtat Baptiſmus, ſed propria ſanctitate atque veritate propter eum, à quo inſtitutus eſt.*

Prob.

* *p. 3. q. 64. a. 1.* ** *Matth. 22.*

Prob. 2do. Sacramenta juxtà Patres ſtupendo & ineffabili modo operantur: atqui ſi ex ſolo operantis opere juſtificarent, jam eorum operatio nihil ſtupendi, nihil inſoliti haberet. Minor patet: quia nihil mirum, quòd quis per opera bona gradum ſibi faciat ad juſtificationem; cùm hæc ſolita ſit providentiæ agendi ratio. Prob. Itaque major ex Patribus: S. Gregorius Nyſſen. Orat. de Bapt. poſtulanti quô pactô regeneret baptiſmalis aqua, reſpondet: *Oſtende mihi modum nativitatis quæ ſit ſecundùm carnem; & ego tibi vim regenerationis, quæ ſecundùm animam ſit, exponam ---- ubique divina vis & efficacia incomprehenſibilis.* S. Auguſt. Tract. 80. in Joan. ſtupens exclamat: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Idem docent cæteri.

Obj. 1mo. Si Sacramenta parerent gratiam ex opere operato, eſſet aliquid ſaltèm apud Patres, quod huic operationi patrocinaretur: atqui falſum conſequens; imò vox ex *opere operato*, barbara eſt, & majeſtate Eccleſiæ indigna. R. ad 1. neg. min. Etſi enim vox *operis operati*, non magis apud Patres invenitur, quàm vox *conſubſtantialis* apud Patres Antenicænos, utraque tamen apud eos reperitur quò ad rem, nomine ſignificatam. Neque jam recens eſt operis operati nomen, cùm eô uſus ſit S. Thomas, & qui ante eum floruit Innocentius III.

Nec nocet fictitia nominis barbaries, quippè ut notat Auguſtinus: *Meliùs eſt ut nos reprehendant Grammatici, quàm ut non intelligant populi.*

Obj. 2do. Quæ operantur virtute diſpoſitionis ſubjecto inexiſtentis, non operantur ex opere operato: atqui Sacramenta novæ Legis operantur, &c. R. neg. min. Quia Sacramenta operantur in infantibus, in quibus nulla eſt diſpoſitio.

Inſt. 1mo. Quæ majorem operantur gratiam, ubi major eſt diſpoſitio, minorem ubi minor, ea operantur virtute præviæ diſpoſitionis: atqui ex Trid. Sacramenta majorem, &c. R. diſt. min. Sacramenta majorem operantur gratiam ubi major eſt diſpoſitio, & diſpoſitio hæc non ſe habet ut meritoria gratiæ ſacramentalis, ſed ſolùm ut removens obicem, C. Secùs, N. Sacramenta operantur ut cauſæ naturales: eæ porrò plùs pariunt effectus in ſubjecto meliùs diſpoſito, nullumque prorſus in ſubjecto, prorsùs indiſpoſito; verùm conſtat nullam ex ſubjecti diſpoſitione vim, communicari cauſæ naturali, ſed permitti duntaxat ut ejus activitas exerat ſe, quantum poteſt. Sic ſol majorem luminis copiam effundit per cryſtallum meliùs diſpoſitam: nec tamen cryſtallus principium eſt luminis efficiens.

Inst. 2dò. Quævis pia dispositio est actus bonus & supernaturalis: atqui actus quilibet bonus & supernaturalis, meretur gratiam saltèm de congruo, & majorem, cùm melior est & sanctior; ergo dispositio habet se ut causa gratiæ meritoria. R. dist. min. Actus supernaturalis meretur gratiam, sed non sacramentalem, C. Sacramentalem, N. Itaque actioni cuilibet piæ, sua respondet gratia; sed & sua, quoque gratia signis ad eandem producendam à Deo institutis, respondere debet. Unde qui seclusô Sacramentô nonnisi parem pietati suæ gratiam reportasset, aliam eamque longè digniorem recipit, ex facta sibi Sacramenti applicatione. Sic qui attritus accedit ad Pœnitentiam induitur justificatione, quæ non respondet attritioni, sed soli Sacramento. Unde tunc habenti datur, & quod meruit de congruo, & quod mereri non potuit, nimirùm gratia sanctificans.

Obj. 3tio. Si Sacramenta gratiam ex opere operato pariant, vel physicè vel moraliter: atqui neutrum dici Potest. Pro solutione

Not. Causam vel *physicè* operari, cùm per se & reali ac immediato influxu producit effectum; & sic sol lumen physicè parit; vel *moraliter*, cùm etsi physico influxu effectum non pariat, movet tamen aliam causam liberam ad eum producendum; movet, inquam, imperiô, consiliô, precibûs, vel sui positione, & ex pacto. Sic schedula cujus ad exhibitionem solvitur alicui pecunia, causa est moralis cur pecunia hæc solvatur, vi scilicet pacti, quod debitorem inter & creditorem præcessit.

Causa physica sicut & moralis dividitur in primariam, & instrumentalem. Primaria agit propria sua virtute & motu, vel physicè, ut cùm faber lignum dividit, vel moraliter, ut cùm creditor repetit summam pecuniæ. Instrumentalis non sua, sed causæ principalis virtute agit, vel physicè, ut serra quâ utitur faber, ut lignum secet; vel moraliter ut syngrapha debitoris, quam exhibet creditor, ut debiti solutionem exigat.

Certum est novæ Legis Sacramenta esse saltèm causas morales gratiæ; Quæ enim ipsa sui positione determinant Deum ad conferendam gratiam, necessariò sunt causæ morales gratiæ; sicut moralis est homicidii causa, qui hominem movet ad homicidium: atqui Sacramenta novæ Legis ipsa sui positione Deum movent ad gratiæ collationem; ergo. Quin & nomen causæ moralis meliùs, quàm aliæ causæ merentur, quia Deum certiùs ac infallibiliùs movent, vi scilicet pacti ab ipso Deo instituti. Sed quæritur? an tota illorum causalitas eò reducatur. Negant Thomistæ, & physicam agendi vim Sacramen-

mentis inesse putant: affirmant è contrario Scotistæ. Sit

Conclusio II. Sacramenta gratiam non producunt physicè.

Prob. 1mo. Quod physicè gratiam producit, debet physicè & quò ad entitatem existere eô instanti, quô gratiam producit; quod enim physicè non existit, physicè nihil est: quod autem physicè nihil est, vim agendi physicam habere non potest: atqui Sacramenta, quæ in usu posita sunt, ut Baptismus, & alia præter Eucharistiam, non existunt physicè, quô instanti gratiam producere supponuntur. Prob. min. Sacramentum gratiam non producit, nisi postquam pronuntiata est ultima formæ syllaba: atqui cùm prolata est ultima formæ syllaba, jam non existit Sacramentum physicè. Physica enim Sacramenti entitas, ex omnibus formæ syllabis, essentialiter constat: atqui cùm pronuntiatur ultima formæ syllaba, cæteræ non existunt ampliùs. Non enim existunt hæc verba, *Ego te baptiso*, cùm proferuntur ista, *Et Spiritûs Sancti*: Imò nec existit ultima hæc syllaba; cùm statim ut prolata est, jam nihil sit physici; ergò cùm gratia nonnisi post completam hujus syllabæ prolationem pariatur, non producitur ab aliquo quod physicè existat, ac proin physicè produci non potest.

Prob. 2do. Baptisma fictè susceptum reviviscit, adeòque effectum suum operatur, pluribûs quandoque annîs postquam susceptum est: atqui tunc non operatur physicè, cùm tunc physicè esse desierit & jàm dudùm.

Prob. 3tio. Inter causam physicam & effectum ejus, debet esse proportio saltèm remota: atqui inter Sacramenta, quæ signa sunt corporea, & gratiam quæ est quid spirituale, nulla est etiam remota proportio; cùm materiale & immateriale sint in genere prorsùs diverso.

Prob. 4to. Non est tribuenda Sacramentis nobilior operandi ratio, quàm Christi passioni; cùm illa totam ab ista vim suam mutuentur: atqui passio Christi non est causa gratiæ nostræ physica, sed meritoria solùm seù moralis, ut docet Tridentinum Sess. 6. cap. 5.

Obj. 1mo. Scriptura expresè docet hominem renasci *ex* aqua, salvum fieri *per* lavacrum regenerationis, mundari *in* verbo vitæ: atqui particulæ illæ physicam causalitatem exprimunt. Alioqui ambigi posset an omnia *per* Verbum physicè facta sint; an *ex* illo physicè sint omnia; an verè universa *in* ipso constent. R. neg. min. Ut enim è citatis vocibus erui non possit causalitas physica, sufficit ut iis utatur Scriptura, ubi de causis etiam moralibus agitur: atqui res sic se habet. Sic Apocal. 1. dicitur quòd *Christus lavit nos à peccatis nostris* IN *sanguine suo.* Sic Hebr. 9. idem *Christus* PER *proprium san-*

guinem semel in sancta introiisse dicitur: atqui tamen Christus neque nos physicè lavit à peccatis in sanguine suo, nequè physicè per sanguinem in cœlum introivit, &c. unde ut detegatur causalitas prædictis particulis expressa, videndum est cui eas materiæ, applicet Scriptura. Sic omnia *per* Verbum physicè creata esse intelligentur, tùm quia nulla est creatura quæ esse possit causa physica creationis; tùm quia divinitatis characteres, Verbo apprimè conveniunt, proindeque & potentia creandi.

Obj. 2do. SS. Patres, ut Sacramentorum efficaciam explicent, ad solam Dei omnipotentiam admirabundi recurrunt: atqui nulla foret tantæ admirationis ratio, nisi Sacramentorum causalitas esset physica. Quid enim tàm mirum, quòd præsente syngrapha moveatur quis, ad debiti solutionem? R. neg. min. Seù enim physica sit, seù moralis Sacramentorum efficacia, est cur miremur, quòd Deus ad infirmi elementi præsentiam, atque ad vocem hominis plerumque peccati sordibus involuti, tàm citò, tàm infallibiliter, tàm stabiliter animam ex infensa sibi per gratiam reconciliet, atque in ea mansionem faciat.

Obj. 3tio. Si Sacramenta physicè non operantur, jam sunt conditiones sinè quibus non: atqui falsum consequens. Minor patet ex unanimi consensu Theologorum, cùm S. Thoma in 4. dist. 1. q. 1. a. 4. Prob. Itaque major. Conditio sinè qua non, ea est quæ licèt non determinet, ità se habet respectu effectûs, ut is eâ positâ ponatur, & sublatâ tollatur: atqui sic se habent Sacramenta in systemate nostro. Iìs enim positîs, ponitur effectus, non quia Deum determinant, sed quia determinavit se Deus ad ponendum hunc effectum, quoties signa hæc ponerentur.

R. 1mo. Argumentum hoc adversariis solvendum esse, pro casibus in quibus Sacramenta fictè suscepta reviviscunt; tunc enim, juxta ipsos, moraliter tantùm operantur.

R. 2do. ad 1. neg. maj. Conditio enim pura nihil habet quod activè influat in effectum: Sacramenta porrò verè influunt in effectum. Et verò conditio sinè qua non, non movet agens principale ad actionem, sed tantùm removet id, quò actio ejus prohiberetur: atqui Sacramenta Deum ad gratiæ infusionem movent, moraliter quidem, sed tamen verè.

Ad 2. neg. min. Ea enim moraliter determinant Deum, quæ Christi merita moraliter determinantia sibi annexa habent, & eo sensu includunt aliquid humanæ justificationi æquivalens: atqui talia sunt Sacramenta; ergo non sunt meræ conditiones.

Obj. 4to. Idem sit de cæteris Sacramentis judicium ac de-

Pœni-

Pænitentia: atqui hæc gratiam physicè producit; quia Sacerdos mendaciter diceret, *Ego te absolvo*, nisi verè & realiter dimitteret peccata, ac proinde gratiam produceret. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Qui enim moralis est causa alicujus effectûs, verè dicere potest, *Ego id operor.* Sic Christus verè posset dicere, *Ego vos per sanguinem meum justifico*, licèt justificatio nostra nonnisi moraliter per Christi sanguinem peracta fuerit. Sic quoque dicere posset Episcopus in Ordinatione, *Do tibi potestatem offerendi Sacrificium*, licèt potestatem hanc non physicè pariat sed solùm moraliter.

Conclusio III. Sacramenta gratiam moraliter operantur.

Prob. 1mo. Vel Sacramenta moraliter operantur, vel physicè, vel meræ sunt conditiones: atqui nec operantur physicè, nec meræ sunt conditiones.

Prob. 2do. Ut Sacramentis non alia quàm moralis causalitas attribuenda sit, tria sufficiunt, 1mo. Ut causalitas physica vix ac nè vix quidem intelligi possit; 2do. Ut causalitas moralis sit in rei veritate causalitas propriè dicta; 3tiò. Ut sufficiat ad explicanda Patrum Conciliorumque testimonia, in quibus, vis Sacramentorum maximè commendatur: atqui 1mò. physica causalitas plena est obscuritatis, vixque ab aliis quàm ab assertoribus suis intelligitur, ut diximus; 2do. causalitas moralis est vera & propriè dicta causalitas; qui enim cædem imperat, vera est homicidii causa: unde & David Uriam interfecisse dicitur; 3tio. demum eadem causalitas ad explicanda Patrum Conciliorumque dicta sufficit. Si enim Scriptura & Patres simpliciter & sinè addito dicant, sanguinem Christi mundare ab omni peccato, fidem salvare, eleëmosynam liberare à morte; licèt mundatio, salus, liberatio à morte ab iisce causis non physicè, sed moraliter profluant, quidni Sacramenta simpliciter dicantur parere gratiam, licèt non alia quàm morali, efficientia donentur?

Obj. 1mo. ex Joan. 6. *Caro* Christi in Eucharistia *verè est cibus*, ac proinde verè nutrit: sed quod moraliter tantùm operatur, non verè nutrit; sed quasi metaphoricè tantùm. R. neg. min. Verè enim nutrit id, quod animam impinguat, & adversùs hostis tentationes munit: atqui quod moraliter gratiam parit, utrumque abundè præstat.

Obj. 2do. Minister Sacramenti, dicitur gratiam conferre: atqui si solum moraliter Deum moveat, non poterit dici conferre gratiam. Tunc enim habebit se ut creditor, qui exhibita debitori syngrapha, hunc movet ad collationem pecuniæ: atqui creditor ille nullibi dicitur pecuniam solvere.

R. ad 1. dist. maj. Dicitur gratiam conferre ut causa instru-

mentalis, C. Ut causa primaria, parivè cum ea gradu concurrens, N. Solutio patet ex dictis.

R. ad 2. dist. Minister se habet ut creditor, se, inquam, habet quantùm ad aliquid, C. Quantùm ad omnia, N. Geminum enim est præcipuè discrimen inter Ministrum qui Sacramenta, & creditorem qui schedulam exhibet. Primum quòd Minister ex Christi institutione habeat vim certam obtinendi effectûs; creditor verò sæpè sæpiùs nihil obtineat. Secundum, quòd creditor non possit dici solvere; quia solvit, non qui jus habet ad debitum, sed qui debitum contraxit; contrà verò Minister dici possit gratiam dare, quia nihil est in ejus persona, quod huic *dantis* appellationi resistat; modò tamen nonnisi instrumentaliter dare intelligatur.

§. III. *De efficientia Sacramentorum antiquæ Legis.*

Circa discrimen Sacramentorum novæ & antiquæ Legis, quædam sunt de quibus Catholici conveniunt; quædam de quibus inter se disputant. Nimirum conveniunt omnes differre utriusque legis Sacramenta, 1mo. Ritu externo; 2do. Numero, qui apud Judæos major, brevior est apud nos; 3tio. Facilitate Baptismi v. g. præ circumcisione; 4to. Nobilitate, quatenus nostra à Christo, antiqua verò à Mose promulgata sunt. Verùm an sicut ritu, sic efficacia differant, non ita convenitur. Præcipuas tantùm opiniones, referam.

Prima eorum est, qui gratiam in veteribus Sacramentis collatam fuisse volunt non tantùm ex merito operantis, sed etiam præter illud, seù ex opere operato. Ità Durandus in 4. dist. 1. q. 5.

Secunda eorum est, qui de circumcisione aliter ac de cæteris Sacramentis judicant; adeò ut illam vel ex opere operato, vel quasi ex opere operato gratiam regenerativam saltèm infantibus contulisse velint; cætera verò Sacramenta, nonnisi ex opere operantis.

Tertia eorum est, qui nè ipsam quidem Circumcisionem per se gratiæ productivam fuisse sentiunt: & hi, vel negant illam in remedium peccati originalis à Deo fuisse institutam, vel si id fatentur, totam ejus efficaciam à fide Ministri, parentumvè aut suscipientis, suspensam fuisse volunt.

Ab his omnibus quantùm ad alia à Circumcisione Sacramenta, recessit Magister Sent. qui L. 4. dist. 1. aït *ex operibus legis neminem justificatum fuisse, etiamsi ex fide & charitate fierent*; quia imposuerat ea Deus *in servitutem, non in justificationem.* Sit

CON-

CONCLUSIO I. Sacramenta Legis antiquæ in usu gratiam conferebant, sed non ex opere operato, dempta circumcisione, de qua infra.

Prob. I. pars: 1mo. Quia alioqui nihil prorsus merebantur Judæi ad Sacramenta sua cum fide & charitate accedentes, prout innuit Mag. Sentent. atqui falsum est id, & erroneum. Omne enim pietatis opus bonum est & meritorium: atqui usus veterum Sacramentorum, sicut & eorumdem collatio, erat opus pietatis, quô supremo Enti aliquid debiti honoris pendebatur.

Prob. 2do. Ex Canone Missæ in quo petimus ut Deus sacrificium nostrum, id est, actionem quâ sacrificium peragimus, acceptum habeat, sicut acceptavit *munera pueri* sui *Abel*, & sacrificium quod illi obtulerunt Abraham & Melchisedech: atqui actiones Deo gratæ & acceptatæ, non potuerunt esse sine merito. Jam verò haud deterior fuit conditio sacrificiorum quæ sub Lege, quàm quæ ante Legem oblata sunt. Hinc toties testantur Scripturæ piorum Judæorum sacrificia, suavissimi coram Deo fuisse odoris, ut Levit. 1. 3. &c. quòd & ipse Deus, igne cœlitùs emisso victimas consumens, pluries declaravit, ut Levit. 9. II. Reg. 6. Et verò quis meriti vacuam existimet actionem quâ B. Virgo par turturum, in templo obtulit; id tamen dicendum foret, si legalium usus nihil iis profuisset, à quibus ex fide etiam & charitate usurpabatur.

Obj. Lex vetus in jugum imposita fuit ex Act. 15. ergo non in justificationem, R. neg. consequ. Qui enim onus sibi à Deo impositum ex animo & charitate subit, Dei voluntatem implet; ac proinde sine merito esse nequit.

Prob. 2. pars: 1mo. Quod gratiam operatur ex opere operato, hominem justificat efficaciori quô potest fieri modô: atqui vetera Sacramenta non justificabant - - - - Quæ enim erant partes Legis secundùm se totam infirmæ & inutilis, non justificabant præstantiori modo: atqui Sacramenta erant partes - - - - Prob. min. ex Hebr. 7. ubi sic: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Ubi Lex non dicitur inutilis quia reprobata, sed reprobata, quia inutilis: porrò quod reprobatur ut inutile, per se justificare non potuit.

Confirm. ex ejusdem Epistolæ c. 10. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit* Christus: *Hostiam & oblationem noluisti.* Unde sic: Quæ per se, seù ex opere operato justificant, auferunt peccata: atqui antiqua Legis Sacramenta peccata non auferebant, etiam ante adventum Christi, & factam ab eo Legis abolitionem; cùm jam à primo suo in mundum ingressu testetur Christus,

Deum

Deum hujusmodi Sacramenta, hostias & oblationes non acceptasse, quasi quæ ad peccati emundationem inservire possent.

Prob. 2do. ex Patribus. Chrysost. Orat. de Bapt. *Judaica expiatio*, inquit, *nequaquam à peccatis liberabat - - - - nostra verò & à peccatis liberat, & animam emundat.* Quæ verba thesim nostram expresse continent. S. Aug. in Psal. 73. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris promiserunt Salvatorem*, & quæst. 25. in Lib. Num. *Si per se attendantur* antiquæ Legis Sacramenta, *nullô pactô possunt mederi*. Ea sanè non prosunt ex opere operato, quæ nec *dant salutem*, nec *ullô pactô* mederi possunt.

Prob. 3tio. ex Decreto Eugenii IV. ubi sic: *Novæ Legis Sacramenta - - - - multùm à Sacramentis differunt, antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*; ergo opinio nostra, est Rom. Ecclesiæ doctrina, quam idcircò docet Cathechismus Rom. part. 2. n. 27. ei proinde adhærendum, non quidem ut articulo fidei; (neque enim mens Eugenii fuit ut totidem fidei articulos Armenis ad credendum præscriberet) sed ut sententiæ, quæ ab ipsa Ecclesiarum omnium Matre, plurimùm habet commendationis.

Obj. 1mo. Scriptura de veteribus perinde ac de novis Sacramentis loquitur. Quæ enim Jacobi 5. de Unctione-Extrema dicit: *Orent Presbyteri super eum*, & *oratio fidei salvabit infirmum*: haud absimilibus verbis loquitur Levit. 44. *Rogabit pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* R. dist. ant. Scriptura de veteribus perinde ac de novis loquitur respectu pœnæ & imunditiæ legalis, C. Respectu gratiæ sanctificantis, N. Quæ enim respectu gratiæ somnia erant, figuræ & imagines, gratiam hanc per se, non conferebant: atqui ex S. Basilio L. de Spir. S. c. 14. vetera Sacramenta erant figuræ, &c.

Inst. Hæc habet S. Paulus I. Cor. 10. de veteribus Hebræis: *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Unde sic: Spiritualis esca, spiritualis & potus à Christo profluens, nihil aliud esse potuit, quàm gratia sanctificans: atqui Judæi escam & potum spiritalem in Sacramentis suis reperiebant ex Apostolo; ergo, R. neg. maj. Hic quippe per spiritalem escam & potum intelligit solùm Apostolus manna & aquam de rupe scaturientem, quæ eô modô spiritualia dicuntur, quô petra ipsa dicitur Christus, quia nimirùm utrumque vel indicabat potentiam Christi Israëlitas in deserto nutrientis, vel ejusdem aliquando

ven-

venturi, & fideles corpore ac ſanguine ſuo refecturi ſignum erat, quod à fide ſola, non autem à ſenſibus, percipi poſſet. Præterea manna & aqua de rupe profluens, non erant veri nominis Sacramenta; tùm quia alioqui facilè decies per diem Sacramentis refecti eſſent Judæi, quod rediculum eſt; tùm quia mannæ & aquæ de petra manantis, idem omnino erat apud Hebræos uſus, qui cibi & potûs alio tempore ſumpti; Sacramentum autem nonniſi religioſô modô tractatur; tùm denique quia Sacramentum, ritus eſt ſtabilis; manna autem Judæis nonniſi ad breve tempus inſerviit.

Inſt. 2do. ex Aug. in Pſal. 77. *Idem in myſterio Judæorum* fuit *cibus & potus, qui noſter*: atqui non idem fuiſſet Judæorum cibus, qui noſter, niſi cibus ille eodem in ipſis, quô in nobis modô, operatus fuiſſet. R. diſt. maj. Idem Judæorum cibus fuit & potus, qui noſter, idem, inquam, ſignificatione, C. Idem virtute & efficacia, N. Pergit ſibi interpres Auguſtinus: *Significatione idem, non ſpecie; quia idem ipſe Chriſtus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatur.*

Obj, 2do. Duo rationis momenta: 1. Sacramenta populo Dei data erant, ut media ſalutis: atqui non fuiſſent ſalutis media, niſi gratiam vi ſua contuliſſent; 2. Qui Sacramentô piè utebatur, plùs recipiebat ſpiritualis lucri, quàm qui per ſignum arbitrarium, fidem ſuam profitebatur: atqui tamen æqua fuiſſet utriuſque conditio, niſi Sacramenta vim habuiſſent juſtificandi. R. ad 1. diſt. Sacramenta vetera erant media ſalutis, ſed media ſui generis, infirma ſcilicet, & quæ per ſe ſola non ſufficerent, C. Media de ſe efficacia, N. Itaque nec conferri cum noſtris poſſunt vetera Sacramenta, nec tamen ſi ſecundum annexas ſibi appendices ſpectentur, pro ſignis indifferentibus haberi debent. 1mo. Quia inſtar Legis, cujus partes præcipuæ fuerunt, totidem erant Pædagogi, ad Chriſtum deducentes; 2do. Quia religioſam eorum frequentationem remunerare potuit Deus, largioribûs gratiîs, haud quidem debitis operi exercito, ſed ejus occaſione per ſummam Dei miſericordiam conceſſis. Unde concipi poteſt Judæos ritibûs externîs, ad pietatem motos fuiſſe. Deum verò, quaſi motum hac pietate, ad eam ultra condignum, ſi ità loqui fas eſt, remunerandam.

Ad 2. neg. min. Qui enim ſignîs à Deo inſtitutîs piè utebatur, pietatis & fidei merito, meritum jungebat obedientiæ: hoc autem meritô carebat, qui vel arbitria uſurpabat ſigna, vel nulla.

CONCLUSIO II. Sacramenta Moſaïca, gratiam producebant ex opere operantis.

Prob. 1mo. Sacramenta gratiam producebant, ex I. p. Concl. atqui non producebant ex opere operato, ut vidimus II. p. ergo

ergo cùm inter utramque operandi rationem nullum verè sit medium, superest ut gratiam ex opere operantis produxerint.

Prob. 2do. Idem operari debuerunt Judaïca Sacramenta, quod legitima Judaïcarum solemnitatum celebratio: atqui hæc piè peracta, spiritualem gratiam pariebat: uti apertè docet Isaïas c. 56. *Qui custodierint Sabbata mea, & tenuerint fœdus meum - - - - nomen sempiternum dabo eis.*

Obj. Sacramenta vetera ex Apostolo infirma erant & egena: atqui egena non fuissent, si ex adjutorio fidei peperissent gratiam. Nova enim Sacramenta nonnisi ex fidei auxilio, gratiam pariunt. R. ad 1. neg. min. Egenum est enim respectu justificationis id, quod non per se, sed solùm dependenter ab alio tanquàm causâ, justificationem parit: atqui vetera Sacramenta justificationem non pariebant per se, sed dependenter à fide tanquàm ejusdem justificationis causâ. Unde justificatio consequens, soli fidei respondebat, aut saltèm soli divinæ miserationi, quæ fortè ut Sacramenti, sic & fidei defectum quandoque occasione Sacramenti supplebat.

Ad 2. dist. min. Sacramenta nostra non pariunt justitiam nisi ex auxilio fidei, id est, supponunt fidem ut conditionem præviam, C. Id est, à fide suam habent vim justificandi, N.

Conclusio III. Certùm non est Circumcisionem institutam fuisse, in remissionem peccati originalis.

Prob. Ille effectus Circumcisioni certò attribui non potest, qui neque ex Scripturis, neque ex Patribus, certò colligitur: atqui talis est peccati originalis per Circumcisionem remissio. Et quidem 1mo. effectus ille erui nequit è Scriptura; tùm quia hæc nullibi de eo loquitur; quin & hunc omittit S. Paulus Rom. 3. ubi tamen totus est in commendanda Circumcisionis utilitate; tùm quia signum fœderis independenter à Circumcisione initi, erat signum justitiæ, independenter ab eadem Circumcisione collatæ: atqui Circumcisio erat signum fœderis, independenter à Circumcisione initi. Nam Rom. 4. dicitur Abraham accepisse *signum Circumcisionis* ut *signaculum justitiæ, quæ est in præputio*, id est, quam acceperat adhuc incircumcisus. *Si autem*, aït hìc Estius, *cui primo data est Circumcisio, nihil ex ea consequutus est justitiæ, consequens apparet: nec cæteros ex ea justificari potuisse.* 2do. Neque idem effectus erui potest, ex Traditione. Verissimè enim dixit Estius ibid. *Nec facilè quempiam reperias Augustino priorem, qui in signaculo Circumcisionis virtutem agnoscat, animas à peccato mundandi; tametsi hæc opinio post Aug. eoque, ut apparet authore, multùm apud Latinos recepta fuerit.* Et verò Circumcisionem nihil ad justitiam profecisse tradunt S. Justinus Dialog. cum Triphone, ubi sic:

sic: *Abraham Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam: quemadmodum & Scripturæ, & res ipsæ nos fateri cogunt.* Tertul. L. contra Judæos c. 3. *Providens Deus quòd hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Concinunt Cyprian. Lib. 1. contra Judæos c. 8. Epiph. hæresi 8. Chrysost. Hom. 27. in Genesim, ubi Circumcisio *ad justitiam nihil* conferre dicitur, &c.

Cùm autem ab ea antiquiorum Patrum opinione recesserit Augustinus, *eoquè, ut apparet, authore* complures alii; putà SS. Prosper, Fulgentius, Beda, Innocentius III. in cap. *Majores*, probata manet secunda Conclusionis nostræ pars, scilicèt certum nihil & unanime in præsenti negotio, colligi posse ex Patribus.

Obj. id Genes. c. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, & quidem *octavo die*, ut habent LXX. Interpretes, *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit:* atqui pactum quod infans octo dierum violat, & violando damnari meretur, est ipsum pactum, quod Deus inierat cum Adamo, ut nisi abstineret à fructu vetito, æternæ temporalique morti obnoxius fieret. Infans enim, utpotè præcepti incapax, nullius alterius pacti infractor esse potest; ità Aug. L. 16. de Civ. c. 27. R. neg. maj. Hæc enim verba *octavo die*, quæ in mendosis Codicibus legebat Augustinus, & propter quæ pactum Dei ab ipsis etiam infantibus irritum fieri ac proinde pactum hoc, non pactum cum Abraham, sed cum Adamo initum esse credidit: hæc, inquam, verba assuta sunt & Scripturæ extranea; unde nec in vulgata editione, nec in Codicibus Hebraïcis, nec in Paraphrasi Chaldaïca habentur. Quapropter corruente Aug. fundamento, superstructam ei opinionem corruere, necessum est. Itaque juxta germanam hujusce textûs lectionem, præceptum Circumcisionis dirigitur ad adultos, quos capite plecti mandat Deus, si pactum Circumcisionis irritum fecerint, id est, si se suosvè circumcidi non curent. Hinc Exodi 4. propter omissam filii Moysis Circumcisionem, non filium, quia innocens erat, sed patrem, quia reum, Deus occidere voluit.

Inst. Verba hæc, *octavo die*, quæ in falsis Codicibus legisse supponitur Aug. re ipsa habentur cit. cap. 17. Genes. v. 12. ubi dicitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*; ergo stat totum Augustinianæ ratiocinationis robur. R. neg. ant. & conseq. Neque enim hinc solùm petita erat Aug. ratiocinatio, quòd infans octavo die circumcidendus esset; sed quòd omissa hac Circumcisione, infans ille è populo Sanctorum, deleri deberet, hanc porrò comminationem, quam è Codicibus suis colligebat

S. Do-

S. Doctor, non importat versus 12. ubi solùm præcipit Deus, ut infans non ante octo à nativitate dies circumcidatur, nè ferendo dolori impar, succumbat.

Quæres an in Augustini sententia Circumcisio labem originalem deleverit ex opere operato.

R. affirm. Sic enim loquitur S. Doctor Lib. 1. contra Crescon. c. 32. *Numquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterùm circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei probaretur,* & infrà: *Cur Circumcisio, & apud hæreticos Judæorum esse potuit, iste autem Baptismus apud hæreticos Christianorum non potest esse?* Unde sic: Id quod valet independenter à merito tùm Ministri, tùm suscipientis, valet per se, seù ex opere operato: atqui ex Aug. Circumcisio valebat independenter - - - - In parvulo enim, aut in adulto hæretico, qui ab hæretico alio circumcidebatur, nullum erat meritum seù Ministri, seù suscipientis: atqui tamen ex Aug. tunc valebat hujusmodi Circumcisio, sicut valet collatum ab hæreticis Baptisma, &c.

Neque ex hoc Augustini systemate convellitur Eugenii IV. Decretum. Is enim Pontifex nonnisi *antiquæ Legis* Sacramentis efficaciam ademit: atqui circumcisio, quæ 400. ad minus annis ante Legem sancita erat, non fuit Sacramentum antiquæ Legis, sed Legis naturæ; unde id Christi: Circumcisio *non ex Moyse est, sed ex Patribus.*

ARTICULUS SECUNDUS.
De Charactere.

CHaracter sacramentalis definitur, Signum in anima indelebiliter impressum, per quod Christianus homo, ab aliis distinguitur, fitque idoneus ad nonnulla, quæ sunt cultûs divini, putà in Confirmatione ad profitendam fidem, in Ordine ad obeundas Ecclesiastici statûs functiones. Jam quæritur, 1mo. An & per quæ Sacramenta, imprimatur character; 2do. Quæ sit ratio ejus constitutiva; & quæ proprietates.

§. I. *An & per quæ Sacram. imprimatur character.*

Characteris existentiam primus omnium, negavit Wiclefus. Hunc sequuti sunt Lutherus, Calvinus, &c.

Conclusio I. Datur character sacramentalis.

Prob. Illud dogma admmitti debet, quod & in Scripturis insinuatum, & confirmatum à Traditione, tandem definitum est ab Ecclesia: atqui dogma de quo loquimur, 1mo. Insinuatum

est

est in Scripturis. Sic enim loquitur Apost. 2. Corint. 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos*, &c. Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* atqui signaculum de quo loquuntur citati textus, non incongruè intelligitur de signaculo characteris; tùm quia distinguitur à signaculo gratiæ; *Unxit nos*, en operatio gratiæ, *& signavit*, en impressio characteris; tùm quia Patres qui characterem admisêre, ad prædictos Apostoli textus allusisse videntur; imò eos de charactere diserte explicant Chrysost. Hom. 1. & 14. Œcumenius, & Theophil. Et verò S. Paulus hìc alloquitur omnes etiam improbos, ac proinde homines signaculô gratiæ destitutos, ut ex ejus discursu apparet.

2do. Idem dogma confirmatum est à Patribus. S. Cyrillus Præfat. in Catecheses: *Baptisma*, inquit: *signaculum sanctum & indelebile*, S. Ambr. L. 1. de Spir. S. c. 7. *Repete quia accepisti signaculum spiritale.* S. Aug. Epist. 185. n. 43. hanc reddit rationem cur Donatistas non rebaptiset: *Non facio injuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris* & L. 6. contra Donatistas c. 1. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ -- etiam ovem quæ foris errabat, & Dominicum characterem --foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi --- characterem tamen Dominicum in ea agnosci potiùs, quàm improbari.* Concinit Epiphanius hær. 8. ubi docet Fideles *in anima signari per Baptismum, quomodo Judæi in corpore per Circumcisionem signabantur.* Ex quibus sic in forma: Per characterem intelligit Ecclesia signum animæ indelebiliter inhærens, vî cujus homo Christo addictus ab alio secernitur, atqui signum hoc admisêre PP. Ubi enim agnoscitur nota indelebilis, nota quæ in ipsa hæresi suscipitur, nota quâ nè ipsi quidem apostatæ carent, nota quæ tàm discernit fideles ab infidelibus, quàm Judæos à non Judæis Circumcisio; ibì indubiè signum spiritale & indelebile de quo loquimur: atqui in citatis textibus agnoscitur nota indelebilis, &c.

3tiò. Demùm, idem de charactere dogma definitum est in Conciliis Florent. & Trident. quorum verba adducemus, Conclus. seq.

Prob. 2do. Constat semper moris fuisse in Ecclesia, ut Sacramenta quædam iterarentur, quædam minimè: atqui nulla discriminis hujus ratio reddi potest, nisi quòd hæc characterem indelebilem pariant, illa verò nonnisi gratiam sanctificantem; quæ cùm sæpè amittatur, æquum fuit, ut hæc Sacramenta quæ nec in se, nec in ullo sui effectu permanent, possent iterari.

Obj. 1mo. Opinio cujus epocha assignari potest, inter fidei arti-

articulos computari nequit: atqui assignari potest epocha opinionis, quæ characterem adstruit. Hæc enim opinio Theologis omnibus ante Petrum Pictaviensem *fuit prorsùs ignota. Unde nihil de charactere habent Magister Sent. Hugo Victorin. Albert. Magn. &c. R. neg. min. Veteres enim Theologi characterem, non ipso quidem characteris nomine, sed sub alio æquivalenti agnoverunt. Sic Mag. Sent. Lib. 4. dist. 7. *Utrumque*, aït loquens de Baptismo & Ordine, *Sacramentum est, & quadam consecratione datur - - - - ideòque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari - - - - quod indubitantèr etiam de Confirmatione tenendum est.* Quid quæso, à charactere differt consecratio illa ob quam prædicta tria Sacramenta iterari non possunt.

Obj. 2do. Ideò characterem per aliqua Sacramenta imprimi contendimus, quia hæc Sacramenta iterari non possunt: atqui hæc probatio duplici ex capite nutat; 1mo. Quia in ea vitiosus occurrit circulus; cùm characterem ex initerabilitate Sacramenti, & initerabilitatem ejusdem Sacramenti ex charactere per eum impresso colligamus; 2do. Quia falsum est ea quæ iterari non possunt, imprimere characterem; cùm consecratio Calicis, imò Tonsura & Matrimonium, iterari non possint, & tamen characterem non imprimant, R. Datâ maj. quam ex prima nostra probatione falsam esse apparet, neg. min. ad 1. 2. Nego hic esse vitiosum circulum. Ad hoc enim necessum est ut idem ex eodem secundùm eundem respectum probetur; id autem non habet locum in probatione de qua agimus. Qui enim characterem probat ex initerabilitate, causam probat ex effectu; qui verò initerabilitatem colligit ex charactere, effectum probat ex causa. Sic qui diei lumen percipit, solis ortum probat, tanquam causam ex effectu; contra verò cæcus, qui scit solem hodie oriri horâ quintâ, inde paulò post infert diem illucescere, & servos ad operam vocat, adeòque effectum colligit ex causa.

Ad 2. 2. Consecratio Calicis est extra rem; cùm res inanimæ characteris spiritualis incapaces sint. Tonsura verò posset absolutè iterari, si sic videretur Ecclesiæ, cujus à nutu pendet ejus valor. Quod ad Matrimonium attinet, ex se iterari potest cum diversis personis, quod sufficit ut characterem non imprimat.

Obj. 3tio. Quod nullius est utilitatis, admitti non debet: atqui character nullius est utilitatis. R. neg. min. Et dico, characterem imprimi, 1mo. Ut Deus hominem sibi specialitèr vindicet tanquam domesticum, Filii sui jam passi notâ consignatum; 2do. Ut post mortem maneat in Beatis ad gloriam tanquam

* *Obiit an. 1205.*

quam animæ ornatus; & in reprobis ad opprobrium; 3tio. Ad deputationem, quæ congruentiùs fit per signum indelebile; decebat enim ut Ministri Sacerdotii æterni, signô quadantenus æterno consignarentur.

Conclusio II. Baptismus, Confirmatio & Ordo, characterem imprimunt, non alia Sacramenta.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Decreto Eugenii IV. quod his verbis adoptavit Tridentinum Sess. 7. Can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit;* 2do. Ex unanimi Veterum consensu, qui acceptam hanc à prædecessoribus suis veritatem, ad nos transmisêre; & licèt de natura characteris disputaverint, nusquam tamen de ejus existentia dubitaverunt.

Prob. 2do. Ex S. Aug. L. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. ubi hæc: *Utrumque*, Baptismus & Ordo, *Sacramentorum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; ideòque in Catholica* Ecclesia *utrumque non licet iterari.* Idem docet S. Pater de Confirmatione ibid. c. 104. atqui ut jam observavimus: consecratio ex qua initerabile redditur Sacramentum, idem est cum charactere. Et certè, si ordo characterem non imprimat, potest quis ex Sacerdote fieri Laïcus, quia in eo Sacerdotium mera erit deputatio exterior, quæ ut ab hominibus datur, sic & ab iis auferri poterit: atqui falsum est consequens, ut alibi ostendemus contra Protestantes.

Prob. 2. pars: Ea Sacramenta & sola, characterem imprimere debent, quæ constituunt hominem in novo statu, eòque de se constanti & perpetuo: atqui prædicta duntaxat Sacramenta, non autem alia hominem constituunt in novo statu - - - - Homo enim per Baptismum adscribitur in familiam Christi, & idoneus efficitur qui omnia Ecclesiæ bona participet. Per Confirmationem adscribitur in militiam Christi, ut ex officio pugnet contra hostes fidei. Per Ordinem adscribitur Ministris Christi, & potestatem accipit bona illius, aliis dispensandi: atqui triplex hæc adscriptio hominem constituit in novo statu qui de se constans est & perpetuus. Neque enim hodie solùm, sed semper idoneus esse debet baptisatus ad suscipienda Sacramenta, confirmatus ad vindicandam fidem, ordinatus ad distribuenda fidelibus Sacramenta, nisi ipse his muniis obicem ponat.

Aliud est de cæteris Sacramentis, quia sicut in politicis novum non recipit statum, qui comedit solùm in familia Regis, vel post offensam reconciliatur domino, vel ab ægritudine sanatur,

natur, vel Regi ſubditos procreat, ſic nec propriè in novo conſtituitur ſtatu, qui Euchariſtiâ ſpiritualiter reficitur, aut ſanatur Pœnitentiâ, aut per Unctionem morientium inungitur ad agonem, aut per Matrimonium munitur contra concupiſcentiam, & conjugii onera. Equidem qui connubio junguntur, novum inire dicuntur ſtatum; verùm ſtatus ille de ſe perpetuus non eſt; cùm ubi deceſſit conjugum alter, alter ad alium ſtatum planè diſparem, liber maneat.

Obj. In omni Sacramento reperitur aliquid, quod ſit tantùm *res Sacramenti*, & aliquid quod ſit *Sacramentum tantùm*; & demùm aliquid, quod eſt *res & Sacramentum:* atqui dempto charactere, nihil eſt quod ſit res ſimùl & Sacramentum; ergo. Pro ſolutione

Not. Theologi per *Sacramentum tantùm* illud intelligunt, quod ſignificat, & non ſignificatur; per *rem Sacramenti* id, quod ſignificatur & non ſignificat; ac denique per *rem ſimul & Sacramentum* id, quod ſignificat & ſignificatur. Hæc diſtinctio, quæ cæteroqui nullum in Patribus fundamentum habet, * haud ægrè concipitur in Sacramentis characterem habentibus; ibi enim materia & forma ſunt Sacramentum tantùm, quia characterem alioſque effectus ſignificant, & ipſæ non ſignificantur; ibi quoque gratia eſt res Sacramenti, quia ſignificatur & non ſignificat; ibi demùm character dici poteſt res & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur à Sacramento. In Euchariſtia quoque ſpecies ſunt Sacramentum tantùm, quia ſignificant corpus Chriſti & gratiam, & non ſignificantur; gratia eſt res tantùm, quia ſignificatur & non ſignificat; denique corpus Chriſti eſt res ſimul & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur à verbis & ſpeciebus. Demùm in Matrimonio verba, vel nutus contrahentium, ſunt Sacramentum tantùm, gratia ſacramentalis eſt res tantùm, & indiſſolubilitas Matrimonio fidelium annexa, eſt res & Sacramentum, quia ſignificatur per materiam & formam, & rursùs ſignificat gratiam, ac unionem Chriſti cum Eccleſia, aut Verbi divini cum natura humana.

Quod ad Extremam-Unctionem ſpectat, cenſent ſatìs communiter Doctores confortationem animi contra labores ægritudinis eſſe rem ſimul & Sacramentum; quia robur illud, & à Sacramento ſignificatur atque producitur ſaltèm aptitudinaliter, & ſignum eſt ſanitatis animæ. Gravior eſt de Pœnitentia diſceptatio. Thomiſtæ pro re & Sacramento, admittunt contritionem, quia ſignificatur per confeſſionem, & ſignificat atque parit gratiam, at modum hunc pluribus impugnat Lugo, & cenſet animæ pacem eſſe id, quod in Pœnitentia res ſit & Sacra-

* *Lugo.*

cra-

cramentum. Verùm de his quæ obſcuritatis plurimùm, parum amœnitatis, utilitatis nihil habent, penes alios eſto judicium.

§. II. *De eſſentia Characteris.*

Characteris eſſentiam alii reponunt in externa denominatione, per quam deputatur homo ad ſacra quædam munia; alii in relatione reali; alii in entitate abſoluta; alii cum P. le Courayer in ipſa Sacramenti, initerabilitate. Sit

Conclusio I. Character non conſiſtit in Sacramenti initerabilitate.

Prob. ex Trident. ſuprà:* *Si quis dixerit in tribus Sacramentis - - - - non imprimi characterem - - - - undè ea iterari non poſſint; anathema ſit;* ergo aliud eſt character *undè* fluit initerabilitas, aliud initerabilitas, quæ fluit è charactere. Quapropter prædictam Courayeri propoſitionem proſcripſit extraordinarius; qui an. 1727. Pariſiis habitus eſt Cleri Gallicani Conventus.

Conclusio II. Character non eſt mera denominatio extrinſeca. Eſt contra Durandum.

Prob. 1mo. Character eſt ſignum animæ indelebiliter impreſſum; eamque proin afficiens interiùs: atqui denominatio purè extrinſeca, non afficit mentem interiùs; quia alioqui non eſſet extrinſeca.

Confirm. Character adeò indelebilis eſt, ut in ipſis etiam reprobis perſeveret: atqui nulla in reprobis manet deputatio extrinſeca ad ſacras functiones.

Prob. 3tio. Definiît Synodus Trid. contra Novatores characterem eſſe aliquid animæ impreſſum: atqui admiſſa Durandi opinione definitio iſthæc, jam non ferit Novatores. An ii enim negarunt uſquam Miniſtros deputari ad functiones miniſterii. idque vî poteſtatis à Chriſto acceptæ? an negare potuerunt ex deputatione hac, novam enaſci in homine denominationem extrinſecam; ergo Durandi opinio, ut errorem ſapiens, explodi debet.

Obj. Id Auguſtini Serm. coram Emerito:** *Si Donatus baptiſaſſet in nomine ſuo, characterem impreſſiſſet:* atqui Donatus in nomine ſuo baptiſans nihil impreſſiſſet intrinſeci, ſed tantùm denominationem merè externam dare potuiſſet. R. diſt. maj. Si Donatus in nomine Donati baptiſaſſet, infixiſſet characterem ſuum, proutḣumano modo inſigni poteſt, C. Proùt à Deo in baptiſatis imprimitur, N. En Aug. verba: *Donatus*, quando baptiſavit, *non baptiſavit in nomine Donati; Nam ſi Donatus quando ſchiſma fecit, in nomine Donati baptiſaret, deſertoris*

* *Supra 115.* ** *T. 9. p. 619.*

characterem infigeret: ubi liquet S. Aug. nec de vero Baptiſmo loqui, quaſi poſſit aliquis baptiſari in nomine Donati, nec de vero charactere.

Conclusio III. Character eſt ens reale, cui tamen annexa eſt multiplex relatio.

Prob. 1. pars: Character concipitur tanquam forma indelebiliter impreſſa, ſigillans obligationem ſervandæ legis, fideles fidelibus eâdem notâ iſingnitis aſſimilans, in Beatis remanens ad ornatum, &c. atqui hæc enti reali competunt, non autem puræ relationi, cujus totum munus eſt, unum ad aliud referre.

Prob. 2. pars: Quia character fundamentum eſt relationis tùm ad Chriſtum, cui nos conſignat; tùm ad alios fideles, qui eodem ac nos charactere inſigniti ſunt; tùm ad divinum cultum, ad quem ordinat, &c.

Cæterùm character, utpote qualitas permanens, ſubjectum ſuum benè afficiens, illudque ad aliquod ſupernaturale determinans, revocari poteſt ad habitum.

Quæres an character, ſit prorsùs indelebilis.

R. 1mo. Characterem de potentia Dei abſoluta, deleri poſſe. Character enim eſt aliquid creati; nulla porrò eſt creatura, quæ à Deo deleri non poſſit.

R. 2do. Characterem in hac ſaltèm vita nuſquam deletum iri; tùm quia quædam eſt conſecratio, hæc autem tandiù durat, quandiù res conſecrata; tùm quia nulla forma ſi ſit de ſe permanens, niſi per contrariam deletur: porrò character eſt forma de ſe permanens, & contrariam non habet,unde iis etiam imprimitur, qui mortifera peccati tabe infecti ſunt, quô differt à gratia, quæ contrarium habet.

R. 3tio. Cum D. Thoma 3. p. q. 65. a. 5, ad 3. *Poſt hanc vitam remanet character & in bonis, ad eorum gloriam, & in malis, ad eorum ignominiam.* Et verò *militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam & in his, qui vicerunt ad gloriam, & in his, qui ſunt victi, ad pœnam.*

Obj. Non remanent in damnatis habitus Theologici; ergo nec in iis manere debet character. R. neg. conſeq. Habitus enim Theologici ordinantur ad operationes meritorias, quarum incapaces ſunt reprobi. Character verò id præcipuè habet, quòd conſignet animam; quæ quidem nota reprobis, ad ignominiam cedit.



CA-

CAPUT SEXTUM.
De Cæremoniis & Sacramentalibus.
ARTICULUS PRIMUS.
De Cæremoniis.

CÆrimoniæ, ſeù ut nunc communiùs, nec meliùs dicitur, cæremoniæ, definiri poſſunt, Actus externi Religionis ad Dei cultum, ejuſdemque cultûs ornatum, legitimè inſtituti.

Cæremoniæ dividuntur, 1mo. In *divinas*, quæ Deum ipſum authorem habent; & *Eccleſiaſticas*, quæ ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, inſtitutæ fuerunt. 2do. In eas quæ circa perſonas verſantur, ut exorciſmi, aſperſio aquæ; & eas quæ verſantur circa locum, tempus, &c. ut *Templorum* conſecrationes, ſanctificatio Quadrageſimæ. 3tio. In *generales*, quæ ubique, & *particulares* quæ nonniſi certis in locis obſervantur, ut jejunium Sabbati, quod Auguſtini ævo ſervabatur Romæ, non Mediolani. 4to. In *temporales*, quæ ad tempus inſtitutæ ſunt, ut abſtinentia à ſanguine & ſuffocato; & *perpetuas*, quæ perpetuò vigere debent, ut ritus eſſentiales Sacramentorum. 5to. In *eſſentiales*, quæ ſinè rei interitu, omitti non poſſunt; quales ſunt quæ circa materiam, formam, intentionem, perſonam & poteſtatem Miniſtri verſantur, *integrantes*, quæ licèt ad Sacramenti ſubſtantiam non pertineant; ad ſolemnitatem tamen ejus complendam, graviter præſcriptæ ſunt, ut in Miſſa mixtio aquæ cum vino; & *accidentales*, quæ nec ſpectant ad eſſentiam, nec ſenſu mòx expoſito, actionem Miniſterii complent, ſed adornant, ut genuflexio, tunſio pectoris.

Jam tria quæruntur, 1mo. An Eccleſia cæremonias inſtituere poſſit; 2do. An quæ de facto ab ea inſtitutæ ſunt, piè inſtitutæ fuerint; 3tio. An liberum ſit ſancitas ab Eccleſia cæremonias, prætermittere.

Conclusio I. Poteſt Eccleſia ſacros ad Dei cultum ritus, inſtituere. Ità Trid. Seſſ. 21. c. 2.

Prob. 1mo. Non minor eſt in condendis ritibus poteſtas Eccleſiæ Catholicæ, quàm olìm fuerit Synagogæ Judæorum, & etiamnum ſit Synagogæ Anglicanæ, aut Lutheranæ: atqui potuit, 1mo. Synagoga Judaïca ſacros ſibi ritus inſtituere; ut patet ex c. 9. Eſther; ubi inſtituitur feſtum ſortium, de quo nihil præceperat Moyſes; ex c. 16. Judith, ubi nova ſancitur ſolemnitas, in memoriam proſtrati Holophernis; ac demum ex

I. Machab. c. 4. ubi indicitur ſolemnitas dedicationis Templi, quam Chriſtus ipſe celebravit Joan. 10. v. 22. nulli porrò ſunt in Eccleſia ritus majoris momenti, quàm ipſæ Feſtorum celebrationes; 2do. Idem ſibi jus arrogavit Synagoga tùm Anglicana, ubi hodiequè vigent feſtivitates aliquæ, jejunium quadrageſimale, veſtes ſacerdotales; tùm Lutherana, ſecundùm id Confeſſionis Auguſtanæ: *Servantur apud nos Lutheranos uſitatæ cæremoniæ ferè omnes.* Hinc etiam J. Fabricius Junior: *Exorciſmus cum Baptiſmo conjunctus in noſtris Eccleſiis retinetur, quia ſic placuit Eccleſiæ Catholicæ jam indè ferè à temporibus Apoſtolorum.*

Prob. 2do. Id poteſt Eccleſia, cujus faciendi exemplum accepit à Chriſto, & ab Apoſtolis: atqui Eccleſia exemplum exercendi ritus quoſdam ad cultum Dei, fideliumque inſtitutionem accepit 1mo. à Chriſto: Is enim licèt abſquè cæremonia ulla mentes & corpora ſanare poterat, id tamen ſub certis ritibus aliquando præſtitit. Sic Apoſtolis daturus Spiritum S. *inſufflavit in eos*, Joan. 20. Sic *elevatis manibus benedixit eis*, Luc. 24. Sic ex ſputo lutum fecit, & digitos in aures miſit, ut cæco, & ſurdo mederetur, Joan. 9. 2do. Idem Eccleſiæ Exemplum præbuerunt Apoſtoli; ſeù cùm præcepêre, ut Gentiles ad fidem converſi abſtinerent à ſuffocato & ſanguine;* ſeù cùm ea, quæ ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, conſtituerunt; ut conſtituiſſe infert S. Aug. ex his I. Cor. 11. verbis, *Cætera, cùm venero, diſponam*; quæ S. Doctor de Euchariſtia ante omnem cibum ſumenda interpretatur, Epiſt. 54.

Conclusio II. Ritus ab Eccleſia inſtituti, piè & laudabiliter inſtituti fuére. Eſt præſertim contra Calvinianos, qui nudum cultum invexêre.

Prob. Ut ſacri Eccleſiæ Catholicæ ritus piè inſtituti dicantur, ſufficit ut ipſa antiquitate venerabiles ſint; ut ad divini cultûs majeſtatem conferant; ut Fidelium, eorum præſertim qui rudes ſunt, intelligentiam adjuvent; ut neminem non moveant ad pietatem; ut Catholicos ab Hæreticis diſtinguant: atqui tales ſunt Eccleſiæ Romanæ ritus.

1mò. quidem ipſa antiquitate ſunt venerandi. Ut enim, qui omnes in præſenti percurrere non poſſum, eorum quibuſdam immorer, qui Calvinianam bilem acriùs commoverunt. Ritus ii præcipuè conſiſtunt in ſigno Crucis, quô Fideles & Miniſtri ſe, ſuaquè multa conſignare ſolent; in benedictionibus aquæ, & ſimilium; in exorciſmis, in uſu thuris, thymiamatum, veſtium ſacerdotalium, &c. atqui horum rituum nè unus quidem eſt, qui antiquitate ſua conſpicuus non ſit. De ſigno Cru-

* *Actor.* 15.

cis res patet ex Tertul. L. de corona militis: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, frontem signaculô Crucis terimus. Harum & aliarum ejusmodi consuetudinum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* En ergo signum Crucis jam ab ipsis Tertulliani temporibus, traditione & consuetudine firmatum.

Idem & meritò dixeris: de benedictione aquæ & similium, cujus normam Ecclesia accepit tùm à Christo, qui panes benedixit, Luc. 9. tùm ab Apostolo, qui I. Timot. 4. aït: *Omnis creatura Dei bona est, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Unde aquæ benedicendæ usus à primæva mundi Christiani ætate viguit, juxta id S. Cypriani Epist. 12. *Oportet mundari & sanctificari aquam, priùs à Sacerdote.*

Quod ad exorcismos attinet, ii etiam tantæ sunt in Ecclesia antiquitatis, ut ubiquè Gentium, quartô Ecclesiæ sæculô usurparentur. *Constat*, aït J. Fabricius, supra laudatus,* *quòd Aug. peccatum originis probat in infantibus, quòd universa Ecclesia ubique exorcismos Baptismis parvulorum præmittat.*

Idem est de luminarium usu, qui ab Apostolis ad Judæorum normam incœpit. *Erant lampades copiosæ in cænaculo ubi* ad frangendum panem *eramus congregati*, aït S. Lucas Act. 20. nec dubio procùl tàm copiosæ ad propellendas noctis tenebras necessariæ erant. Neque solùm ad illuminationem, sed & ad mysticas significationes accensa sunt luminaria, quidquid contradixerit Cl. Le Vert. *Per totas Orientis Ecclesias*, aït S. Hieron. Epist. adv. Vigilant. *quando Evangelium legendum est, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Sed de his & aliis dicemus, ubi de Sacrificio.

2dò. Cæremoniæ ad divini cultûs decentiam splendoremquè conferunt: certè si quid hìc pompæ damus, utì futiliter objiciunt Calvinistæ, damus præeunte puriorum temporum exemplo. Norunt omnes, quàm ægrè ferret Julianus Apostata eum, quem contemptìm vocabat filium Mariæ, aureîs vasîs coli.

3tiò. Rudium intelligentiam adjuvant, ut docet Aug. Epist. 55. tùm quia sacri ritus sunt imperitis loco Scripturæ; tùm quia meliùs intelligent rustici ex exorcismis in Baptismo adhiberi solitis, parvulum esse sub diaboli jugo, quàm ex efficacioribus Scripturæ argumentis.

4tò. Movent ad pietatem, & animum per visibilia, erigunt

* *pag. 120.*

ad invisibilia. Nescit Catholicorum nemo è sacris ritibus plures esse, præsertim hebdomada sanctâ, quibûs duriora corda ad lachrymas moveantur. Hinc Author Libri cui titulus, *Religio medici*, etsi ex hæreticorum grege, *In Processione solemni*, inquit: *quandoque abundantiùs fieri, cùm qui fortè unà aderant contradicendi studio immodico risu diffluerent.*

5to. Cæremoniarum usus Catholicos distinguit ab Hæreticis, hisque suam exprobrat novitatem. Quisquis enim vel ipsum Dei exteriùs colendi morem in Basilicis Catholicorum & Calvinianorum templis intuitus fuerit, sic secum facilè discurret: Vera est Ecclesia quæ ab Ecclesia primæva descendit; falsa est à contrario, quæ sui non ante sæculum XVI. creatrix fuit: atqui Rom. Ecclesia descendit à primæva, Calviniana verò non ità pridèm sui creatrix fuit. Nempè verò in Ecclesia primæva erat luminarium & thymiamatum usus, erant statìm ut esse potuerunt, splendida ad Dei cultum ornamenta, distincti à profanis Ministrorum habitus, aquæ, olei, & similium benedictiones, fixæ in Officiis divinis linguæ usurpatio; ergo primævæ est antiquitatis Ecclesia, in qua hæc hodiedùm servantur; ergo è contra nova est & novissima Ecclesia, quæ nihil horum habet.

Objiciuntur quinque potissimū à Calvinianis. 1mo. Quòd Rom. Ecclesia cultum suum mundanâ pompâ vestierit; 2do. Quòd cultus noster tot diffluat cæremoniis, quot Judaïcus; 3tio. Quòd Christus exteriorem, qui certis in locis fiat, cultum aboleverit, Joan. 4. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem*; 4to. Quòd Catholici in majori rituum suorum parte, impios Ethnicorum ritus renovent; 5to. Quòd ignotâ linguâ, in Officiis suis utantur.

R. ad 1. Malè dici pompam satanæ id, quod non ad hominem, sed ad Dei gloriam refertur. Ecquis argentum, aurum & gemmas ad ornatum hominis solius creata fuisse existimet, non etiam ad cultum Dei, qui iis Tabernaculum suum adornari præcepit.

R. ad 2. Longum est discrimen ritûs inter Mosaïcos & Christianos, seù numerum spectes, seù rerum difficultatem, seù pœnas transgressoribus intentatas. Unum nobis est sacrificium, innumera penè Judæis erant; unum Judæis templum, quò ex remotissimis partibus stato tempore eundum erat, nobis Basilicæ in villis & urbibus. Judæi ad 583. præcepta tenebantur, Catholicis quinque aut sex incumbunt præcepta Ecclesiæ.

R. ad 3. Abutuntur hìc fœdè, ut immutabiliter solent, Calviniani verbis Scripturæ: neque enim vel templa erigi vetat Christus, Joan. 4. vel his specialem reverentiam haberi; sed dun-

duntaxàt docet, futurum paulò post, ut nemo vel Jerosolymis, vel in monte Garisim tantùm, adorare teneatur.

R. ad 4. Malum quidem esse, si quis Gentilium ritus imitetur in eo, quod inverecundi habent ex parte materiæ, formæ vel finis; secùs si id solùm ex iisdem ritibus arripiat, quô legitimum Numen piè coli possit; hæc autem fuit Ecclesiæ agendi ratio. Instituerat sibi diabolus templa, aras, sacrificia, Sacerdotes, sacerdotales habitus, thymiamata; quid sanctiùs fieri potuit, quàm si hæc ad Dei cultum transveherentur? Et verò an non templis uti licebit, quia templis usa fuerit Gentilitas? an abjiciendi sacrorum Ministri, quia Ministros habuerit Jupiter? an nefas fuerit Virginibus se castas exhibere Christo, quia Romæ Vestales habuerit diabolus.

CONCLUSIO III. Peccat mortaliter qui essentiales, vel integrantes ritus omittit, secùs si solùm accidentales aliquos, nisi adsit scandalum, &c.

Prob. 1. pars. Quia qui ritum essentialem omittit, Sacramentum irritat, & gravem illud suscipienti, injuriam facit.

Prob. 2. pars. Quia licèt partem solùm integrantem omittens, Sacramentum non faciat nullum, transgreditur tamen Ecclesiæ legem in re gravi. Hinc peccat lethaliter qui in hoc loco profano, vel sinè sacris vestibus celebrat.

Prob. 3. pars. Quia ritus purè accidentales remotè solùm concurrunt ad Sacramentum, nec graviter ad actionem ministerii conferunt.

Dixi 1mò. *Accidentales aliquos*, qui enim omnes ferè aut quàm plurimos Missæ ritus, eos præsertim qui in Canone continentur, ex culpabili negligentia omitteret, gravis esset culpæ reus juxta eos etiam, qui à rigidioribus opiniunculis abhorrent.

Dixi 2dò. *Secluso contemptu*: is enim juxta S. Bernardum, *convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis.* In his porrò materiis contemptui æquivalere videtur, gravis incuria seù in addiscendis, seù in exercendis sacris cæremoniis; Quoti tamen proh dolor! Quoti Sacerdotes verba non jungunt actionibus, cæremonias dimidiant, cruces sic efformant, ut muscas tantùm, abigere videantur?

Dixi 3tio. *Et scandalò*: quia væ ei per quem præsertim in rebus tanti momenti, scandalum venit; hujus utique scandali reos se faciunt, qui novos in Missa ritus instituunt, aut ab aliis institutos adoptant.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramentalibus.

SAcramentalia ſunt res ad cultum Dei, religioſo ritu ab Eccleſia ordinatæ, & ex communi fidelium perſuaſione, ad hominum ſanctificationem ſpecialiter inſervientes. Per *res* hic etiam actus intelliguntur. Sex præcipuè ſunt Sacramentalia, hôc expreſſa verſiculô.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans, indicat Orationem Dominicam, ad quam reducunt aliqui preces in Eccleſiis ſolemniter conſecratis fuſas, alii etiam pectoris percuſſionem. *Tinctus*, denotat aquæ luſtralis ſumptionem, vel receptionem tempore aſperſionis. *Edens*, panem benedictum, qui & Eulogia dictus eſt ab antiquis. *Confeſſus*, deſignat confeſſionem, quæ publicè fit Feria V. in Cœna Domini; vel eam quæ fit initio Miſſæ, & quandoque ad Primam & Completorium. *Dans*, idem eſt ac largiens eleemoſynam. *Benedicens*, Epiſcopi aut Abbatis, benedictionem exprimit. De oratione Domini & eleemoſyna diximus alibi. De cæteris quæritur præcipuè, an gratiam per ſe pruducant.

R. 1mo. Nulla eſſe Sacramentalia, quæ veniales etiam culpas ex opere operato dimittant. Ratio eſt 1mo. quia efficacitas illa nullum in Scriptura, Traditione, aut ratione ipſa fundamentum habet, 2do. quòd Sacramentalia utpotè ab Eccleſia inſtituta, quidquid virtutis habent, receperint ab ipſa: atqui Eccleſia non habet poteſtatem, veniales culpas immediatè, & citra Sacramentorum opem delendi; ergo nec virtutem hanc ſacramentalibus impertiri poteſt. Malè ergo Lutherani in Auguſtana Confeſſione & alibi paſſim, arguunt Catholicos, quaſi doceant hominem per ejusmodi ritus promereri juſtificationem.

R. 2do. Totam Sacramentalium vim pendere ex opere operantis, ità ut & in uſu Sacramentalium excitetur devotio, ac conſequenter explicita aut implicita peccatorum deteſtatio; & hæc quidem excitentur faciliùs ob preces, quas in hujuſmodi rebus benedicendis fudit Eccleſia, & per quas impetrat, ut qui iis dignè uſi fuerint, gratias recipiant uberiores. Et verò ſi privati per oleum, aquam, panem, & ſimilia à ſe benedicta, ſalutares effectus aliis obtinuerint, ut teſtatur Hiſtoria Eccleſiaſtica, à fortiori præſtare id poterit per preces ſuas Eccleſia, in qua Sancti omnes continentur.

At inquies, tàm poteſt Eccleſia certis ſignis alligare Chriſti merita ad delendas culpas, quàm poſſit ea alligare indulgentiis

tiis ad condonationem pœnarum: atqui hoc potest; ergo & illud. Et verò Augustinus:* *Delet* inquit: *hæc oratio*, Domica scilicet, *minima & quotidiana peccata.*

R. ad 1. neg. maj. Disparitas est, quòd remissio pœnæ quæ post deletam culpam remanet, non requirat operationem intrinsecam in anima, sed solam extrinsecam condonationem: at verò remissio culpæ, cùm maculam tollat ab anima, fieri non potest nisi per operationem, quæ animam ipsam tangat; undè cùm Ecclesia nec physicè, nec moraliter, extra Sacramenta in animam agere valeat, impossibile est, ab ea quidpiam institui, quô deleantur peccata.

R. ad 2. dist. Delet Oratio Dominica peccata, delet, inquam, ex opere operantis, inquantum continet quamdam peccatorum detestationem in his contentam verbis, *Dimitte nobis debita nostra.* C. Delet ex opere operato, N.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Tractatum hunc pro more in plura partiemur Capita, quæ Baptismi essentiam, institutionem, partes, Ministrum, subjectum, effectus, aliaquè id genus exponent.

CAPUT PRIMUM.

De natura, divisione, & institutione Baptismi.

Baptismus, Græcè immersio, seù ablutio, definitur, Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ; vel, Sacramentum novæ Legis, ad spiritualem hominis regenerationem à Christo institutum, conferendumque per externam corporis ablutionem sub certa verborum forma. Utraque definitio legitima est. Quia omnes utriusque termini verum quid & ad rei definitæ conceptionem necessarium enuntiant: 1mo. enim dicitur Baptismus esse *Sacramentum*; & meritò, cùm sit signum sensibile ad spiritualem hominis regenerationem constitutum, ut patebit ex dicendis cap. VI. 2do. Est & illud Sacramentum *à Christo institutum*, de quo statim; 3tio. institutum est *ad spiritualem hominis regenerationem*; quia *Baptismus*

* *Enchir. cap.* 71.

*mus non solùm delicta purgat, sed ità id præstat ac si denuò generati essemus;** 4to institutum est *ut conferatur per ablutionem, aquæ* &c. quæ verba materiam ejus & formam exhibent.

Baptismus analogè dividitur, in Baptismum fluminis, sanguinis & flaminis. Baptismus *fluminis*, est ille de quo statim, qui nimirum recipitur per ablutionem aqueam, sub certa verborum forma. Baptismus *sanguinis*, est passio seù martyrium hominis nondum sacramentaliter baptisati. Baptismus *flaminis* seù spiritûs, est ardens recipiendi Baptismi desiderium, quod habet homo nondum baptisatus, & verè contritus, ideòque dolore & lacrymis quasi perfusus & baptisatus.

Jàm duo quæruntur? 1mo. An Baptismus Christi idem sit cum Baptismo Joannis; 2do. Positô quòd ambo Baptismi à se differant, quô tempore institutum sit Baptisma Christianorum.

Quod ad primum spectat, Calviniani & Lutherani, qui Sacramentorum vim in eo totam reponunt, quòd fidem excitare valeant, parem utrique Joannis & Christi Baptismo, efficaciam tribuerunt. E Catholicis verò alii, ut Durandus, Baptismum Joannis pro vero habuêre Sacramento, quòd ad veterem Legem pertineret. Alii eum neque ad veterem, neque ad novam Legem, sed inter utramque quasi medium fuisse volunt; ita SS. Bonaventura & Thomas in 4. dist. 2. Alii denique *Batismum Joannis, non fuisse per se Sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi* existimant; ità re pleniùs perpensa idem S. Thomas 3. p. q. 38. art. 1. ad 1. Sit

CONCLUSIO. Baptismus Joannis, non fuit veri nominis Sacramentum.

Prob. 1mo. Ad rationem Sacramenti requiritur ritus stabilis, institutus à Christo, & qui per se habeat vim justificandi: atqui Baptismus Joannis, 1mo. non fuit ritus stabilis ac permanens, cùm brevi admodùm subsistere debuerit, *quantum* nempe *satis esset ad parandam viam Domino*;** 2do. nec fuit à Christo institutus ea speciali ratione, quæ requiritur ad Sacramentum; alioqui enim vel Christi Sacramentum, vel Sacramentum simpliciter diceretur; & tamen ubique & semper vocatur Baptisma Joannis; 3tio. demùm nec gratiam producebat per se, cùm esset is solùm Baptismus in aqua, non autem in Spiritu sancto; prout Marci 1. docebat Joannes ipse hîs verbîs: *Ego baptisavi vos in aqua, ille vos baptisabit in Spiritu sancto.*

Prob. 2do. Si Baptismus Joannis idem fuisset cum Christi Baptismo, qui semel Joannis Baptisma recepissent, haud denuò fuissent baptisati nomine Christi; cùm nusquam iteratum fue-

* *S. Chrisost. Catech.* 1. *ad illumin.* ** *Aug. L.* 5. *de Bapt. c.* 9.

fuerit Baptisma ritè collatum: atqui tamen tincti semel Baptismô Joannis, rursùm Christi Baptismate initiati sunt. Minor patet ex Act. 19. ubi Paulus jussit discipulos aliquot, qui solùm Joannis Baptisma receperant *in nomine Domini Jesu* baptisari.

Prob. 3tio. Baptismus Christi nunquam sinè certa verborum formula collatus est: atqui ex Scripturis, quæ sola sunt Calvinianorum regula, efficaciter probari nequit Baptismum Joannis sub certa verborum formula, collatum esse.

Prob. 4to. ex Patribus: Origenes in Joan. tom. 8. sic habet: *Qui in Actis baptisati erant in Joannis Baptismo, denuò ab Apostolo baptisantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat.* Plures recensere superfluum fuerit, cùm fateatur Calvinus, *Veteres* utrumque Baptismum *discernere.* *Si quis* ergo dixerit *Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.* *

Obj. 1mo. Ubi est idem signum, idem author, eademquè significatio, ibì idem est Sacramentum: atqui in Christi ac Joannis Baptismate fuêre 1mo. idem signum, nempè aqua per ablutionem data; 2do. idem author, nimirum Deus, unde Christus Baptismum Joañis *è cælo* esse declarat; ** 3tio. eadem significatio, scilicèt remissio peccatorum: unde vim utriusque Baptismi iisdem planè verbîs exprimit Scriptura. *Venit* Joannes, aït Lucas c. 3. *prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Petrus verò Act. 2. *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine J. C. in remissionem peccatorum.*

R. 1mo. neg. maj. Quia ad idem Sacramentum requiritur insuper forma utrobique par: atqui probari nequit Joannem eâdem usum esse formâ, quâ usus est Christus.

R. 2do. neg. min. Etsi enim hic & illic idem fuit signum, at non idem author, aut eadem practica significatio. Non idem author, si propriè loqui velis: quia Baptismus Christi à Christo erat tanquam à causa particulariter operante; Baptismus verò Joannis non erat à Deo, nisi ut quodcumque aliud sanctum sancti Præcursoris opus. Nequè etiam eadem fuit practica utriusque Baptismi significatio: 1mo. Quia haud necessum fuisset eos denuò tingi, qui semel à Joanne tincti essent; & ii tamen denuò tincti sunt Act. 19. 2do. Quia falsum est vim Baptismi utriusque iisdem exprimi verbis: nam Christi Baptismus dicitur simpliciter *in remissionem peccatorum*, quòd peccata per ipsum remitti indicat; Baptismus verò Joannis dicitur tantùm Baptismus *pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, id est, Baptismus excitans ad pœnitentiam, quâ remittuntur peccata: atquè hinc Joannis Baptismus ab Augustino vocatur: *Remissio peccatorum in spe.* Obj.

* *Trid. Sess. 7. Can. 2.* ** *Math. 21.*

Obj. 2do. Baptismus qui peccata dimittebat idem quò ad substantiam fuit, cum Baptismo Christi: atqui Joannis Baptismus peccata dimittebat. Prob. min. ex S. Basil. L. 1. de Bapt.* *Quantacumque*, inquit: *& qualiacumque peccata* quis *confessus fuisset, & baptisabatur* à Joanne *in Jordane fluvio, statim veniam consequebatur peccatorum.* Et verò declarat Aug. Lib. 5. de Bapt. c. 10. nolle se *pugnaciter* agere cum iis, qui *dimissa in Baptismo Joannis esse peccata* contendent.

R. dist. min. Baptismus Joannis peccata dimittebat ex opere operantis, C. Ex opere operato, N. Excitabat Joannis Baptismus in iis à quibus suscipiebatur, spiritum pœnitentiæ, cujus ope iidem veniam peccati consequebantur: at non illicò peccata remittebat vî sibi inditâ, prout dimisit Baptismus Christi; neque id asseruit Basilius, qui eò loci totus est, non ut Baptismum Præcursoris æquiparet Baptismo Messiæ, sed ut illum præferat Moysis Baptismô, qui nullius, juxta S. Doctorem fuit utilitatis, quia nec in eo ullum fuit Pœnitentiæ signum, nec ulla peccatorum confessio, nec propositum vitæ melioris; quæ omnia in Baptismo Joannis occurrerunt.

Ad Augustinum dico, eum in objecto textu argumentari ex *dato*, non autem ex *concesso*; quasi dicat: esto, demus Donatistis remissa per Baptismum Joannis fuisse peccata, quid tùm in eorum gratiam? an quia baptisati Baptismô Joannis, denuò receperint Baptismum Christi, ut *aliquam ampliorem sanctificationem* perciperent;** ideò jam Christi Baptismô donati ab hæreticis, denuò baptisandi erunt? En Augustini ratiocinatio, in qua *dat*, sed non *concedit*, Baptismum Joannis remisisse peccata: cùm & ante & post objecta verba, totus sit S. Doctor, ut adstruat iteratum esse Joannis Baptisma, quia peccatum non deleret nisi *in spe*; unde hunc Augustini locum redarguit Calvinus.

Quod spectat ad alterum caput, constat 1mo. Christum non priùs Baptismum suum instituisse, quàm à Joanne baptisaretur; cùm exinde tantùm legem gratiæ promulgare incœperit; 2do. eum ante ascensionem suam Sacramentum hoc instituisse. Quæritur ergo? quô intermedio tempore constitui debeat hujus institutionis epocha. Multæ autem sunt eâ de re opiniones, quæ ex dicendis sàt intelligentur. Sit

Conclusio I. Christus Baptismum ante mortem suam instituit.

Prob. 1mo. Christus per se & per Discipulos suos ante Passionem suam baptisavit, ut constat ex Joan. 3. v. 22. & 4. v. 2. atqui non baptisavit Baptismô Joannis. Prob. minor, 1mo. Quia Discipuli Joannis ægrè tulerunt, quòd Christus baptisaret,

* *T. 2. c. 632.* ** *Ibidem.*

atqui

atqui nisi aliud contulisset Baptisma quàm Joannis, jam è contra gratulari Magistro suo debuissent, quòd is cujus *corrigiam calceamenti solvere dignus* non erat, se tamen quasi Discipulum ejus profiteretur, ejusqué Baptismum adoptaret; 2do. Quia Baptismus Joannis nec Spiritum sanctum, nec peccatorum remissionem conferebat: atqui Baptismus quô baptisabat Christus, conferebat utrumque; & id docet Præcursor ipse Joan. 1. hîs verbîs: *Ego baptiso in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis - - - - hic est qui baptisat in Spiritu sancto.*

Prob. 2do. Apostoli non alium aliis contulere Baptismum, quàm quem à Christo immediatè vel mediatè acceperant; atqui Apostoli ipsum receperant Baptismum Christi, non Joannis: 1mo. Quia *non decebat Sponsum dare Baptismum amici vel servi*, ut benè Aug. Epist. 44. 2do. Quia exigebat ordo ut Ecclesiæ principes in illam eadem, quam aliis reseraturi erant januâ, ingrederentur: porrò Baptismus est, fuitque semper Ecclesiæ janua. Et verò aït ibid. Aug. *Quomodò poterant Eucharistiam accipere Apostoli, nondum baptisati.*

Obj. 1mo. Si Baptisma Christi fuisset in usu ante passionem ejus, utique dedisset Spiritum S. atqui ante Christi passionem datus non fuit Spiritus S. secundùm id Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* R. dist. min. Ante passionem datus non fuit Spiritus sanctus visibili forma, eademque plenitudine, C. Datus non fuit modô qui ad justificationem sufficeret, N. Solutio est S. Aug. Lib. 83. qq. q. 62. sic ille: *Spiritus S. latenter dabatur ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus, manifestiùs datus est.* Et verò annon justificatus erat Petrus, qui *mundus totus erat*? an non justificata peccatrix, cui multa remissa fuerant peccata?

Nec est quòd opponantur Chrysostomus, Leo, aliique nonnulli Patres: in his enim levioris momenti quæstionibus, quæ Patres diversas in sententias traxerunt, iis adhærendum, qui & rem indagarunt penitiùs, & gravioribus nituntur argumentis; porrò præsentem materiam profundiùs investigasse videtur Augustinus; ejusque probationes Scripturæ congruunt magis, quàm cæterorum, qui nonnisi obiter de Baptismi institutione disseruerunt.

Obj. 2do. Quod vim suam ex passione Christi habet, ante eandem institui non potuit: atqui Baptismus - - - - unde Augustinus Tract. 15. in Joan. *De latere Christi Sacramenta Ecclesiæ fluxêre*; ergo.

R. dist. min. Baptismus vim suam habet ex passione Christi, vel facta vel prævisa & acceptata, C. Facta necessariò, N. Nam

passio Christi est causa moralis & meritoria; porrò ut causa moralis & meritoria operetur, non est necesse ut existat actu, sed satis est, ut aliquando extitura sit.

Ad August. dist. Sacramenta fluxerunt è latere Christi, quatenus Christus eorum pretium moriendo plenè persolvit, C. Fluxerunt, quasi tunc fuerint instituta, N. Hinc enim sequeretur Eucharistiam à Christo institutam non fuisse pridiè quàm pateretur.

Obj. 3tio. Baptismus Christi aperit cœlum baptisato: atqui nulli ante Ascensionem Domini apertum est cœlum; ergo nullus ante Ascensionem fuit Baptismus. R. dist. maj. Baptismus aperit cœlum, id est, facit hominem dignum gloriâ cœlesti suo tempore recipiendâ, C. Recipiendâ hìc & nùnc, N. Itaque digni erant cœlô, qui piè susceperant Baptismum; sed quia membra Capiti præire non decebat, nemo in cœlos ante receptus est, quàm Christus eò ascendens, captivam secum duxerit captivitatem.

Conclusio II. Christus nec antequàm baptisaretur à Joanne, nec dùm ab eo baptisatus est, nec dùm colloqueretur cum Nicodemo Baptisma instituit.

Prob. 1. pars. Quia Christus necdum hucusque prædicaverat Evangelium, aut assumpserat Apostolos quos de Baptismo instrueret.

Prob. 2da. pars. 1mo. Quia institutio Sacramentorum est actus Legislatoris; cùm nova Sacramenta nonnisi pro Lege nova institui possint: atqui Christus cùm submisit se Baptismo Joannis, non gessit Legislatoris personam, sed pœnitentis potiùs, qui aliena jam peccata abluere incipit; 2do. Ideò censet Tournelyus, Christum instituisse Baptisma suum, cùm in Jordane ablutus est; quia ipse tunc aquas sanctificavit, eisque indidit vim gratiæ conferendæ, prout docent Patres non pauci: atqui hæc ratio nulla est; tùm quia sanctificatio hæc de sanctitate formaliter aquis tunc indita intelligi nequit; cùm vis sanctificandi non sit in aqua nisi ex Trinitatis invocatione; tùm quia consequenter sanctificatio illa mera erat aquæ deputatio ad id, quod deinceps futurum erat; porrò aliud est aquam deputare ad hoc, ut aliquando sit Sacramenti instituendi materia, aliud instituere Sacramentum.

Prob. 3. pars. Institutio Sacramenti pro publica necessitate conditi; non in angulo fieri debuit, sed ad minus coram iis qui præcones ejus & ministri futuri erant: atqui si Christus in colloquio quod cum Nicodemo habuit, instituisset Baptismum, ipsum in angulo, & conclavi instituisset; ergo.

Confirm. Ideò adversarii volunt Baptisma tunc à Domino fuisse institutum, quia ejus necessitatem hîs verbîs edocuit, *Nisi*

quis renatus fuerit, &c. atqui hæc verba non magis probant factam tunc institutionem Baptismi, quàm paralella hæc Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis - - - - non habebitis vitam in vobis*, probent institutam fuisse Eucharistiam, quando eadem protulit Christus.

CONCLUSIO III. Ergo Christus Baptismum instituit sub illud tempus, quô misit Apostolos suos prædicare & baptisare.

Prob. 1mo. Quia vel hoc tempore institutum est Baptisma, vel aliis quæ proximè assignata sunt: atqui non aliis istis, ut probatum est; ergo. 2do. Quia Baptismum sub illud tempus institui decuit, quô jacienda erant novæ Ecclesiæ fundamenta, & laborandum ut acquireretur Domino plebs perfecta: atqui quo tempore Christus misit Apostolos prædicare, jacienda fuerunt novæ Ecclesiæ fundamenta, illudque agendum ut pararetur Domino plebs perfecta, idque non per prædicationem solùm, sed & ope Baptismi, quem Christus per Discipulos suos conferebat. Quando autem obligare cœperit lex Baptismi, colligi potest ex dictis in Tract. de Legibus, Tom. 1.

CAPUT SECUNDUM.
De materia Baptismi.

AGemus 1mo. De materia remota; 2do. De proxima.

ARTICULUS PRIMUS.
De materia remota Baptismi.

HÆretici quidam materiam omnem Baptismo sustulerunt, ut Gnostici, Archontici, & Manichæi, qui aquam, imò & visibilia omnia mali principii fœtum esse mentiebantur. Alii loco aquæ ignem adhibuerunt, ut Jacobitæ, quia scriptum sit: *Ille vos baptisabit in Spiritu & igne.* Flagellantes verbô & exemplô prædicabant, *unumquemque baptisari debere proprio sanguine per flagella de corpore excusso.* Lutherus sensit: *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptisandum.* Aliter nunc censent Protestantes. Sit

CONCLUSIO. Materia remota Baptismi, eaque necessaria, est aqua sola naturalis, seù elementaris.

Prob. Ea est necessaria Baptismi materia, quam instituit Christus, quam usurparunt Apostoli, quâ utendum esse constanter docuêre Patres & Concilia: atqui 1mo. Aquam ut solam Baptismi materiam instituit Christus. Sic enim loquebatur Matth.

28. *Docete omnes gentes, baptisantes eos,* &c. atqui is baptisandi actus, ex eodem Christo Domino in aqua perficiendus erat, secundùm id Salvatoris ipsius: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.** 2do. Eandem adhibuêre materiam Apostoli. Siquidem Act. 10. Petrus Cornelium, ejusque familiares baptisaturus: *Numquid aquam,* inquit: *quis prohibere potest, ut non baptisentur hi,* &c. ibid. c. 8. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptisavit eum.* 3tiò. Eadem materiâ utendum, constanter tradidêre Patres. Justinus Apol. 2. *Adducuntur,* inquit: *à nobis* Catechumeni, *ubi aqua est - - - - nam in aqua lavantur.* Aug. Tract. 15. in Joan. *Tolle aquam non est Baptismus.* 4to. Idem definiêre Concilia, quorum instar sit Trid. Sess. 7. Can. 2. de Bapt. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi - - - - anathema sit.*

Obj. 1mo. Præcipua Conclusiónis nostræ probatio desumitur ex his Christi verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*: atqui hìnc colligi nequit aquam naturalem, esse Baptismi materiam. Ad id enim satis est ut eo loci vox, *aqua,* non usurpari debeat sensu naturali, sed metaphorico; nimirum pro ipso Spiritu interiùs animam abluente: atqui res ita se habet. Nam 1mo. Non magìs per aquam in citato loco intelligi potest materia Baptismi, quàm nomine Spiritûs; constat porrò Spiritum non esse Baptismi materiam; 2do. Redarguit Christus Nicodemum, quòd ignoret hominem posse ex aqua renasci: atqui si Christus de aqua naturali loqui voluerit, nihil fuit cur Nicodemum redargueret. Neque enim is scire poterat rem quæ à libera Christi voluntate pendebat; 3tio. Non magìs vox, *aqua,* apud Joannem, veram aquam significat, quàm verum ignem significet vox ignis in eo textu: *Ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igne*;** atqui hoc non.

R. ad 1. & 2 neg. min. *Quod* enim *in Scripturis sanctis perspicuè sonat, non est figuratè* intelligendum, ex Aug. L. 3. de Doctr. Christ. c. 10. atqui vox *aqua* in textu citato tàm perspicuè aquam naturalem sonat, ut eam tota sic semper intellexerit Ecclesia; ergo vox illa non est accipienda *figuratè.* Et verò nè ipsi quidem Pelagiani ad commentum hoc recurrere ausi sunt. Nec nocent argutiæ in contrarium appositæ.

Non 1. aqua enim potest esse materia Sacramenti, non autem Spiritus; ergo ab uno ad aliud nulla est illatio.

Non 2. redarguitur enim Nicodemus, non quia minimè caperet hominem ex aqua renasci debere, sed quòd non assequeretur sensum hujus verbi, *Oportet vos nasci denuò*: debuerat enim *Magister in Isràël* concipere, hìc agi de nova nativi-

**Joan. 3. 5.* ** *Matth. 3.*

tate

tate ſpirituali, cujus ut juvenes, ſic & ſenes capaces ſint. Imò vir Legis peritus intelligere debuerat imminere tempus, quô facies terræ per aquam renovanda eſſet, ſecundùm id Ezechiel c. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, &c.*

Non 3. ſiquidem vox *aqua*, conſtanti ſæculorum omnium uſu literaliter accepta eſt, ignis verò de quo Matth. 3. ſemper ſumptus eſt metaphoricè. Et verò quis ignem veram ablutionis materiam eſſe putet?

Obj. 2do. Si aqua neceſſaria foret Baptiſmi materies, non valeret Baptiſma in arena, vinové collatum: atqui valet tamen. Prob. min. 1mo. ex Nicephoro Lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 37. Ubi refert Judæum, *qui ſubitò moriturus credebatur, arenâ baptiſatum eſſe*, idque validè, cùm ſtatim convaluerit; 2do. Ex Siricio Papa, qui infantem vinô ablutum, *ſi in SS. Trinitate baptiſatus eſt*, validè tinctum declarat; prout & fecit Stephanus II.

R. neg. min. ad 1. dico, incertam eſſe veritatem hiſtoriæ à J. Moſcho primùm, deindè à Nicephoro relatæ. Tùm quia Cedrenus eam ſub Antonino pio eveniſſe ſcribit; Nicephorus verò tempore Aurelii; tùm quia Judæum arenâ baptiſatum Dionyſio. Alex. præſentatum eſſe ſcribit Nicephorus; Moſchus verò Dionyſio Aſcalonitæ. Quòd ſi hiſtoria hæc vera ſupponatur, cedet ea nobis in probationem, cùm teſte Nicephoro cenſuerit Dionyſius Alexand. Judæum hunc *aquâ inſuper, juxta Eccleſiæ traditionem, eſſe abluendum.* Unde ſubita viri refectio quam ſenſit Judæus, non ejus Baptiſmo, ſed fidei ejus ardentiqué Baptiſmi deſiderio, attribuenda eſt.

Ad 2. dico, ſuppoſititium eſſe illud ad Siricii aut Stephani reſponſum, ut fatentur eruditi. Et verò in hoc reſponſo, Preſbyter qui aquam penes ſe habens, baptiſavit in vino, cenſurâ plectendus dicitur, quia *contra Canonum ſententiam ire præſumpſit*: an verò ſàt habuiſſet Papa urgere Canones, cùm Chriſti inſtitutionem, & Apoſtolorum praxim urgere poterat.

Ex iis colliges 1mo. cum S. Carolo, materiam Baptiſmi eſſe aquam omnem, quæ communi hominum uſu eſt; & vocatur aqua ſine addito, *ſivè ea maris ſit, ſivè fluvii, ſivè paludis, ſivè putei, ſivè fontis.* Neque etiam refert limpida ſit an turbida, calida an frigida, dulcis an ſalſa, colorata, an ſecùs, naturaliter producta, an per miraculum, modò hæc conveniat cum noſtra. Idem eſt de ſudore qui tempore nimboſo è parietibus ſuboritur. Itèm & de aqua quæ ex nive, & grandine reſolutis conficitur. Dico, *reſolutis*, nix enim, glacies, grando, nebula, pruina, ut per ſe non lavant, ſic nec quâ tales Baptiſ-

mi materia esse possunt, nisi saltèm actionis tempore per manûs calorem resolvantur: si enim nonnisi post factam applicationem resolvi & fluere inciperent, non staret Baptismus, quia tunc Minister non verè ablueret. An aqua è resoluto sale sufficiat, controvertitur: unde infero aquam hanc in casu necessitatis adhiberi posse, non extra.

Colliges 2do. cùm S. Thoma, quòd *si aqua admisceatur in tàm parva quantitate alicui corpori*, ut compositum inde resultans, magìs sit aliud quàm aqua, sicut lutum *magìs est terra quàm aqua, non potest fieri Baptismus*: 3. *p. q. 66. art.* 4. secùs si aqua adeò prævaleat, ut verè adhuc aqua dici possit, ut aqua lutosa.

Colliges 3tio. Non valiturum Baptisma collatum in vino, lacte, oleo, saliva, sanguine, lachrymis, sudore, urina, ptisanna, offa, jusculo aut cerevisia benè decoctis, lixivia perfecta, succo ex pomis, pyris cerasisve expresso: quia hæc morali hominum judicio non reputantur aqua usualis. Ut autem valet aqua per sulphureos meatus transmissa, sic & valeret transmissa per cineres. Imò nec valori Baptismatis obesset ratio lixiviæ, jusculi in quo coctæ sunt carnes, aut atramenti, si plùs hæc de aqua, quàm de aliena substantia retineant; *quod ex spissitudine perspici potest*, aït ibid. S. Thomas. Credimus tamen contra S. Doctorem licitum esse uti in necessitatis casu, seù aquìs quæ verno tempore stillant è vitibus, seù liquoribus Alchymicis; 1mo. Quia in extremis extrema quæque remedia tentari debent; 2do. Quia quæ cæteras aquæ proprietates habent, ad minus aqua dubia reputari possunt: atqui aït Discastillo: *vidi amphoras benè grandes aquæ ex vitibus colligi, nec in colore, sapore, aut odore deprehendere potui, in quo differrent ab elementari* aqua.

In dubio an liquor quispiam sit aqua naturalis, non licet eô uti extra necessitatem: hæc verò si instet, non licebit modò, sed & necessum erit dubiâ uti materiâ sub conditione; quia longè minùs est malum, si Sacramentum periculo nullitatis, quàm si homo certitudini damnationis exponatur.

Qui domi in necessitate baptisant, curare debent, ut aquâ benedictâ utantur, quia est id decentiùs, magìsqué accedit ad praxim Ecclesiæ. In Baptismo solemni aqua esse debet chrismate permixta, eodemque anno in pervigilio Paschæ, aut Pentecostes benedicta, juxta id S. Basilii Lib. de Spir. S. *Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum unctionis.* Qui secùs fecerit, gravis peccati reus videtur.

Non convenit an gravis sit obligatio præfatam aquam in solemni Baptismo adhibendi. Sunt qui in ejus omissione levem solùm culpam inesse putent; quia, inquiunt: benedictio

hæc

hæc nec ad essentiam aut integritatem Sacramenti confert, nec grave quidpiam mysterium significat. Alii grave hic peccatum admittunt: ità vel ipse Diana, & meliùs: 1mo. Quia aqua chrismate delibata expressiùs significat unctionem Spiritûs sancti; 2do. Quia Ecclesiæ solemnitas in consecrando chrismate, ejusque in eodem asservando cura, non levis obligationis indicia esse videntur; 3tio. Quia graviter reus judicari solet, seù Episcopus qui *non per singulos annos in Cœna Domini chrisma conficit*, * seù Parochus qui non recenti, sed anni præcedentis chrismate, quod post Pascha comburere debuerat utitur; ut ex veteri Canone colligit Pontas v. *Bateme* cas. 6. quantò igitur delinquet graviùs, qui nec novô, nec antiquô chrismate uti voluerit?

Animadvertat ergo *Parochus*, aït S. Carolus Borrom. in Instructionibus suis, *ut aqua, quæ materia Sacramenti Baptismi est, non solùm vera naturalisqué sit, sed etiam eô ipsô anno - - - benedicta in Sabbato Sancto, aut Sabbato Pentecostes.*

Quòd si intra annum pro temporis diuturnitate aliavé causa illam corrumpi contigerit, in Sacrarium propè Fontem Parochus projiciet, statimque & Fontem purgabit: & verò si in urbe est, ad Metropolitanam; si in Diœcesi ad Plebanam Ecclesiam veniet, unde propriô vasculô nitidô aquam baptismalem accipiat, in Parochialemque Ecclesiam secrètò ferat; ubi quamprimùm in Fontem effundet, baptismalique aquæ allatæ tantùm etiam aquæ puræ nitidæ & recentis addet, quantùm satìs erit. Hoc ipsum quoque præstabit, si etiam aqua baptismalis per annum aliquô modô defecerit.

Et quoniam interdum accidit, ut in summa hyeme baptismalis aqua vî frigoris conglaciet, aut gelida nimìs fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta, usui ad baptisandum infantem esse possit, aliam aquam vase mundo calefactam immisceri licet, quæ aqua calefacta longè paucior erit, quàm illa quæ benedicta est. Qua in re etiam cavebit Sacerdos, nè quid aliud commisceat, quàm aquam puram & naturalem, quamvis calidam.

Nè verò temeraria manus abutatur aquâ baptismalî ad superstitionem & perniciem, Sacerdos Fontem ex præscripto benè communitum, serâ etiam clavique claudet, quam ne Clerico quidem committens, apud se custodiet perpetuò.

ARTICULUS SECUNDUS.
De Materia proxima Baptismi.

Ablutio est materia proxima Baptismi; de hac quæritur 1mo. An per immersionem fieri debeat; 2do. An valeat ablutio occisiva. Sit

* *Can. 18. De consecr. dist. 3.*

CONCLUSIO I. Baptiſmus ſolemnis ab Apoſtolorum ævo, uſque ad ſæculum XIII. per trinam immerſionem collatus eſt: valet tamen collatus ſeù per aſperſionem, ſeù per infuſionem ſucceſſivè factam.

Prob. 1. pars: ex Patribus Ità Juſtinus Apol. 2. Cyrillus Hieroſ. Catecheſi 2. Baſilius L. de Spiritu S. c. 27. ubi aït *ter immergi hominem* in Baptiſmo. Hinc Apoſtolici Canones, qui expreſſi ſunt ex antiquis Conciliis, ſic habent Can. 50. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, non trinam immerſionem - - - - celebret, ſed ſemel* tantùm *mergat, deponatur.*

Quòd autem is trinæ merſionis ritus ad ſæculum uſque XIII. perduraverit, patet 1mo. quia necdum deſierat tempore Petri Lombardi, qui an. 1164. obiit. Is enim de proxima Baptiſmi materia diſſerens, altum ſilet de infuſione, & ſolùm quærit *quoties* immerſio *fieri debeat*; 2do. Quia S. Thomas qui die 7. Martis an. 1274. diem clauſit extremum, ait q. 66. art. 7. *tutiùs* eſſe *baptiſare per modum immerſionis, quia hoc habet uſus communior.*

Prob. 2. pars. Si non valeat Baptiſma per aſperſionem vel infuſionem collatum, utique quia præceperit Chriſtus ipſum per merſionem conferri, idque ſub pœna nullitatis: atqui nuſpiam id præcepit Chriſtus ſeù verbô, ſeù exemplô. Non 1. cùm nullus citari poſſit Scripturæ textus, qui Baptiſmum infuſione vel aſperſione datum, viribûs carere inſinuet. Non 2. Quia multa fecit Chriſtus in Sacramentorum diſpenſatione, quæ non mandavit fieri, & multò minùs ſub nullitatis pœna. Sic Apoſtolorũ pedes lavit ante inſtitutionem Euchariſtiæ, eamque in azymo pane conſecravit, & poſt Cœnam porrexit Apoſtolis, nec tamen hæc, à ſuis fieri præcepit.

Confirm. 1mo. Quia prioris puriorisquè ævi Eccleſia ratum habuit Baptiſma per ablutionem aut infuſionem collatum; ut liquet ex variis Conciliis quæ Clinicorum, ſeù eorum qui in lecto jacentes abluebantur, Baptiſma validum agnovêre, ut Romanum an. 251. ſub Cornelio, in quo haud rejectum fuit Baptiſma quod Novatianus in lecto decumbens receperat; Neocæſarienſe an. 314. Can. 12. ubi *ſi quis in ægritudine fuerit baptiſatus, ad honorem Presbyterii* promoveri vetatur, *niſi fortè propter ſequens ſtudium ejus & fidem, atque hominum caritatem talis poſſit admitti*: ſi autem ad Presbyterium admitti poterat, ergo validè fuerat baptiſatus.

Confirm, 2do. Quia ad valorem Baptiſmi non requiſivit Chriſtus niſi aquam pro materia remota; & ablutionem propriè dictam, pro materia proxima, juxta iſtud: *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos*: atqui, ut bene S. Thoma ibid.

art.

art. 7. *ablutio fieri poteſt non ſolùm per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis vel effuſionis.* Unde vox Baptiſmi, quamvis ſæpiùs immerſionem ſignificet, non raro tamen ſimplicem aquæ effuſionem exprimit. Sic Lucæ 11. Phariſæus, qui Chriſtum ad menſam invitaverat, cœpit intra ſe cogitare, *quare* idem Chriſtus *non eſſet baptiſatus*, id eſt manus non laviſſet *ante prandium*. Idem colligitur ex Marci 7. v. 4.

Prob. 3. pars. Quia ad Baptiſmum requiritur vera & propriè dicta ablutio: atqui niſi aquæ contactus ſucceſſivè fiat, jam non erit ablutio vera. Unde qui una aut altera gutta non defluente aſpergitur, poterit quidem dici madefactus, at verò nullibi ablutus aut lotus dicetur; ergo.

Obj. 1mo. Ritus ab Apoſtolis ipſis dimanans, ut quidpiam ad Baptiſmi ſubſtantiam pertinens, divino jure præſcriptus eſt: atqui trinæ immerſionis ritus ab Apoſtolis ipſis dimanavit - - - Ille enim ritus non ut merum diſciplinæ caput, ſed ut aliquid ad Baptiſmi ſubſtantiam pertinens, ab Apoſtolis dimanavit, quem qui omisêre, invalidum dediſſe Baptiſma crediti ſunt: ſed qui immerſionis ritum neglexêre, &c. Prob. min. 1mo. ex Cornelio Papa, qui cum Romana ſua *Synodo* Baptiſmum Novatiano in lecto decumbenti collatum reprobavit; 2do. ex Canone 7. Concilii I. CP. ubi ſic loquuntur Patres: *Eunomianos, qui in unam demerſionem baptiſantur, ut Gentiles acceptamus, & tùm demum eos baptiſamus*; profectò qui poſt acceptum in una demerſione Baptiſmum habentur *ut Gentiles*, & rebaptiſantur, haud creduntur validè baptiſati; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. Et dico 1mo. Baptiſmum Novatiano datum per infuſionem, rejectum à Cornelio non fuiſſe. Verba Sancti Pontificis quæ difficultatem movent, deprompta ſunt ex ejus ad Fabium Antiochenum Epiſtola, ubi ſic: *Dùm jamjamqué moriturus creditur* Novatianus, *in ipſo in quo jacebat lectulo perfuſus, Baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen hujuſcemodi Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt:** atqui verba hæc non indicant dubium de valore Baptiſmi, ſed ſolùm de ejus effectu; 1mo. Quia nec per tranſennam inſinuat Cornelius, Novatianum aliô indigere Baptiſmô: id ſanè non omiſſurus, ſi prius Baptiſma irritum judicaſſet; 2do. Quia conqueritur Cornelius, quòd neque Euchariſtiam neque Confirmationem pro more illius temporis, recepiſſet Novatianus poſtquam convaluerat. Supponebat igitur geminum hoc Sacramentum à Novatiano recipi potuiſſe & debuiſſe; atqui neutrum à quopiam recipi poteſt, & debet, niſi validè baptiſato; ergo ſupponebat Cornelius valere Baptiſmum à Novatiano ſuſceptum; ergo tantùm de effectu ejus dubitabat; & meritò: quia qui Baptiſmum non a-

* *Apud Euſeb. L. 6. c. 43.*

more, sed solo mortis metu, & fortè jam sui parum vel nihil compos receperat; qui sanitati redditus nihil eorum fecerat, quæ consueverant piè baptisati, is in magnam haud recepti Spiritûs sancti suspicionem veniebat.

Dico 2do. Eunomianos non simpliciter ob trinæ immersionis defectum, sed propter defectum legitimæ formæ denuò fuisse baptisatos. Etsi enim Ariani plures ritè baptisarent, constat tamen Eunomianos, qui non infimum inter Arianos locum tenebant, præscriptam à Christo formam rejecisse sub tempora Concilii CP. I. unde in odium SS. Trinitatis & semel tantùm mergebant, & non mergebant in nomine Patris, & Filii, &c. sed solùm in Christi mortem. Ità constat ex Theodoreto Lib. 4. hæret. fab. c. 3. & ex S. Epiphan. hær. 76. Pari de causâ reprobatum est Bonosiacorum Baptisma, quia nempe, ut ait Pelagius II. *baptisabant solummodò in mortem Christi una immersione.*

Inst. Saltèm immersio necessaria est necessitate præcepti divini. Ideò siquidem, juxta nos, Baptismus per infusionem hodie dari potest, quia sic datus olìm fuerit iis, qui in lecto vel in carcere recumbebant: atqui hinc colligi nequit im̃ersionem non esse necessariam necessitate præcepti divini; sicut ex eo quòd ægri in extremis positi absolvantur, etiamsi peccata sua confessi non fuerint, colligi non potest, confessionem explicitam peccatorum non esse necessariam necessitate præcepti divini.

R. ad 1. neg. ant. Siquidem certum videtur, immersionem omissam fuisse etiam extra gravissimæ necessitatis casus; ut cùm Apostoli una die quinque hominum millia, per aspersionem utique, baptisarunt; qui aliìs diebûs facilè potuissent immergi: porrò quæ sunt præcepti divini nonnisi in urgentissimæ necessitatis casu, omitti possunt.

Ad 2. 1mo. neg. maj. Neque enim hinc præcisè probamus immersionem à Christo præceptam non fuisse, quòd Ecclesia ipsam non adhibuerit in quocumque etiam extremæ necessitatis casu, sed quia ipsam non adhibuerit in casibus, in quibus rès à Christo præcepta adhiberi possit & debeat. Si enim infusione sola tincti sint aliquando quibus impossibile erat immersionem pati; at certum est sæpiùs factum esse ut per solam infusionem tingerentur, seù ægri qui balneum pati potuissent; seù viri viribus valentes, ut qui ab Apostolis baptisati fuêre. Adde quòd Ecclesia cui perpetuò assistit Spiritus sanctus, nusquam judicatura fuisset immersionem à Deo præceptam non esse, si hæc de facto præcepta esset. Aliud est de confessione explicita peccatorum; hæc enim semper necessaria judicata fuit in omnibus casibus, in quibus urgent præcepta divina; unde

ab

ab illa ii solùm immunes fuêre, qui à linguæ vel rationis usu excidissent.

Ex tertia Conclusionis parte colliges 1mo. invalidum esse Baptisma, cùm quis una tantùm aut altera gutta non defluente aspergitur. Debet enim homo ab actione Baptismi dici lotus, tinctus, ablutus; porrò ex communi sapientum æstimatione non dicitur quis tinctus, ablutus & lotus ex contactu guttulæ aquæ, sed ex successivo aquæ defluentis motu.

Colliges 2do. Curandum esse ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maximè verò caput in quo vigent sensus omnes. Quapropter quisquis alibi quàm in capite baptisatus fuerit, ut urgente periculo baptisari debet ubicumque potest, denuò rebaptisandus est sub conditione. Hinc S. Thomas hìc q. 68. a. 11. *Si primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptisari periculo imminente, & non est posteà rebaptisandus, si eum perfectè nasci contigerit.* Secùs, propter dubium, aït S. Doctor, si in *quacumque alia corporis parte* ablutus puer fuerit.

Colliges 3tio. Maximè curandum Baptismi Ministro, ut *tangat aquâ pellem capitis: unde si capillatus sit qui baptisatur, digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet Sacerdos, dùm dexterâ aquam infundit.** Certè nec constat crines esse corpus animatum; nec à sola eorum ablutione denominabitur quis, physicè ablutus.

Eadem de causa repetendum credo Baptisma, si infans in secundinis ablutus fuerit; multòque magis, si solùm in vestibus. Si tamen apertô jam ostiô uteri, (quæ apertio quædam est inchoatio nativitatis extra uterum) caro infantis, vel saltèm secundina infantem adhuc circumdans, possit tubi ope, vel madefacta ubertim manu ablui, non erit id omittendum; quia satiùs est dubia tentare remedia, quàm nulla. Cæterum ei, qui tubô aquam ad infantem necdum egressum immitteret, cavendum ut calidam immittat; quia frigidæ immissio, mortem inferret matri.

Colliges 4to. Valere Baptismum, si infans aquæ è tecto defluenti supponatur; quia sicut verè maculat vestem & qui eam aspergit lutô, & qui eam luto applicat; sic verè abluit corpus, qui vel ipsum perfundit aqua, vel ipsum applicat aquæ. Ità accuratiores Theologi, qui tamen id nonnisi in necessitatis casu permittunt. Quòd si aquæ ad corpus accessio, non fiat ab ipso Ministro, non stabit Baptismus: quia non verificabitur forma, *Ego te baptiso.* Hinc resolutio nivis in solo baptisati corpore facta, haud sufficeret ad valorem Baptismi; quia tunc motus aquæ circa corpus, potiùs oritur à persona baptisati, me- di-

* *Rituale Argent.*

diante calore ipsius, quàm à persona baptisantis; unde si ad hominem influvio positum aquam non immittas manu, vel aliter, non proderunt quæ in ipsum recitaveris verba formæ. Idem est, si illa proferas in puerum qui vel à se labitur, vel ab alio projicitur in flumen; neutro enim in casu, stat veritas hujusce verbi: *Ego te baptiso.* Aliud est si quis hominem cum funiculo dimittat in fluvium: is enim verè aït se baptisare.

Hac occasione quæritur? an ad Baptismum sufficiat ablutio occisiva, seù, ut loquuntur alii, immersio sinè emersione. Not. Duplex distingui debet ablutio occisiva: alia quæ licèt abluto mortem inferat, nihilominùs reputatur ablutio; ut si quis puerum abluat aquâ ferventi aut venenata: alia quæ ratione circumstantiarum moraliter reputetur diversa ab eo, quod sapientes per ablutionem intelligunt: ut si quis infantem conjiciat in puteum unde extrahi non possit.

Non quæritur an utraque vel alterutra abluendi ratio licita sit; utrique enim annexum esse homicidii crimen confitentur omnes, seù infans firma satìs valetudine fruatur; quia jam benè valenti eripitur vita; seù vergat ad interitum, quia cuipiam eripere quidquid habet vitæ, quantulumcumque illud est, communiter* censetur homicidium. Unde matrem jam morituram abscindere non licet ad consulendum fœtui. Tota igitur quæstio est, an valida sit ablutio prædictis modis occisiva. Sit

Conclusio II. Ablutio priorî môdo occisiva, sufficit ad Baptismum; quæ autem secundô modô occisiva est, non videtur sufficere.

Prob. 1. pars. Ablutio usualis sufficit ad Baptismum: atqui ablutio priori sensu occisiva, est & moraliter reputatur ablutio usualis; tùm quia ad hanc sufficit applicatio aquæ fluentis, nec interest an eadem aqua calida sit, an frigida, pura an venenata; tùm quia ut infirmus venenatô oleô unctus, validè unctus censetur, etsi inde pereat, sic à pari.

Prob. 2. pars, quam tenent S. Antoninus: Sylvester v. *Baptismus* 4. n. 8. ubi casum hunc re ipsa *in partibus Montispessulani* contigisse scribit, &c. Prob. inquam, quia actio de qua loquimur, nullibi gentium reputabitur ablutio vera, sed pura immersio. Ecquis dixerit hominem, alium abluere & lavare, si ligatîs manibûs & pedibûs, alligatô autem ad collum ingenti saxô, eundem in mare projiciat? Quis non derideat pastorem, qui projecto in abyssum sordido suo cane, id à se factum dicat, ut eum abluendo mundaret?

Obj. contra 1. part. Ablutio occisiva, est actio intrinsecè mala;

* Dixi *communiter*, quia Sylvius hìc q. 67. a. 7. vult ut minima mortis acceleratio pro nihilo reputetur.

la; sed Christus pro materia Baptismatis non instituit actionem intrinsecè malam.

R. dist. Ablutio occisiva est actio intrinsecè mala, quatenus occisiva; unde nec sub hoc respectu instituta fuit à Christo, C. Est actio intrinsecè mala ablutio, quatenus est, N.

Obj. contra 2. part. 1mo. Ad ablutionem sufficit contactus immediatus aquæ circa corpus: atqui ubi est immersio sinè emersione reperitur ille contactus.

R. dist. maj. Ad ablutionem physicam sufficit contactus aquæ, transeat; ad ablutionem moralem & usualem, qualem instituit Christus, N. Esto itaque dici possit physicè ablui, qui in aquam præceps dejicitur, ibidem suffocandus; quòd utique vix extra jocum dicet vir Physicus: at certè non dicetur is usualî modô ablutus; quia ubique receptum est, ut nemo dicatur abluere velle, sed perdere id, quod immersum emergi nequit; sicut ubique receptum est, ut massa, licèt penes speciem physicam non differat à pane, nullibi tamen dicatur panis, & consecrationis materia judicetur.

Inst. Si emersio ablutioni à Christo institutæ essentialis sit, infans qui Sacerdoti excidit, & in imum delapsus flumen jam extrahi nequit, non esset pronuntiatâ etiam verborum formâ ritè baptisatus: atqui id nemo dicere ausit.

R. neg. maj. Ablutio enim à Sacerdote in præsenti casu facta, adeò de se ablutio erat, ut confestim dicant omnes propositum fuisse Sacerdoti ut infantem ablueret, nemo, ut perderet: contra verò in alia ablutionis specie, nemo dicet intentam fuisse pueri ablutionem, sed mortem.

Ex dictis colliges cum Sylvio hic a. 7. quòd *si talis infans superviveret, esset ut minimùm baptisandus sub conditione. Si autem non supervivat sacrâ sepulturâ donandus est*; quia non omnino indubia est ejus Baptismi nullitas.

CAPUT TERTIUM.

De forma Baptismi.

VIdendum hìc 1mo. An ad formam Baptismi necessaria sit Trinitatis invocatio; 2do. An in ea etiam exprimi debeat seù actio baptisantis, seù persona baptisati.

ARTICULUS PRIMUS.

De distincta Trinitatis invocatione.

NOt. 1mo. Baptismus in nomine trium Personarum conferri potest, vel *confusè* ut si dicatur, *Baptiso te in nomine SS. Tri-*

Trinitatis; vel distinctè, ut si dicatur, *Baptiso te in nomine Patris*, &c.

Not. 2do. Formam quæ à Christo pendet, ex dispensatione ipsius potuisse mutari: unde pro nutu ejus potuit valere hæc forma, *Baptiso te in nomine Christi.*

Duo quæruntur in præsenti: 1mo. An distincta Trinitatis invocatio necessaria sit ad formam Baptismi; 2do. An olim sinè ea valuerit Baptismus. Sit

CONCLUSIO I. Ad valorem Baptismi requiritur distincta trium Personarum invocatio.

Prob. Illud ad valorem Baptismi necessarium est, quod præscripsit Christus ut essentiale: atqui, &c. Quòd præscripserit, demonstrant hæc ejus verba: *Docete - - - - baptisantes eos in nomine Patris*, &c. unde Tertul. L. de Bapt. c. 13. *Lex tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, docete nationes, tingentes eos in nomine Patris*, &c, & Cyprianus Epist. 73. *Apostoli in nomine Patris, & Filii & Spiritûs sancti baptisare Gentiles jubentur.* Quòd autem hanc præscripserit ut essentialem, sic probatur. Ille ritus tanquam essentialis à Christo præscriptus est, quô sublatô baptismum tolli constanter judicavit Ecclesia: atqui sublato distinctæ trium Personarum invocationis ritu - - - - Quæ enim hæreticos ritûs hujusce violatores, ubique temporum & locorum, cùm ad se redirent, denuò baptisari voluit; hæc Baptismum eodem sublato ritu collatum, nullum esse judicavit: atqui Ecclesia ubiquè locorum, &c. Sic Concilium Generale I. Paulianistas jussit rebaptisari, Conc. Laodicenum, Montanistas, Concil. Arelatense II. Photinianos; Concil. CP. I. Eunomianos, Montanistas, & Sabellianos. Unde Concilium Arelatense I. an. 314. Can. 8. hoc tulit Edictum: *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit interrogent eum symbolum; Et si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptisatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptisetur.* Ubi animadverte quòd etiam in Tertulliani ac Cypriani textibus animadvertendum fuit, Baptismi formam non in collectivo Trinitatis nomine reponi, sed in distincta trium Personarum invocatione.

Obj. 1mo. Conclusio nostra hîs præcipuè innititur verbîs: *Ite, docete - - - - baptisantes eos in nomine Patris*, &c. atqui verba hæc nihil probant. Non enim magìs ex eo quòd dixerit Christus, baptisabitis *in nomine Patris*, &c. sequitur pronuntianda esse hæc verba in Baptismo, quàm ex eo quòd dixerit, *Ejicietis dæmonia in nomine meo*, sequatur pronuntianda fuisse hæc verba, *Ejicio te*, dæmon male, *in nomine Christi*: atqui hoc non sequitur, &c.

R. ad

R. ad 1. dist. maj. Assertio nostra hîs præcipuè verbîs innititur, juncta Traditione, C. Hîs verbîs solitariè sumptîs, N. Novatores qui Traditionem omnem rejiciunt, nunquam efficaciter ex solitario Christi textu adversùs Socinianos probâbunt, necessariam esse in Baptismo distinctam Trinitatis invocationem. Verùm qui semel statuerit cum Catholicis, Ecclesiam hinc quidem in interpretandis Scripturis infallibilem esse; inde verò prædicta verba, sensu nostro semper interpretatam esse, seù per ipsam suam praxim, seù in Conciliorum suorum Canonibus, is, inquam, spontè fatebitur detortam esse citati textûs explicationem, quæcumque à nostra diversa fuerit.

Ad 2. neg. maj. Eadem de causâ. Si enim semper docuit Ecclesia, non posse sinè certis verbis consecrari Baptismum, nunquam docuit sine certis verbis ejici non posse dæmonia.

Obj. 2. Id S. Ambrosii, Lib. 1. de Spir. S. c. 3. *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum - - - quia qui unum dixerit, Trinitatem significavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum quô unctus est, designasti.* Unde sic: Qui docet valere Baptismum, etiamsi solus nominetur Pater, quia nominato Patre, Filius & Spiritus S. sufficienter per fidem nominati censeantur, ille ad Baptismi validitatem expressam trium Personarum invocationem non requirit: atqui S. Ambrosius, &c.

R. dist. maj. Qui docet valere Baptismum, etiamsi nominetur solus Pater à Ministro Baptismi, ille, &c. C. maj. Qui docet valere Baptismum, etiamsi nominetur solus Pater à subjecto Baptismi, seù à persona baptisata. N. maj. Ut ex objecto loco nihil colligi valeat, sufficit ut Ambrosius doceat tantummodò Baptisma plenè effectum suum sortiri, tametsi ille qui baptisatur, interrogatus, ut moris erat, an credat in Patrem, & Filium, & Spiritum S. responderit unicè se v. g. credere in Patrem, aut Spiritum S. modò dùm unam ore confitetur personam, in cæteras corde credat: atqui hoc solùm docet Ambrosius nec ultra progressus fingi potest, quin & contradictionis arguatur, & erroris capitalis in fide. Arguetur quidem contradictionis, quia alibi sæpiùs contrarium docuit, potissimùm Lib. de Mysteriis n. 20. Arguetur & erroris à quo prorsùs abhorrebat. Scilicet definitum erat, & apud Catholicos omnes tempore Ambrosii receptum, Ministri fidem ad effectum Baptismi necessariam non esse; ac proin infantes & adultos quandoque justificari per Baptismum collatum ab hæreticis: atqui

atqui si loquatur S. Doctor de persona baptisantis in textu objecto, jam contrarium tenere debuit cum Donatistis. Sic enim expresse habet: *Plenum est* Baptismi *Sacramentum, si Patrem & Filium, & Spiritum sanctum fatearis: si unum neges, totum subrues,* &c.

Ex dictis colliges lapsum esse S. Bernardum, cùm Epist. 43. ad Henric. Archid. ratum habuit Baptisma sub hac forma, *Baptiso te in nomine Dei, & sanctæ & veræ Crucis.* Indulgendum tamen viro Sancto, qui si erravit, quod humanum est, modestè erravit, quod piorum esse solet: cùm ergo loquutus fuerit *sine præjudicio saniùs sapientis,* dabit veniam, si ab eo recedamus; nè à cæteris divellamur.

Conclusio II. Multò probabiliùs est, nunquam valuisse Baptismum in solo Christi nomine collatum; valuisse tamen senserunt viri graves.

Prob. 1. pars. Si quando valuit Baptismus in solo Christi nomine, utique quia cum Apostolis dispensatum fuerit, ut omissa forma communi, istâ solâ uterentur: atqui id dici non potest. Tota enim prætensæ hujus dispensationis causa petitur ex Libro Actuum, ubi Apostoli in nomine Jesu Christi baptisasse quater perhibentur: * atqui hæc ratio parum aut nihil concludit. Siquidem primævi Patres, quibus notior esse debuit germanus horumce verborum sensus, ea non ut sonare videntur, sed in sensu qui nostrum includat, ut plurimùm intellexêre. Alii nimirùm de Christi nomine mentionem factam esse volunt, ut tota denotaretur Trinitas, quam prædicaverat Christus: sic Cyprianus Epist. 73. Alii per Baptismum in nomine Christi, intelligunt Baptismum iis datum, qui solemnem fidei in Christum professionem emiserant; itâ S. Joannes Damas. L. 4. Orthod. fidei c. 10. Alii demùm per Baptismum in nomine Christi datum, nihil aliud intelligunt, quàm Baptisma Christi prout à Joannis Baptismate distinguitur, & ipsius Christi nomine seù authoritate confertur. In nomine enim idem est sæpiùs, ac in virtute; ut Act. 3. ubi Petrus sanans claudum, aït: *In nomine Jesu Christi Nazareni, surge & ambula.* Atque hanc explicationem, quæ facilis est, sicut & præcedens amplectitur Theophilactus in cap. 24. S. Lucæ.

Confirm. Quia hæc S. Petri verba Act. 2. v. 38. *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine J. C.* non diriguntur ad baptisantes, (qui utique Baptismi formam non ignorabant) sed ad baptisandos; ergo genuinè & naturaliter explicantur de postulata à baptisandis in Christum fide.

Prob. 2. pars. Quia Baptismum in solo Christi nomine datum pro rato habuêre S. Thomas, S. Bonavent. Scotus, &c. Imò

* *Act.* 2. 8. 10. 19.

ean-

eandem formā hodiedū sufficere judicarūt Hugo Victor. Magister Sent. & Nicolaus I. in celebri ad Bulgaros Responso c. 104.

Obj. 1mo. S. Stephanus Papa ratum habuit Baptisma in solo Christi nomine datum, ut tradit S. Cyprianus Epist. 73. ubi opponit Baptismum, quem approbabat Stephanus, Baptismo *in plena & adunata Trinitate* collato.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Opponit S. Cyprianus Baptismum, quem approbabat Stephanus, id est, quem errore facti à Stephano approbari credebat Cyprianus, [si tamen is de Stephano loquatur, quòd solidè probari non potest,] C. Id est, quem de facto approbabat Sanctus ille & Summus Pontifex, N. Itaque per Baptismum in nomine Christi collatum, si tamen iis terminis usus sit Stephanus, nihil aliud ille intelligebat, quàm Baptismum authoritate Christi datum; idque appositè ad statum controversiæ, quam cum Cypriano habebat, ut efficaciùs ostenderet Baptismum, modò sit ipse Christi Baptismus, vim suam non à Ministro, sed ab ipso Christo habere. Et verò Firmilianus, vir, si quis unquam malè affectus in Stephanum, sic hujus sententiam reddidit: *Illud quoqué absurdum, quòd non putant quœrendum esse, quis sit ille qui baptisaverit, eò quòd qui baptisatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritûs sancti.*

Inst. Non aliundè meliùs erui potest Stephani sensus, quàm ex praxi ejusdem: atqui constat ex Actis passionis S. Stephani [quæ Baronio teste plenam fidem merentur] eum in nomine D. N. J. C. 108. personas baptisasse; ergo.

R. dist. min. Constat eum baptisasse in nomine Domini, id est, Dominicum Baptisma contulisse, C. Id est, sub hac baptisasse forma, *In nomine Domini,** N. Imò ibid. refertur Nemesium militiæ Tribunum, sub hac tinctum esse forma, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptiso te.*

Obj. 2do. Id S. Hilarii L. de Synodis n. 85. *Apostoli baptisare in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. jussi, tantùm in Jesu nomine baptisaverunt; ergo.*

R. dist. Tantùm baptisaverunt in nomine Jesu, si Scripturæ textus ad corticem sumatur, ut aliquando sumi non debere probat Hilarius, C. Tantùm baptisaverunt in nomine Jesu, de facto & in rei veritate, N. Totus est ibi Hilarius, ut probet non esse improbandum, *quidquid vitiosè intelligi possit.* Id ut adstruat, varios congerit scripturæ textus, quibûs pronum sit abuti; eumque inter alios ubi Apostoli, licèt baptisare *in nomine Patris,* &c. jussi sint, *tantùm in nomine Jesu* baptisasse leguntur; ergo juxta Hilarium, textus ille vitiosè intelligeretur, si de da- to

* *Baron. n. 23.*

to ab Apostolis in solo nomine Jesu Baptismo intelligeretur. Et verò vitiosè intelligitur textus, cùm ex eò sequitur Apostolos divinæ jussionis transgressores fuisse, porrò si jussi baptisare in nomine trium Personarum Apostoli, in solo nomine Jesu baptisassent, jam Divinæ jussionis fuissent transgressores.

ARTICULUS SECUNDUS.

An in Baptismi forma exprimenda sit actio Ministri.

SEnsus quæstionis est, an necesse sit, ut proferantur verba ista, *Ego baptiso te*, quin & aliqua movetur difficultas de voculis, *in nomine*. Sit

CONCLUSIO I. Ad validitatem formæ baptismalis haud necessarium est, ut vel pronuntietur pronomen *Ego*; vel verbum *Baptiso* activè proferatur.

Prob. 1. pars. Quia verbum *Baptiso*, implicitè includit illud pronomen; non tamen omitti debet, nè à trito Ecclesiæ usu recedatur.

Prob. 2. pars. Quia ex dicendis Baptisma Græcorum ab Ecclesia Rom. comprobatum est: atqui tamen *Græci* verbum, *Baptiso*, non adhibent activè.

CONCLUSIO II. Hæc verba *Baptiso te*, aut alia æquivalentia, citra periculum nullitatis in forma Baptismi omitti non possunt.

Prob. utraque pars simùl, 1mo. ex c. 1. *De Baptismo*, ubi sic Alexander III. *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris*, &c. *& non dixerit, Ego te Baptiso in nomine Patris*, &c. *non est puer baptisatus.*

Prob. 2do. In Sacramentis ea debet necessariò teneri forma, quæ & tutior est, & antiquitati consentanea magìs: atqui talis est forma, quæ Ministri actionem relativè ad subjectum exprimit. Quòd tutior sit, nemo in dubium revocat: eâ enim sublatâ, si necessaria est, nihìl conficitur. Quòd autem antiquitati magìs consentanea sit, patet, quia ubicumquè tradita est distinctiùs forma Baptismi, hæc invenitur, non ut ritus qui pro nutu omitti posset, sed ut aliquid ubicumquè constanti usu observatum, prout scilicet observari solent, quæ pertinent ad Sacramenta. Sic nudè & simpliciter formam hanc referunt S. Gregorius Magnus * in suo Sacramentario, Author Ordinis Romani; antiqua Liturgia Gallicana à doctiss. Mabillonio edita, & Rituales Libri omnes, quos edidit R. P. Martene, unô demptô Cameracensi, non antiquiore trecentîs annîs; ergo.

Prob. 3tio. ex Censura, quam an. 1690. tulit Alexander VIII.

* *Obiit an. 604.*

con-

contra propositionem hanc n. 27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c, prætermissis illis, Ego baptiso te.*

Prob. 2. pars. Non valeret absolutio sub hac forma, *Absolvo*, vel *Datur absolutio in nomine Patris.* quia absolutio non in individuũ vagum cadit, sed in certam determinatamqué personam: atqui eadem ratio militat in Baptismate; ergo.

Confirm. ex Florentina Synodo, quæ probatam sibi Græcorum formam exhibendo, non habet simpliciter, *Baptisatur servus Christi*, sed *Baptisatur talis servus Christi*: ubi *talis* perperam adderetur, nisi subjectum, baptisandum distinctè designari oporteret

Obj. 1mo. Verba hæc: *Ite, docete, Baptisantes in nomine Patris*, &c. non magìs probant ab eo, qui baptisat, dicendum esse, *Baptiso te*, quàm probent ab eo, qui docet dicendum esse, *Doceo te*: atqui, &c. Et verò tàm ridiculum est, ut qui baptisat, moneat se baptisare, quàm ridiculum fuisset; ut Moyses, cùm jubente Deo virgam suam projecit, ut serpens fieret, diceret: *Ego virgam meam projicio*: atqui, &c.

R. Etsi verba hæc, *Ite, docete baptisantes*, non invictè probant exprimendam esse actionem baptisantis; at eam tamen exprimendam esse probant, tùm periculum, nè expressio hæc à Christo præcepta fuerit; tùm constans Ecclesiæ praxis. Et verò potest, quisquis Deum timet: secum duplicem hanc ratiocinationem efformare; 1. Fortè quidem non præcepit Christus, ut diceretur, *Baptiso te*, sed & id fortè præcepit; ergo mihi & proximo pessimè consulam, si id omisero, quod admissum non nocet, prætermissum nocere possit; 2do. Verba hæc, *Ego te baptiso*, in usu erant sextô Ecclesiæ sæculô, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi referuntur in terminis; ergo & in usu erant sæculô quintô; idem dic de quarto, tertio, &c. alioqui probent adversarii ea sub istud tempus ab aliquo, vel Pontifice, vel Concilio, instituta fuisse; neque enim ea instituisse Gregorius dici potest, cùm ab eo referantur ut ritus in Ecclesia communis.

Ad 2. neg. maj. Tùm quia si Deus sapienter præcipere potuit, ut infans, nisi quibûsdam aquæ guttis tingeretur, periret in æternum; potuit & præcipere, ut nisi per verba actionem Ministri designantia tingeretur, malè tingeretur; tùm quia actio abluendi, cùm ad plura indifferens esset, indigebat speciali determinatione: actiones verò vel docendi, vel projiciendi virgam, nulla id genus determinatione indigebant; tùm deniqué quia in Sacramentis res strictiùs, quàm in alia quacumque materia accipiuntur.

Inſt. S. Aug. Serm. 99. eos redarguit, qui dicere audent: *Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumqué baptiſo*: ſed qui non patitur, ut dicat homo homini, *Ego peccata dimitto*, non paſſus eſſet ut diceretur, *Ego baptiſo te*, id eſt, ad æternam vitam abluo; ergo.

R. diſt. min. Non paſſus eſſet, ut diceretur tumida fronte, & hæreticâ ſuperbiâ, prout ab illis dicebatur, quos eo loco carpit Auguſtinus, C. Non paſſus eſſet, ut diceretur nomine Chriſti, & à Miniſtro, qui ut ſimplex ejus miſericordiæ inſtrumentum ſe gereret, N. Quòd autem hæreticos quoſdam, qui inſolenter gloriabantur, quaſi propria virtute alienas labes expungerent, increpet ibidem Aug. patet ex ſolo S. Doctoris contextu. Sic enim Chriſtum inducit loquentem: *O homo! quando à Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum, fidei dedi - - - - O hæretice! cùm ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio*, &c.

Obj. contra 2. part. Sthephanus II. formam hanc approbavit, *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritûs S. mergo*: atqui forma hæc, perſonam abluendam non exprimit.

R. Approbationem hanc nullô roboris alicujus fundamentô iti: cæterum ſi verè data ſit, prorsùs eſſe improbandam.

Conclusio III. Meliùs cenſent, qui particulam *In*, ad validitatem Sacramenti exigunt.

Prob. Quia incertum eſt an vox *nomine*, eundem habeat ſenſum, quem vox *in nomine*. Affirmant quidem aliqui, ſed reclamant alii, ajuntque variari ſenſum, eò quòd Miniſter dicens, *Baptiſo te nomine*, inſinuet ſe Baptiſare vice Patris; prout ſalutat alterius vice, qui ejus nomine ſalutat; ergo res dubia videri poteſt, in dubio autem plùs ſapiunt, qui Sacramento provident. Unde Scotus lethalis peccati reum facit, qui voculam *in*, ſupprimeret, idemque aït de omittente conjunctionem *&*, hôc modô, *Baptiſo te in nomine Patris, Filii, Spiritûs S.* quam tamen formam cenſent plures valere, niſi qui eâ utitur, perſonas identificare velit; quod minùs præſumi poteſt, cùm forma quaſi poſito inter ſingulas voces commate pronuntiatur; ſic enim dicimus: *Ità docent Cyprianus, Ambroſius, Leo, &c.*

Conclusio IV. Vocula *nomine*, ad ſubſtantiam Baptiſmi prorsùs neceſſaria eſt: undè non ſtabit Sacramentum, ſi quis vel *in nominibus Patris*, &c. vel, *in Patre, & Filio*, &c. baptiſet.

Prob. Ad ſubſtantiam formæ Baptiſmi, neceſſarium eſt, ut & unitas eſſentiæ in Divinis, & perſonarum Trinitas exprimatur; atqui ſi vel dematur vox *in nomine*, vel ei ſubſtituatur, *in nominibus*, jam non exprimitur unitas illa; ergo.

Quæres, an valeat Baptiſmus, ſi uſitatæ formæ terminîs, termini ſubſtituantur æquivalentes. R. 1mo.

R. 1mo. Non licet à forma communi recedere etiam accidentaliter, nisi id graves exigant causæ, quæ vix unquam occurrunt. Tantò autem quis graviùs delinquet, quantò plùs à trito itinere deviabit; nisi fortè excuset ignorantia? quæ obstetricibus suffragari nequit, quia tenentur ex ratione officii sui, formam Baptismatis callere.

R. 2do. Stare Sacramentum, si formæ terminis non substituantur nisi termini verè æquivalentes; undè si quis pluraliter loqui assuetus: pro *Baptiso*, dicat, *Baptisamus*, non mutabit Sacramentum, ut docet Sylvius, qui meritò ejusmodi vanitates redarguit. Idem est, si quis honoris malè intellecti causâ dixerit, *Baptiso vos*, vel *celsitudinem vestram*. Item si dicatur, *Baptiso Petrum*, vel *Petrus baptisatur à me*. Quin & tunc perficietur Sacramentum, etsi persona præsens, non sit ejusdem nominis aut sexûs: quia quisquis baptisat, primò & directè intendit, baptisare subjectum præsens, quod ex errore putat esse Petrum. Aliud est de matrimonio, in quo contrahendi voluntas, hanc signatè personam afficit.

Hic cautè notandum facilè fieri, ut habeantur quasi formæ communi æquivalentes termini, qui eidem reverà non æquivaleant, undè non valet Baptisma collatum in nomine Dei unius & trini, etsi voces illæ idem esse videntur, quòd Pater, Filius, & Spiritus S. Itèm nec valet juxta S. Thomam, Sylvium & alios plures, si conferatur *in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque procedentis*; quia licet nomina hæc, idem materialiter sonent quod Pater & Filius, &c. Non tamen formaliter. Pater enim, Filius, &c. ex usu communi significant personam subsistentem; Genitor verò & Genitus, designant solùm proprietatem, & modum originis unius personæ ab alia.

Hæc forma, *Baptiso te in nomine Patris, in nomine Filii*, &c. licèt à multis post Suarem approbata, pluribus admodùm dubia videtur, nec immeritò: quia sicut forma Baptismi, qua parte significat Trinitatem, eam significare debet voce, quæ Trinitatem significet potiùs, quàm unitatem, ità qua parte unitatem significat, eam significare debet voce, quæ identitatem potiùs significet, quàm Trinitatem: porrò vox *in nomine*, ter repetita, non magis unum nomen significat, quàm trinum.

Suspecta etiam videri debet hæc, quæ tamen Comitolo non displicuit, formula: * *Baptiso te cum Patre & Filio*, &c. quia hic vel malè, vel nullatenus exprimitur naturæ Divinæ unitas.

Quæres, quid juris de forma Græcorum, quæ non deprecativè habet? *Baptisetur*; sed indicativè: *Baptisatur servus Dei N. in nomine Patris*, &c.

R. 1mo. Formam hanc esse perantiquam, ut quæ reperiatur

* *Comit. L. 1. q. 9.*

tur, tùm apud Authores sæculi VI. tùm in Euchologiis ante annos mille & eò ampliùs conscriptis.

R. 2do. Valere formam hanc, 1mo. quia Latini nullam unquam eâ super re, litem movere Græcis; 2do. quia Eugenius IV. in Instructione Armenis data, eandem approbat; 3tio. quia huic formæ nihil essentiale deest, utpotè quæ distinctè designet & præcipuam interioris Baptismi causam, nempè Trinitatem; & externam actionem Ministri, videlicet ablutionem; imò & ipsam ejusdem Ministri personam. Sicut enim Græci dùm vestes albas induendo, aiunt: *Induitur servus Dei*; prout notat Arcudius, per *induitur*, idem sibi volunt ac *induo me*: ità à pari in proposito. Meritò tamen Græcæ formæ Latinam præfert Suarez; tùm quia hæc magis consentanea est his Christi verbis, *Baptisantes eos*, quod fatetur Arcudius; tùm quia meliùs exprimit baptisandi actum ut actualiter exercitum.

CAPUT QUARTUM.

De Ministro Baptismi.

NOt. 1mo. Duplicem distingui Baptismatis Ministrum, alium *necessitatis*, qui nonnisi in defectum alteriùs ad hoc deputati baptisat, & inter baptisandum ea solum adhibere debet, quæ ad validitatem Baptismi requiruntur; alium *solemnitatis*, cui, utpotè ad id muneris deputato, ritus omnes ab Ecclesia in Baptismate usurpari consuetos, adhibere competit: seu competat absolutè & sinè ulla ab alio dependentia, seu dependenter à voluntate Superioris.

Not. 2do. Sacramentum vel validè simùl & licitè administrari, cùm in collatione ejus concurrit quidquid ad substantiam & ad modum actionis necessarium est; vel validè & illicitè, cùm etsi nihil ex parte substantiæ desit, deest tamen aliquid ex parte modi; ut si quis vel in peccato constitutus Sacramentum administret; vel illud cum iis solemnitatibus conferat, quarum usus Superiori reservatus sit. Quæritur itaque quis seu solemnis, seu privati Baptismi Minister sit; qua de re sit

Conclusio I. Omnis viator homo, seu vir, seu mulier, fidelis aut infidelis, in casu necessitatis potest licitè baptisare. Est contra Bezam, &c.

Prob. 1. pars de Laïcis hominibus: 1mo. quia Ananias Paulum baptisavit * atqui probabilissimum est Ananiam merum fuisse laïcum; tùm quia ità docent Constitutiones Apostolicæ, quæ magnæ sunt antiquitatis, tùm quia baptisatus est

* *Act.* 9.

Paulus annô à Christi passione primô; porrò Calvinistæ, qui omnia ex Scipturis probant, nusquam probabunt, ullos hactenus ordinatos fuisse Episcopos vel Sacerdotes præter Apostolos; aut Diaconos præter septem.

Prob. 2do. ex Patribus: Tertul. lib. de Bapt. c. 17. *Dandi*, inquit: Baptismi *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sinè Episcopi authoritate - - - - alioquin etiam laicis jus est - - - -* undè *reus erit* laïcus *perditi hominis, si supersederit præstare, quod liberè potuit.* Quo in textu non tantùm inest laïcis baptisandi potentia, sed & urgente periculo, necessitas incumbit.

S. Hieron. Dial. adv. Lucifer. *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptisare: ut enim accipit quis, & dare potest.* Aug. L. 2. contra Epist. Parmeniani c. 13. Laïcus, *nulla necessitate cogente si* baptiset, *alieni muneris usurpatio est, si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale peccatum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.*

Nec nocet disjunctiva hæc, quam objicit Calvinus *nullum aut veniale peccatum*: Hæc enim verba, ut notat Bellarminus, *significant peccatum esse veniale, cùm laici non adhibent omnem diligentiam ut Sacerdotem inveniant, qui baptiset; nullum autem esse peccatum, cùm adhibitâ diligentiâ, & Sacerdote minimè invento, ipsi baptisant.*

Prob. 2. pars de mulieribus, 1mo. ex triplici quem mox citavimus Patrum textu. Qui enim indistinctè docent valere Baptismum à laïcis datum, ii, nisi feminas, quæ sub hominum nomine in Scriptura & in traditione intelligi solent, disertè excludant, comprehendisse censentur; atqui laudati Patres indistinctè docent valere Baptismum à laïcis datum, nec ullibi excludunt feminas, sed potiùs includunt disertè: cùm Baptismum * *ubicumquè & à quibuscumquè* datum valere pronuntient.

2do. Ex Urbano II. qui in Epist. ad Vitalem Presbyt. sic scribebat an. circiter 1094. *Videtur nobis respondendum ut & Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptisaverit.* Idem disertè tradit Eugenius IV. in Decreto ad Armenos.

3tio. Possunt mulieres id, quod sibi nulla lege interdictum est: atqui - - - - Non lege naturali; neque enim intrinsecè malum est, quòd mulier infantem aliquando tingat; sicut nec malum fuit, quòd Sephora filium suum circumciderit. Non

* *Aug. Lib. 7. de Bapt. cap. 53.*

lege divina: hæc enim lex citari nequit. Non lege Ecclesiastica: cùm ex ea potiùs inferatur contrarium.

Prob. 3. pars de infidelibus. Infidelium, seù eorum qui fide carent, alii baptisati sunt, sed hæresim profitentur, ut Calvinistæ; alii nec baptisati sunt, nec propriè hæretici, ut Pagani complures: atqui valet Baptisma ab utrislibet collatum: 1mo. quidem valet si collatum sit ab hæreticis, ut fusè contra S. Cyprian. suprà probavimus; 2do. Valet & à cæteris infidelibus collatum; etsi nonnunquam id, in dubium vocavit Augustinus: 1mo. enim id apertè docet S. Leo paucis post Augustini obitum annis.* Sic ille Epist. 90. *Hi - - - - qui se baptisatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptisavére, se nescire profitentur, quolibet modo formam Baptismatis acceperint, rebaptisandi non sunt*; 2do. Idem tradidére, tùm Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. ubi definitur *Sacramentum Baptismi à quocumque ritè collatum proficere ad salutem*; tùm Eugenius IV. in citato mox Decreto: atqui hæc R. Pontificum Decreta non privatæ, sed totius, atqué adeò etiam Orientalis Ecclesiæ doctrinam exhibent. Siquidem à Photii temporibus mage magisqué inquisierunt Græci occasiones recedendi, ab Ecclesia Romana; & carpendi quidquid in ea sibi displiceret: atqui tamen iidem Græci nihil unquam hac in parte objecerunt Latinis, seù dum ferveret discordiarum æstus, seù dum pax resarciretur in Conciliis Generalibus CP. IV. Lugdunensi II. & Florentino. Sed quid plura? cùm fateatur Calvinus L. 4. Instit. c. 15. sibi adversari Traditionem.

Obj. 1mo. Christus iis solis potestatem baptisandi concessit, quibus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos*, atqui id solùm dixit Apostolis, eorumqué successoribus, non laïcis, &c.

R. neg. maj. Constat enim Philippum baptisasse, & is tamen nec Apostolus erat, nec Sacerdos, sed solùm Diaconus. Constat iterum Apostolos priùs baptisasse, quàm vel Episcopi, vel Presbyteri forent. Unde non dixit quidem Christus Matth. ult. laïcis ut baptisarent; sed jam antea viris adhuc laïcis præceperat ut baptisarent. Fatemur tamen quòd sicut mulieribus vetitum est nè publicè doceant, sic & vetitum sit nè solemniter & quasi ex officio baptisent. Habet enim solemne Baptisma sacros ritus, quos Ecclesia nonnisi à Ministris ad id deputatis, peragi voluit.

Obj. 2do. Joan. Moschus cap. 176. Prati. spirit. refert laïcos Judæo in itinere Baptismum petenti respondisse, *Nobis non licet hoc facere; sæculares enim sumus.* Augustinus verò Ep. 226. ut Pastores ab ineunda, tempore Vandalicæ persecutio- nis,

* *An. 443.*

nis fuga deterreat, exponit luctuosam Gregis sortem, qui Sacerdote absente, non habet à quo regeneretur fonte baptismatis, aut pœnitentia reconcilietur: atqui hæc absurdè dicta essent, si laïcis permissum esset Baptisma.

R. ad 1. Laïcos illos, ex ignorantia id respondisse.

R. ad 2. neg. min. Meritò enim fugitivos Pastores vel ex ipso Baptismi capite redarguit Aug. tùm quia ubi desunt Pastores, Baptisma cum solitis ritibus conferri nequit, quod grande malum est; tùm quia, cùm Aug. ævo passim baptisarentur adulti, periculum erat ne eorum plures, sine Baptismo decederent, aut temerè tingerentur, & fortassis invalidè; quia vel forma ab imperita plebe nesciri poterat; vel ii præ scrupulo rejici poterant, quos Pastor dignos judicasset, aut fecisset.

Saltèm, inquies, veteres quicumque feminas à sacro ministerio, proindeque & à Baptismi collatione excluserunt. Sic Tertul. Lib. de Bapt. c. 17. *Petulantia mulieris quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet? nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ*, Quintillæ scilicet: *ut quemadmodum illa Baptismum auferebat, ità aliqua per se eum conferet.* Sic Epiph. ut contra Collyridianos, feminas à Baptismi administratione procul arceat: *Etsi*, aït. hær. 75. n. 3. Mariæ *tantus honor est habitus, ut gremio suo Dei Filium exciperet* - - - - nihilominùs *nè baptisandi quidem potestas est illi facta.*

R. dist. ant. Veteres excluserunt feminas à sacro ministerio, id est, à ministerio quod palam & solemniter in Ecclesia exerceretur, C. Id est, à sacra quavis functione, quæ etiam privatim fieret & in casu necessitatis, N. Veteres excluserunt feminas à baptisandi functione, sicut à functione docendi: porrò nemo usquam credidit vetitum esse feminis, nè quempiam etiam in casu necessitatis doceant ea, quæ ad salutem spectant. Unde Act. 18. Aquila & Priscilla uxor ejus, Judæo cuidam, Appollo nomine, *diligentiùs exposuerunt viam Domini.* Porrò Tertullianum eas solùm insequi mulieres, quæ publicè, & citra necessitatem sibi jus baptisandi arrogarent, liquet ex Lib. de præscr. c. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces! quæ ardeant docere, contendere, exorcismos agere, forsitan & tingere.* Ubi de his evidenter agitur, quæ tota Sacerdotii jura usurpabant; prout fiebat apud Pepuzianos, qui testibus Epiph. hær. 49. & Aug. Lib. de hær. cap. 27. *tantùm* dabant *mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorarentur.*

Eadem est mens Epiphanii, ut invictè probant hæc, quæ præcedunt ejus verba: *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut Canonicum quiddam præstare in Ecclesia eis liceret,*

nulli potiùs quàm Mariæ, illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit; cui tantus honor, &c. ut suprà.

Conclusio II. Episcopus est ordinarius Baptismi Minister; est & Sacerdos, sed cum subordinatione & dependentia ab Episcopo.

Prob. 1. pars. Ordinarius Sacramenti Minister ille dicitur, qui singulariter & ratione officii sui ad idem administrandum deputatus est: atqui Episcopus - - - - Ad Episcopos enim eorumque successores primariò & singulariter à Christo dictum est: *Docete*, &c. *baptisantes eos*, &c. Ergo.

Prob. 2. pars. Quia is etiam ordinarius Baptismi Minister dici potest, qui ex vi consecrationis suæ habet, quòd passim & ordinariè ad baptisandum deputari possit: atqui talis est simplex Presbyter. Min. prob. tùm ex praxi Ecclesiæ, tùm ex ejus Decretis. Sic L. 3. Constit. Apost. c. 11. legitur simpliciter: *Nequè reliquis Clericis potestatem baptisandi facimus - - - - nisi tantùm Episcopis & Presbyteris, ministrantibûs Diaconis*, Sic & Gelasius in Epist. ad Episcopos Lucaniæ: *Diaconi - - - - absquè Episcopo vel Presbytero baptisare non audeant; nisi prædictis fortassis Ordinibus longiùs constitutis necessitas extrema compellat.* Sic demum Eugenius IV. in Decreto: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptisare.* Nè quis verò hîc adæquatè parem Sacerdotibus ac Episcopis baptisandi potentiam tribui opinetur.

Prob. 3. pars, ex diserto Tertulliani textu quem suprà adduximus;* 2do. ex S. Ignatio Epist. ad Smyrnæos, ubi aït *non esse licitum sinè Episcopo baptisare, vel agapen celebrare*; 3tio. ex S. Hieron. Dialog. adv. Lucifer. *Sine Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus, jus habet baptisandi.* Et verò baptisandi jus sibi adeò, saltèm pro solemnioribus diebus, reservabant Episcopi, ut vix iisdem diebus, Sacerdotum quispiam Baptismum conferre auderet. Hinc Ephesini Clerici, ut Ibæ Episcopi sui reditum citiùs obtinerent, urgent potissimùm proximitatem ** *sancti diei Paschatis, in quo*, inquiunt: *propter eos qui digni sunt sancto Baptismate, opus est ejus præsentiâ.*

Fatendum tamen iis etiam temporibûs, collatum fuisse à Presbyteris Baptisma, 1mo. iis qui longiori intervallo distarent à præcipuis urbibus, quæ Episcoporū sedes esse consueverant; 2do. etiam præsente, sed licentiam dante Episcopo, prout tradit Palladius in vita S. Chrysostomi.

Obj. Sacerdos dùm consecratur, recipit ordinariam baptisandi potestatem; ergo non est cur eam deinceps recipiat ab Episcopo.

R. dist. ant. Recipit ordinariam potestatem, id est, vi cujus assu-

* *Supr. p.* 151. ** *Ep. ad Phot. & Eustat.*

assumi possit in ordinarium Baptismi etiam solemnis Ministrum, C. Id est, quam illicò & pro nutu exercere possit, N. Sacerdos enim tantùm se habet ut adjutor Principis: adjutor porrò vocari debet, & ad ea deputari, quæ Princeps ab ipso præstanda judicaverit. Et verò Sacerdos dùm consecratur, recipit potestatem absolvendi à peccatis; & hanc nihilominùs, nè validè quidem exercere potest, nisi à Superiore approbetur.

Ex dictis colliges, reum esse gravis peccati Sacerdotem, qui extra necessitatis casum, sinè jurisdictione vel commissione baptisat seù solemniter, seù privatim; quia etiamsi vi consecrationis etiam solemniter baptisare possit, id tamen ipsi gravibus de causis prohibitum est, putà nè turbetur pax & Ordo. Idem dicendum de Parocho, qui alterius territorii infantem absque proprii Pastoris licentia, baptisare præsumit; est enim istud quoquè temeraria & gravis alienæ jurisdictionis invasio. Neuter tamen censuræ subjaceret aut irregularitati, quia neutra hæc pœna contra delinquentes imposita est de jure communi. Cæterùm plùs peccaret Monachus baptisando, quàm Sacerdos etiam alienus, ut colligitur. ex c. 1. XVI. q. 1.

CONCLUSIO III. Diaconus est etiam solemnis Baptismi Minister, sed extraordinarius.

Prob. Ille est solemnis Baptismi Minister, sed extraordinarius tantùm, qui ex Ordine suo habet, ut ad baptisandum solemniter deputari possit; at non passim, sed in casibus tantùm extraordinariis: atqui Diaconus 1mo. deputari potest ad baptisandum, ut hinc patet, quòd Philippus Simonem magum, & Eunuchum Candacis Reginæ, huncque Deo evidenter approbante, baptisaverit;* 2do. deputari potest ad baptisandum solemniter; ut indicant hæc Episcopi ad futuros Diaconos verba: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptisare & prædicare.*** Certè nemo dixerit hic solùm concedi Diaconis, ut privatim in extremæ necessitatis casu baptisent: cùm potestas illa omnibus, etiam laïcis, ex institutione Christi competat; 3tio. demum Diaconus non passim, sed in casibus tantùm extraordinariis ad baptisandum deputari potest. Alias enim esset simplex Baptismi Minister, sicut Sacerdos; & ut Evangelium canere sine speciali Episcopi vel Parochi licentia potest, sic & sinè speciali utriusque licentia solemnem Baptismum administrare posset: atqui Diaconus nullibi dicitur simplex Baptismi Minister; cùm jus illud proprium esse Sacerdotis indicet Eugenius IV. in Decreto; & expressè vetet Gelasius nè Diaconi *absque Episcopo vel Sacerdote baptisare audeant.*

Objiciuntur quatuor, 1mo. quòd Tertullianus & Hieron. Diaconos cum Presbyteris comparent in administratione Baptismi;

* *Act. 8. 13. & 28.* ** *Pontific. Rom.*

mi; 2do. Quòd Rom. Pontificalis verba ordinarium Baptismi non secus, ac altaris Ministrũ exhibeant; 3tio. Quòd Diaconi sint de hierarchia, utpotè quæ ex Trid. Sess. 23. Can. 6. constet *ex Episcopis, Presbyteris & Ministris*: porrò cùm hierarchia sit sacer principatus, & qui principatum exercent, Sacramenta solemnitèr ministrare valeant, consequens est, id posse Diaconos circa Baptismum; 4to. nihil habiturum Diaconum præ inferioribus Clericis; hi enim ex dispensatione baptisare possunt solemniter, cùm solemnitas illa sit solùm juris humani.

R. ad 1. Diaconos à Patribus cum Presbyteris comparari quò ad Baptisma, in quantum utrique nonnisi independenter ab Episcopo baptisare debent, non autem quasi utrisque ex æquò Baptismi ministerium committi possit.

R. ad 2. Verba Pontificalis sic intelligenda esse, ut Ecclesiæ Romanæ Traditioni congruant: porrò semper in Ecclesia Romana cautum est, nè Diaconi baptisarent, nisi in defectum Sacerdotis, ut patet ex citato Gelasii textu.

R. ad 3. Non eundem iis omnibus ex quibus constat hierarchia inesse potentiæ gradum: unde licèt cuncta ejus membra suo modo principentur, alia tamen aliis inferiora sunt: & ideò minùs possunt, quàm superiora.

R. ad 4. Non leve Diaconos inter & inferiores Clericos esse discrimen: his enim ut baptisarent necessaria foret dispensatio Pontificia, quæ rarissimè, si unquam conceditur; illis verò sola Parochi deputatio sufficit. Unde medii sunt Diaconi inter Clericos inferiores, & simplices Presbyteros: hi enim passim & sinè causa à Parochis committi possunt; Diaconi ob causam, sed à solo Parocho; alii Clerici à solo Papa; & hi tunc precariò solùm agerent, non ex officio.

Ex his colliges 1mo. quòd cùm hodie non desit Sacerdotum copia, peccet Parochus, qui Diacono licentiam indulget baptisandi solemniter extra casum non quidem extremæ, sed veræ cujusdam necessitatis. Censetur autem necessitas, cùm ægrotat Parochus, nec suppetit sacerdos alter, qui committi possit. Item cùm multi sunt qui egent Baptismô, nec sinè incommodo notabili differri possunt: aut cùm Parochus, si ad Ecclesiam remotam baptisatum eat, magna quædam officii sui munia prætermittere tenebitur. In his autem casibus, obtineri debet consensus Episcopi, si ad eum recurri possit.

Colliges 2do. graviter peccare Diaconum, qui extra casum necessitatis, nec ab Episcopo vel Parocho jussus, solemniter Baptismum confert; quia alienum munus usurpat. Qua etiam de causa excommuniori Theologorum sententia, irregularitatem incurrit. Eaque decisio videtur extendenda ad eum etiam, cui

colla-

collatum esset Beneficium Parochiale: quia Episcopus illud conferens, etsi supponi potest dedisse jus concionandi, non tamen nisi positis ponendis, jus baptisandi, quod multò plùs est Sacerdotale. Ut quædam dubia solvantur:

Quæres 1mo. Quis inter Ministros Baptismi servandus sit ordo, in casu necessitatis.

R. Cùm æquum sit, ut ille aliis præferatur, qui minùs distat ab eo, quem Christus ordinarium Baptismi Ministrum constituit, hunc ordinem cæteris paribus, servari debere, ut præeat 1mo. Parochus si adsit, 2do. Sacerdos, 3tio. Diaconus, 4to. Subdiaconus, 5to. Clerici inferiores, 6to. Laïcus, 7mo. Femina, 8vo. Fidelis, aut à censuris liber, infideli vel excommunicato.

Dixi, *cæteris paribus*, quia obstetrix ritum Baptismi benè edocta, anteponenda est, imperito mari, vel infideli; quin & Parocho; propter indecentiam, si infans necdum omninò editus sit. Idem est de Diacono respectu Sacerdotis, si is vel simoniacè pretium exigat pro Baptismo, vel justè præsumatur eum administraturus in statu peccati, &c. Is autem ordo sub gravi obligat & Subdiaconum præsente Diacono, & Diaconum præsente Sacerdote; quia ut Diaconus Sacerdoti, sic & Subdiaconus Diacono, gravem infert injuriam, cùm jus Ordini ipsius, ab ipso Christo magis aut minus principaliter annexum usurpat. Haud tamen, positis ut nunc sunt rebûs, graviter peccaret Sacerdos, qui præsente Episcopo baptisaret aliquem, cujus neuter Pastor foret; quia ut Episcopus, sic & Presbyter habet ex officio, quòd baptisare possit: imò aït S. Carolus *norit Sacerdos sibi licere baptisare etiam præsente suo Episcopo.*

An verò graviter quoque peccet laïcus homo vel obstetrix, si præsentibus Subdiaconis baptiset, controvertitur. Quia tamen hæc agendi ratio graviter subvertit ordinem à natura ipsa constitutum, qui exigit ut longè dignior, cæteris præferatur, dubium hìc mortale admisero, nisi excuset bona fides, instantia casûs, &c.

Quæres 2do. An liceat extra Ecclesiam baptisare, ubi nulla urget necessitas.

R. Vetitum esse à Concilio Viennensi sub Clemente V. *ne quis de cætero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis in quibus sunt ad hoc Fontes specialiter deputati*, ac proinde non in sacellis domesticis, *aliquos, nisi Regum vel Principum - - - - liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam, nequeat ad Ecclesiam accessus haberi, audeat baptisare. Qui autem secùs præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alii attentare similia non præsumant. Clement*

ment. II. de Bapt. Unde qui sinè expressa Episcopi licentia infantem baptisant domi, multis in Diœcesibus subjacent censuris. Quisque Diœcesis suæ Statuta consulat.

Quæres 3tio. An si infans domi tingatur, adhibendæ sint cæremoniæ baptismales.

R. Si Baptismi Minister sit Sacerdos, proprius, aut alienus, Baptismus (nisi periclitetur infantis vita,) cum solitis cæremoniis administrari debet; quia solemnes ii ritus tanti sunt momenti, ut nonnisi in casu impotentiæ prætermitti debeant; neque ut adhibeantur, opus est Ecclesia. An idem in pari casu facere teneatur Diaconus, non una est opinio. Affirmant viri graves; quia cui à jure concessa est facultas baptisandi, ei & datur facultas id faciendi cum ritibus solitis, secundùm id Reg. 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Quia tamen reclamant alii plures, imò & Diaconum hunc, si citra Episcopi vel Parochi licentiam solemniter baptiset, irregularitati subjiciunt, malim ut is sinè solemnitate baptiset.

Quæres 4to. An Parochus propria authoritate, Baptismum infantis differre possit.

R. Affirmat. modò 1mo. nihil subsit periculi; 2do. subsit legitima differendi ratio, puta ut juxta pristinum morem infantes in Paschæ vel Pentecostes pervigilio baptisentur; 3tiò. & nihil in contrarium Diœcesana lege constitutum fuerit; hæc enim si v. g. vetet, nè ultra triduum differatur Baptismus infantis, graviter delinquet Parochus, si eundem etiam intuitu pietatis, ad quatriduum retardet.

Quæres 5to. An parochus cui offertur baptisanda proles ex illegitimo concubitu nata, possit Baptismum negare, nisi mater genitorem revelet.

R. negat. imò seclusa Episcopi jussione peccabit graviter, obligando ad revelationem hanc; tùm quia est id ad infamationem occulti stupratoris adigere; tùm quia grave orietur scandalum, si idem, (ut quandoque evenit) intelligatur esse prolis parens, qui matris frater.

Quæres 6to. An Pater propriam prolem baptisare queat.

R. Posse in casu necessitatis; tuncque non excidit à jure conjugali. Vid. Tom. 2.

Quæres 7mo. An unus possit plures baptisare.

R. Posse validè in quocumque casu; licitè autem *in solo casu necessitatis, sub hac forma, Ego vos baptiso.* Et verò Apostoli vix aliter quàm plures simul baptisando, tot hominum myriades una die tingere potuerunt. *

Dixi, *non autem licitè nisi in casu necessitatis*; alioqui enim violatur in re gravi vetus Ecclesiæ consuetudo per Rituale Roma-

* *S. Tom.*

manum confirmata; quod sinè lethali peccato fieri non potest.

Quæres 8vo. An possit quis se ipsum baptisare.

R. neg. *Sicut* enim, aït Innocentius III. *in carnali generatione - - - - alius est qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur; sic in Sacramentali regeneratione - - - - alius debet esse, qui spiritualiter generet, & alius qui spiritualiter generetur. Cap.* 4. de Bapt.

Quæres 9no. An plures eundem simùl baptisare possint, non dico licitè; cùm id constanti Ecclesiæ praxi repugnet: sed validè.

Nota tripliciter fieri posse ut plures ad unius Baptismum concurrant, 1mo. Si unus, v. g. mutus aquam infundat, alter, v. g. mancus, pronuntiet formam; 2do. Si duo materiam simùl & formam applicent, sed ità ut à se invicem in baptisando dependere velint tanquam causæ partiales, dicendo, *Nos te baptisamus*; 3tio. Si uterque seorsim materiam & formam applicet, quasi ageret solus, & ab alio dependere nolens; ut si Parochi duo qui de odem infante litigant, eundem baptisare properent: tuncque vel ambo formam absolvunt eodem instanti, vel alter altero priùs. Jam

R. 1mo. Nullum esse Baptisma primô modô collatum; quia tunc falsa est forma; cùm is qui se baptisare seù abluere dicit etiam in numero plurali, re ipsa non abluat.

R. 2do. Invalidum fore Baptisma secundô modô collatum, ratio est, quia cùm plures conjunctim abluunt, & dicunt, *Nos te baptisamus*, [sicut si dicerent, *Nos trahimus navim, quam nemo nostrum solus trahere queat*] non apponitur forma legitima, & exprimitur intentio, intentioni Christi ejusqué Ecclesiæ contraria. Forma enim legitima, & intentio Christi ac Ecclesiæ, excludunt pluralitatem Ministrorum, qui partialiter tantùm ad esse Baptismi concurrant; quia sicut unus est Christus, sic voluit Christus & Ecclesia, ut Minister gerens vices Christi, sit unus: atqui hæc forma, *Nos te baptisamus*, & intentio quam ei annexam supponimus, non excludunt, sed includunt pluralitatem Ministrorum, qui partiales causæ esse velint, ergo.

R. 3tio. In tertio casu valere Baptismum, non modò si alter altero priùs formam absolvat, quo in casu nulla est difficultas; sed etiamsi ambo formam simul absólvant: tùm quia stat Sacramentum, ubi stant materia, forma, & intentio Ministri, idquè relativè ad subjectum capax, quod in præsenti casu occurrit: tùm quia nulla est ratio cur factum unius, annullet factum alteriùs. Sicut tamen non dicitur bis communicasse, qui geminam simul hostiam recipit, sed tantùm qui successivè; sic nec bis baptisatus dici debet, qui gemina actione, ad unum

eun-

eundemque effectum terminata simul baptisatus est; quia vocula *bis*, importat actionum & effectuum successionem: is itaque tantùm bis baptisatus diceretur, qui semel validè tinctus, denuò tingeretur validè, quod in Baptismo locum habere nequit. Sunt tamen qui existiment in hoc casu Baptismi effectum ab una duntaxat prodicurum actione, quàm Deus designaret. Unde, aït Grandin, * probabiliùs puto Neomystas, quo die initiantur, non consecrare simul cum Episcopo, licèt cùm eo formam pronuntient: præterquam quod difficile est, ut simùl omninò cum eodem Episcopo formam absolvant.

CAPUT QUINTUM.

De Patrinis.

DE Patrinis, qui à Tertulliano Sponsores; ab Augustino Fidejussores; à Moguntina Synodo Compatres nuncupati sunt, nonnulla inquiruntur scitu utilia.

Quæres itaque 1mo. An Patrini sint necessarii.

R. 1mo. Non esse necessarios necessitate Sacramenti; tùm quia Philippus Eunuchum baptisavit absque Patrino; tùm quia baptisamus privatus, sinè Patrinis administrari licitè potest, de quo statim.

R. 2do. Batismum solemnem licitè administrari non posse absque Patrino, si idoneus haberi possit. Patet id 1mo. ex constanti Ecclesiæ usu, quem repereris cap. 100. 101. 102. dist. 4. *De consecrat.* quemque supponit Tridentinum Sess. 24. cap. 2. de reformat. Matrim. 2do. Quia sicut recèns natus nutrice indiget & Pædagogô, sic & recèns baptisatus indiget aliquô, à quo doceatur, & nutriatur quadantenus, ut in vita spirituali proficiat. Ad id autem assumi oportuit personas à parentibus diversas, ut tutiùs provideretur baptisato. Hæ rationes valent etiam in adultis; neque enim propter corporalem, sed propter spiritualem imbecillitatem constituti sunt Patrini.

R. 3tio. Patrinos in privato Baptismo necessarios non esse, cùm id nulla lege imperatum sit. Imò id prohibent Rituales Libri plures, ut Parisiensis, Argentinensis, &c. Et verò vel morietur infans, qui vulgò propter imminens necis periculum baptisatur privatim; vel vivet. Si 1. ad quid Patrinus? Si 2. non deerit is, cùm in cæremoniarum suppletione possit, & debeat adhiberi. De affinitate à Patrinis contracta dicam, ubi de Matrimonio.

Quæres 2do. Quæ sint Patrinorum officia.

R. Plura esse, & tàm gravia, ut si seriò ponderarentur, neque

* *pag.* 87.

que tot munus iſtud ambirent, nec obvius quiſque prior eligeretur à parentibus. Scilicet debent Patrini 1mo. Eos quos ſuſcipiunt diligere tanquam filios ſpirituales; 2do. Pro iis ſupplices Deum precari; 3tio. Invigilare ſedulò ut chriſtianè inſtituantur à parentibus, eorumquè, ſi vel moriantur, vel huic officio deſint, vices hoc in puncto ſupplere; 4to. Curare ut filioli debito tempore Sacramentô Confirmationis initientur; 5to. Efficere omnî viâ, ut id quod in Baptiſmo ſpoponderunt, plenè exequantur. *Et verò id ratio Pædagogi poſtulat, & materiæ gravitas obligat ſub mortali.* *

Quæres 3tio. An omnes promiſcuè ad officium Patrini à parentibus invitari, aut à Parochis admitti poſſint.

R. negat. Ii enim ſolùm aſſumi poſſunt, qui mox recenſita, eaque graviſſima munia implere valeant. Unde ab hoc munere arcendi ſunt, 1mo. muti, & qui rationis non ſunt participes; 2do. qui baptiſati non ſunt; 3tio. & à fortiori, Infideles, Hæretici, Apoſtatæ, moribûs aut profeſſione infames, ut Comœdi, & ſimiles; uſurarii itèm, concubinarii, ebrioſi, blaſphematores, & qui publica, queis inſiſtunt, odia exercent; excommunicati quoque, ab Eccleſiæ ingreſſu interdicti, aut qui Paſchali officio defuerint, vel annuæ confeſſioni; 4to. qui præcipua Doctrinæ chriſtianæ capita ſaltèm quò ad ſubſtantiam non tenent; aut qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, vel Symbolum, & Dei ac Eccleſiæ præcepta ignorant.

Ut autem Hæreticus à Catholico in Patrinum aſſumi nequit, ſic nec Catholicus in hæreticorum Baptiſmo vices Patrini gerere debet. Neque enim æquum eſt, ut Eccleſiæ filii Pſeudominiſtris, ejusdem Eccleſiæ hoſtibus, proſelytos offerant.

Excluduntur etiam poſitivo jure ab officio Patrini, 1mo. Regulares, ex cap. 103. diſt. 4. *De conſecr.* 2do. Pater & mater baptiſandæ prolis: imò qui hodie propriam prolem levat è fonte ſacro, excidit à jure petendi debiti conjugalis. Alicubi etiam à Patrinatu arcentur Clerici in ſacris, Beneficiarii, maritus & uxor. Quapropter conſulendi ſunt locorum uſus.

Quæres 4to. Quot admitti debeant à Parocho Patrini.

R. *Statuit* Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrim. c. 2. *ut unus tantùm, ſivè vir, ſivè mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptiſatum de Baptiſmo ſuſcipiant.* Huic legi ut ſapienter conſtitutæ, & quæ affinitatum multiplicitatem removeat, ſedulò inhærendum. Unde *ſi plures unô & unâ ſe offerant, nec poſſit Parochus cognoſcere qui ad id muneris ſint electi, liberum eſt ei è pluribus unum & unam eligere, eoſque Patrinos declarare.* **

* *Grand.* p. 92. ** *Sylvius.*

Hìc tria notat Barbosa, * 1mo. Episcopum dispensare non posse ut plures quàm duo infantem suscipiant; cùm super Conciliari dispositione, dispensandi facultatem non habeat; 2do. Parochum plures quàm unum & unam Patrinos admittentem, gravis culpæ redargui à Vega, Bonacina, Hurtado, & aliis, quia grave est antiqua *sacrorum Canonum instituta*, & Generalis Concilii legem in materia minimè levi temerare; 3tio. Si non obstante lege Tridentina permittat Parochus ut tres aut quatuor, pluresvé Patrinorum munera exerceant, ab iis omnibus contrahi affinitatem; ità Navarrus, Sylvius & alii passim.

Quæres 5to. Quæ sint Parochorum in hac materia obligationes.

R. Sex præcipuè numerari: Prima, ut populum doceant in Patrinorum delectu, pietatis potiùs quàm *alterius cujusque commodi, emolumentivé* habendam esse rationem; ità ut ii præ cæteris seligantur, qui *filiorum animæ magìs consulere, quàm qui inopiæ subvenire possunt. S. Carol. Borrom.*

Secunda, ut caveant, nè baptisandis imponantur nomina seù ethnicorum, seù dubiæ sanctitatis hominum: ea itèm quæ gentilitio nomini addita, ridiculum sensum efficiunt. Quin &, cavendum nè nomina Sanctorum veteris Testamenti affectentur, ubi præsertim vigent hæretici, qui quoniam novæ Legis Sanctos dedignantur, ad Abraham, vetèresque Patriarchas recurrunt.

Tertia, diligenter in Baptismali Registro inscribent nomen baptisati, ejusque parentum ac susceptorum: itèm quô annô, annique mense ac die ablutus sit infans, seù in Ecclesia, seù alibi rursumqué an in legitimo & de legitimo Matrimonio prodierit. Si conjecturæ admodùm graves contra pueri *legitimitatem* pugnent, putà quòd pater duobûs ante ortum ejusdem annîs abfuerit è Regione, absentiæ hujus habenda videtur mentio, consulto tamen Præsule, ut si qua deinceps suboriatur lis circa hæreditatem, statuat Magistratus id, quod sibi æquum videbitur.

Quarta, docebit Patrinos, si doceri indigent, *quam cognationem contraxerint* cùm prole, ejusvé parentibus, *nè ignorantiâ ullâ excusari valeant.* ** Erit & operæ pretium monere aliquoties, ab iis qui circa susceptam prolem aut ipsius parentes impudici quidpiam corde vel opere exercent, hanc incestûs circumstantiam in confessione aperiendam esse.

Quinta, & id quandoque admonebit, vitandas esse nimias eas compotationes, quæ baptismata consequi solent. Quantò plùs verò curare debent Parochi, nè profanis hujusmodi festivitatibus intersint.

Sexta

* *Barbosa p. 267.* ** *Trid. Sess. 24. c. 2.*

Sexta, id etiam matribus, nutricibusqué & aliis quibuscumqué graviter inculcandum, nè cùm infantulis in eodem lecto ante completum annum decumbant ob periculum suffocationis, quod secluso etiam effectu, gravem babere noxam videtur, in iis præsertim, qui inquietè dormientes quoquoversùm se movent: unde hoc severè prohibent in Ritualibus suis Episcopi plures, quorum aliqui addiderunt etiam censuræ minas. Neque id temerè sancitum, cùm Lucii III. tempore * quidam crimini huic indicerent *pœnitentiam trium annorum, quorum unum* peragerent homicidæ parentes *in pane & aqua*, ut constat ex cap. 3. *De his qui filios*, &c. Si tamen *talis cubatio omnî culpâ caret, utì contingere potest, si v. g. lectus est latus, & puer implacabilis, qui aliter à frigore defendi non possit, & mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis pœna cessabit*, juxta Barbosam, Pirrhing, & alios communiter in citatum Caput.

CAPUT SEXTUM.

De subjecto Baptismi.

Videndum hìc 1mo. An ipsi etiam infantes baptisari possint; 2do. An & omnes adulti.

ARTICULUS PRIMUS.

De Baptismo infantium.

Dicendum 1mo. de infantibus ut sic; 2do. de certa infantium specie. Circa infantes ut sic, tria quæruntur, 1mo. an baptisari possint validè; 2do. an licitè; 3tio. an in omni casu.

Circa primam quæstionem errârunt præ cæteris Anabaptistæ, qui circa an. 1521. Pædobaptismum totîs viribus impugnârunt. Horum Patriarcha fuit Nicolaus Stork, ejusque deinceps acer Sectator Thomas Muncerus, vir Luthero, cujus Vicarius vocitabatur, moderatior in speciem, sed cui rabie tumebat cor ferum; prout indicat vesana hæc ejus inter concionandum oratio: *Pater, infunde animo meo porrectum desiderium justitiæ tuæ, quod nisi feceris, te tuosqué Apostolos ad unum omnes abnegabo.* ** Idem senserunt Sociniani, qui tamen parvulos baptisant, si id postulet bonum pacis, & quædam scandali vitandi necessitas. Sit

CONCLUSIO I. Infantes validè baptisantur.

Prob. 1mo. Illud dogma incunctanter admittendum est, quod unanimî calculô ad nos transmisêre Patres & Concilia: atqui

* *Circa an.* 1181. ** *Munch. in Lib. 7. dier.*

atqui tale est dogma Pædobaptismi. Prob. minor. 1mo. ex Patribus Græcis S. Dionysius * Lib. de Eccles. hier. c. 7. *Divini nostri duces*, inquit: *probaverunt infantes [qui nondum divina mysteria intelligere possunt] recipi ad Baptismum.* S. Irenæus Lib. 2. adv. Hær. c. 22. *Dominus*, inquit: *omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur, infantes & parvulos, & pueros*, &c. Origenes in c. 6. Ep. ad Rom. *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.*

2do. ex Patribus Latinis. Cyprianus Ep. 59. ad Fidum disertè docet infantibus necdum dies octo natis, dandum esse Baptisma. Hieron. L. 3. contra Pelag. adducto Cypriani textu ex Ep. ad Fidum: *Etiam infantes in remissionem peccatorum baptisandos - - - - credatis*, August. Lib. 10. de Gen. ad Lit. c. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptisandis parvulis - - - - Apostolica est Traditio.*

3tio. ex R. Pontif. S. Leo I. Epist. 86. *A parvulo recens nato*, inquit: *usque ad decrepitum senem - - - - nullus prohibendus est à Baptismate.*

4to. ex Conciliis. Carthaginense, cui præfuit an. 253. Cyprianus & interfuêre Episcopi 66. quæstionem à Fido propositam, an infantes non ante octavum à nativitate diem, juxta *legem circumcisionis antiquæ*, baptisandi forent, sic resolvit: *Universi judicavimus nulli hominum nato, misericordiam Dei esse denegandam.* ** Idem docent Milevit. an. 416. Bracarense III. an. 572. &c. Has porrò particularium Synodorum definitiones confirmarunt Concilia duo œcumenica. Viennense an. 1311. *Credimus*, inquit: Baptisma *esse tam adultis, quàm parvulis communiter perfectum remedium ad salutem*; & Trid. Sess. 7. Can. 13.

Prob. 2do. Ratione Theologica: Qui vult sincerè finem, non potest à mediis ad finem necessariis positivô decretô excludere: atqui Deus omnium, adeoque & infantium salutem sincerè vult: aliunde verò Baptismus est, generaliter loquendo, medium ad salutem hujus ætatis necessarium; ergo fieri non potest ut Deus infantes positivô decretô excludat à Baptismate. Excluderet porrò, si collatum ipsis Baptisma, non illicitum modò, sed & invalidum constituisset.

Obj. 1mo. Non valet Baptisma nisi juxta Christi institutionem collatum: atqui exigit Christi institutio, ut Baptisma nonnisi instructis & jam credentibus detur; Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptisantes eos*, &c. Marci 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit*; ergo. R.

* Hunc ante cæteros adduco, non quia indubiè priorem cæteris, sed quia ætatis dubiæ, prout fecit R. P. à S. Mattha in Gallico de Confessione Tractatu contra Dallæum. ** Cyprian. Ep. 59.

R. ad 1. dist. min. Exigit Christi institutio, ut Baptisma nonnisi instructis & credentibus conferatur, exigit, inquam, ad hoc, ut validè conferatur, neg. min. Ad hoc, t conferatur licitè, subd. Ut conferatur adultis, qui doctrinæ, fidei & pœnitentiæ capaces sunt, C. Ut conferatur quibuscumqué, N. Exigit Christus, & exigimus omnes, ut nemini adulto conferatur Baptisma, nisi post apertam fidei professionem, & mores in meliùs compositos; sed nunquam probabunt adversarii Christum exegisse hanc fidei, morumque conversionem, ut Baptisma vel validè conferatur adultis vel licitè infantibus: cùm nec hactenùs ullum, qui infantes tangat, Scripturæ textum adducere potuerunt; nec ipsi, quod sciam adultos in hæresi baptisatos rebaptisent.

Inst. Quisquis regeneratur, congruas ad gratiam regenerantem dispositiones afferre debet: atqui has dispositiones non habent parvuli.

R. dist. Afferre debet dispositiones, si possit, C. Secùs, N. Certè qui ad ruinam sinè proprio voluntatis motu habiles fuêre, ad reparationem sine ejusdem voluntatis motu, habiles esse possunt.

Obj. 2do. Nemo nisi volens legibûs gravissimis obstringi potest: atqui infantes Baptismum recipiendo, gravissimis obstringerentur legibûs, & quidem non volentes; ergo.

Confirm. In Baptismo initur Deum inter & hominem contractus onerosus: atqui ad valorem hujusce contractûs, requiritur spontanea utriusque partis consensio.

R. ad 1. dist. min. Parvuli gravissimis obstringerentur legibûs, sed quæ inevitabiles sint homini suam salutem volenti, C. Secùs, N.

Ad 2. dist. maj. In Baptismo initur contractus Deum inter & hominem, quatenus Deus aliquid homini spondet, & homo Deo, C. Quatenus potest inculpatè homo id quod Deus exigit rejicere pro nutu, N. Sic enim Deus pactum suum ordinat, ut quoties præcipit, toties homo velit, nolit, obtemperare teneatur.

CONCLUSIO II. Non tantùm licet, sed & expedit parvulos ante rationis usum baptisare.

Prob. 1mo. Ex antiqua Ecclesiæ praxi, quam suprà ut Apostolicam & universalem exhibuêre Patres & Concilia; & contra quam, licèt id ex eorum re maximè foret, nusquam insurgere ausi sunt Pelagiani.

Prob. 2do. Quia Pædobaptismi praxis, & plerumqué necessaria est infantibus; cùm inopinis casibus rapiantur quotidie eorum plurimi, quibus, nisi res jam acta foret, nulla diligentiâ posset succurri; & iisdem maximè prodest, cùm etiam necessaria non est. Tùm quia minùs à dæmone infestantur, qui

jàm dæmonis membra non sunt; tùm quia juvante, quam crescendo ubetiorem recipiunt, gratiâ, pietati firmiùs inhærent; tùm quia si adulta ætas ad Baptismum expectaretur, multi perversæ indolis, vel Baptismum recusarent omninò, vel susceptionem ejus in senium differrent: quin & plerumquè non baptisati morerentur.

Obj. Ea circa Baptismum sequenda est praxis, quam suo nos exemplô docuêre Christus, & Sancti: atqui Baptismatis differendi praxim docuêre nos, 1mo. Christus ipse, qui nonnisi circa 30. ætatis annum tinctus est; 2do. Viri Sanctissimi. Sic Gregorius Nazianz. etsi piissimi Episcopi filius, non ante baptisatus est, quàm ex ephebis exiisset. Idem est de SS. Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, &c. Et verò Pædobaptismum improbarunt Tertullianus, & Gregorius Nazianz.

R. ad 1. neg. maj. ad sensum objectionis: Multa enim fecêre Christus & Sancti, quæ necessariò ad imitationem ducenda non sunt. Sic Salvator Apostolos post Cœnam corpore suo refecit, quam praxim, licèt ab Apostolis quandòque servatam, nemo hodie servare ausit.

Ad 2. Probat tantùm diversa Sanctorum praxis, non omnes idem circa hoc disciplinæ punctum sensisse: quod mirum non est; cùm quotidie id quod uni factu optimum videtur, alteri displiceat. Cæterum *Ambrosius factus Episcopus, se Baptismum distulisse, doluit, & ab aliis nè in posterum fieret, vehementer admonuit.* * Idque adeò improbabat Ecclesia, ut eos ab altaris ministerio excluderet, qui Baptismi receptionem diutiùs differrent.

Quod ad Tertullianum spectat, credidit is quidem meliùs esse & utiliùs, ut infantibus atquè etiam innuptis differatur Baptisma. Verùm hanc ejus praxim rejecit Ecclesia, ut patet ex Cypriani ad Fidum Epistola. Neque id inconsultò factum; quoti enim periissent Infantes? quoti deficiente Baptismi, & proinde Confirmationis gratiâ, turpiter lapsi essent? longè alia fuit mens Gregor. Nazianz. tametsi enim credidit expectandum, seclusô mortis periculô, triennium, ut baptisentur infantes, quia sic fieret, ut *quiddam audire, & respondere* possint: [quo etiam in puncto à cæteris Patribus desertus est] nihilominùs docuit simùl, infantes *propter inopinatos & subitos ac repentinos periculorum impetus, lavacrô communiri* debere, *antequàm ratio accreverit, & vim hujus Sacramenti* satis *intelligant.*

Jàm expendendum an infantes omnes baptisari possint. Horum porrò alii adhuc materno in sinu delitescunt, alii jam foras prodiêre. Ex his quidam monstri speciem habent; cæteri nihil præferunt ab effigie humana alienum; & hi rursùs, vel à

* *Baron. an.* 377.

Chri-

Christianis oriundi sunt, vel ab infidelibus. Ex his autem alii baptisati sunt, ut Hæretici & Apostatæ: alii, qui strictiùs infideles vocantur, nusquam baptisati sunt, ut Judæi: & hi vel nullatenùs subditi sunt Principibus Christianis, vel iisdem subditi sunt, seù civiliter tantùm, ut communes Regum subjecti, seù serviliter, ut mancipia. Jam

Dico 1mo. Parvuli in sinu materno penitùs absconditi, non sunt capaces Baptismatis.

Prob. Quia ad validitatem Baptismi, necesse est, ut quis physicè aqua ablui possit: atqui aquâ physicè ablui nequit, qui secundùm se totum latet in utero matris.

Nec nocent Joannis Bapt. & Jeremiæ exempla; quia quæ extra solitum providentiæ ordinem sunt, in exemplum trahi non debent.

Obj. 1mo. Tàm licet matrem pro puero baptisare, cùm is ablui aliter non potest, quàm vivum pro mortuo: atqui hoc postremum licet, secundùm id I. Corint. 15. *Alioquin quid facient, qui baptisantur pro mortuis*, &c.

R. ad 1. neg. min. ad textum Apostoli, quô nullus fortè obscurior est in Scriptura. Dico hìc per Baptismi nomen intelligi ærumnas & cruciatus, per *mortuos* verò, infideles, eosvè qui gratiæ per peccatum mortui sunt. Unde is est Apostoli sensus. Si mortui non resurgunt, ut quid Evangelii præcones, ut spiritualiter mortuos ad gratiæ vitam revocent, se se tot conviciis & cruciatibus objectant, &c. Habet quidem expositio hæc duplicem metaphoram, sed quarum neutra sit sinè exemplo. Sic Christus ut suam & Apostolorum passionem exprimat, *Potestis*, inquit Marci 10. *baptismô, quô ego baptisor, baptisari*: ut verò peccatores designet: *Dimitte*, aït Matth. 8. *mortuos, sepelire mortuos suos.*

Obj. 2do. Deus vult omnes homines adeòque & infantes nondum natos, salvos fieri; ergo & iis de remedio ad salutem necessario providit.

R. dist. ant. Deus vult voluntate antecedente, & cujus effectui obsistere possunt circumstantiæ loci & temporis -- C. Vult voluntate absoluta, N. Sed de his fusiùs alibi.

Quæres an matrem statim morituram aperire liceat? ut infanti per Baptismum succurratur.

R. Matrem nunquam aperiri posse cum certo vitæ periculo, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*,* ubi verò gravida mulier extincta est, aperiri debet, ut extracta proles baptisetur, nisi hanc jam mortuam esse constet.

Dico 2do. Monstra, quæ sunt mulierum partus baptisari aliquando debent, aliquando non.

* *Rom.* 3.

Prob. Quia ex hujusmodi monstris quædam humanam speciem certò excludunt, quædam certò habent, quædam ambiguè. Porrò prima baptisari non debent: debent secunda; tertia indigent examine. De his autem judicium præsertim sumendum est ex capite, quod rationis & sensuum sedes æstimatur. Si caput humanum est; vel humano propiùs, baptisari illud oportet, licèt membra sint ferina: si autem ferinum sit caput, cæteri verò artus humani; tunc, si quidem ex viri & feminæ congressu prodierit, baptisandum est conditionatè, propter dubium an sit homo. Sin verò prodierit ex femina & bruto, non poterit baptisari, quia non descendat ex Adam, utpotè non conceptum ex semine virili.

Sed quid de monstris, quæ ex homine & fera prodierint?

R. Si ad Episcopum recurri non possit, quia res urget, conferendum erit sub conditione Baptisma iis, quæ in præcipua sui parte humanam speciem præferunt: quia satiùs est decem Baptismi incapaces, baptisare conditionaliter, quàm capacem unum excludere: porrò etsi *vel omninò, vel ferè inauditum sit, quòd* ex tali congressu *natus sit homo,** non est id tamen prorsus impossibile.

Si monstrum, undecumque natum sit, postquam creverit, extraordinariè repugnet Baptismo, dispiciendum erit an repugnantia hæc, à libero voluntatis usu procedat, an non à dæmone. Si 1. negandum erit Baptisma, quod nolenti dari non potest. Si 2. non negabitur, cùm obstare non debeat malitia dæmonis, nè cuipiam de remedio ad salutem necessario provideatur.

Si gemelli sibi invicem sint adnati, seorsum uterque est baptisandus absolutè; quia non unus, sed duo homines fuerint. Si monstrum capita gerat duo, duo & pectora, dupluci donandum erit baptismô, sed id absolutè, licèt membra cætera simplicia sint. Si autem duo quidem capita, sed unum habeat pectus, in uno capite, semel baptisandum erit absolutè, in altero rursum sub conditione, *Si non es baptisatus*, &c. Ratio est, quia in primo casu, ubi præcipuæ geminantur corporis partes, duplicem agnoscunt animam saniores Theologi; in secundo autem casu hærent, & suspensi sunt. Unde in primo casu, si periculum urgeat, dicendum erit simpliciter, *Ego vos baptiso*; in secundo addendum erit, *in quantum capaces estis*, aut aliud simile.

Quæres an baptisandi sint amentes & furiosi.

R. Amentium alii *sunt à nativitate tales, nulla habentes dilucida intervalla*; *& de talibus, quantùm ad Baptismi susceptionem, videtur idem esse judicium, ac de pueris qui bapti-*

* *Gobat. 278.*

santur

santur in fide Ecclesiæ - - - - Alii verò sunt amentes, qui ex sana mente quam habuerunt priùs, in amentiam inciderunt; & tales sunt judicandi secundùm voluntatem, quam habuerunt, dùm sanæ mentis existerent: & ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis adhiberi in furia & amentia constitutis, etiamsi actu contradicant; alioqui si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dùm sanæ mentis essent, non sunt baptisandi. Quidam verò sunt, qui, etsi à nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla - - - - unde si tunc baptisari voluerint, baptisari possunt, etiam in amentia constituti, & debet eis tùm Sacramentum conferri, si periculum timeatur alioqui meliùs est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis ad hoc, quòd devotiùs suscipiant, Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptisari non debent in amentia constituti. Quidam verò sunt, qui etsi non omninò sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quòd possunt de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem: & de talibus idem est judicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptisantur volentes, non autem inviti. S. Thomas q. 68. art. 12.

Si tamen, aït hìc Sylvius, amentes & furiosi, quo tempore lucida habentes intervalla, Baptismi desiderium exhibuêre *retinebant voluntatem perseverandi in concubinatu, vel alio peccato mortali*, jàm nè in periculo quidem baptisari deberent: *sic enim essent indigni Baptismô.*

Circa tertiam difficultatem quæ filios infidelium spectat, supponendum 1mo. filios infidelium, qui fidem olim susceperant, sed ab ea defecerunt, posse invitìs etiam parentibûs, baptisari; quia potest Ecclesia parentes ipsos, si pertinaces sint, traducere brachio sæculari, proinque & ipsis auferre potestatem, quam in filios habent.

Supponendum 2do. infidelium filios, si rationis usum habent, & Baptismum spontè petant, posse etiam, non obstante parentum renixu ablui; quia in iis, quæ ad æternam salutem pertinent, sui sunt arbitrii. In dubio an puer qui Baptismum expetit, rationis usum habeat, judicandum in favorem Baptismi, si septennium compleverit; imò etiamsi non compleverit, si periculum sit nè deinceps, deficientibûs Ministrìs baptisari non possit.

Supponend. 3tio. puerum, si parentum alteruter consentiat, reluctante alio, baptisandum esse; 1mo. quia talis consensus vergit in utilitatem pueri & favorem Religionis: porrò *summa est ratio, quæ pro Religione facit*;* 2do. quia sic sanxerunt Synodus

*ff. L. 11. tit. 7.

Tolerana IV. Can. 62. & Gregorius IX. cap. 2. *De convers. infidel.* Quin & dicitur Gregorium XIII. statuisse, ut puer, quem baptisari volebat avus paternus, baptisaretur invita matre Judæa; quia mortuo patre in avum recidit nepotum cura.* Id tamen limitandum, si puero jàm utcumque grandi certùm immineat periculum seductionis à parente infideli, à quo separari non possit: hoc autem periculum semper graviùs est in regionibus quæ reguntur à Principe infideli.

Supponend. 4to. Infantes qui jure vel injuria à parentibus infidelibus avulsi, tàm procul ab iis distant, ut jam eorum curæ subjacere non possint, posse etiam baptisari; quia paterna jura, quæ jàm à parentibus exerceri non valent, ad eos transiêre, qui puerorum curam gerunt; ergo & eîs uti possunt in bonum pueri & executionem Divinæ legis.

Supponend. 5to. Infantes de quorum vita moraliter desperatur, baptisari posse sinè consensu, modò tamen sinè contumelia parentum; tùm quia hæc agendi ratio sic consulit infantium saluti, ut parentes verè non offendat; tùm quia cùm Sacramenta in gratiam hominum instituta sint, longè satiùs est Sacramentum tenui irreverentiæ periculo exponi, quàm hominem certo damnationis periculo.

Quin & juxta Theologos non ignobiles probabiliter licitum est Sacerdoti quoscumque infidelium infantes, insciis omninò parentibûs baptisare: 1mo. quia tunc nullum subest periculum profanationis *formalis* Sacramenti; 2do. quia periculum subversionis, cujus timor hic moram injicere posset, utcumque compensatur probabili spe mortis ante subversionem; cùm ex computatione facta Hispali, quæ populosa est Hispaniæ civitas, deprehensum sit tot fermè mori infantes ante rationis usum, quot intereant eôdem obtentô; & Londini compertum sit per schedas, quas mortalitatis vocant, ex infantibus 100. non superesse post annos sex, nisi 64. & post 16. annos, solùm quadraginta; 3tio. quia si conferuntur Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ægris probabiliter, imò & longè probabiliùs relapsuris; quidni & detur Baptisma, quod deinceps dari non poterit, infanti fortè hinc salvando, si moriatur; fortè etiam, si vivat, potentiori quâ juvabitur gratiâ, benè usuro, Ità Henric. à S. Ignat.

Mihi quidem in his casibus constituto, tria hæc, quantùm nunc affectus sum, facienda ducerem: 1mo. Recurrerem ad Sedem Apost. aut viciniores locorum Prælatos, & præcarer, út in itinere lubrico docerent me viam rectam & bonam; 2do. Si deesset id auxilii, Spiritum sanctum interrogarem supplex, ejusque nutibus obsequerer; 3tio. Cùm iis, qui in hac mate-

* *Sylvius.*

ria

ria diversa sentirent, viverem pacificus: quia constet utrosque solam Dei gloriam inquirere, quam alii in probabili puerorum plurium salute intuentur, alii in agendi ratione prorsùs opposita. Interim nunc in prædicti Henrici opinionem propendeo.

Supponend. 6to. Cùm plerisque contra paucos, infantes infidelium, qui Christianis Principibus serviliter subjecti sunt, debere invitis etiam parentibûs baptisari. Debent enim si possunt: possunt autem, quia cùm partus sequatur ventrem, parvuli nascuntur mancipia, sicut parentes, sicqué cùm possit dominus illos vendere, à parentibus separare, ac aliis tradere educandos in fide catholica, potest consequenter eos ad Baptismum offerre, sine injuria parentum, & periculo nè profanetur Baptismus. Et verò qui succedit in locum patris, debet, si citra grave incommodum possit, parvulis ministrare necessaria præcipuè ad vitam spiritualem, cujus janua est Baptismus: atqui Princeps in hypothesi nostra succedit in locum patris.

Jàm ergo inquirendum, an filii infidelium, qui nonnisi civiliter Christianis Principibus subjacent, possint invitîs parentibûs baptisari: qua de re

Dico: Possunt Christiani Principes præcipere, ut infidelium, sibi politicè duntaxat subjectorum, filii invitîs etiam parentibûs baptisentur.

Prob. 1mo. Si Principes iis de quibus agitur, Baptismum procurare non possent, utique quia isthæc eorum agendi ratio inveheret vel contemptum patriæ potestatis, adeòque & juris naturalis transgressionem, vel irreverentiam Sacramenti: atqui neutrum timeri debet in præsenti casu. Non 1. 1mo. Quia non magìs Princeps injuriam facit patri, cùm eidem filium suum aufert ad avertendam ab ipso mortem animæ, quàm cùm eidem aufert filium, ad avertendam ab ipsó mortem corporis; 2do. Quia ad injuriam propriè dictam requiritur offensio facta homini rationabiliter invito; unde non læderet jus patris, qui filiam ei suam, quâ abuti vult, subtraheret: atqui pater non est, licèt esse credat, rationabiliter invitus circa Baptismum filii; 3tio. Quia reipsa pater nullum habet supremum jus impediendi nè proles sua Baptismate donetur. Si quod enim habet jus, profectò naturale, ut adversarii volunt: atqui hoc non. Jus enim à natura datum, juri Divino contrarium esse non potest; porrò extat hic jus Divinum præcipiens generatim, ut renascantur quicumque nati sunt. Negant quidem adversarii jus illud urgere in præsenti casu: verùm id quid est, nisi quæstionem ipsam afferre in solutionem?

Prob. 2do. Princeps, utpotè *Dei Minister*, curare debet ut serventur Dei tanquam primi Superioris mandata, præsertim

* *Rom. 3*

gra-

graviora: atqui unum è præcipuis Dei mandatis est, ut baptisentur omnes

Prob. 3tio. Potest & debet Princeps Regni sui pacem, quâcumque poterit viâ, modò non adversâ Divino juri promovere: atqui nulla tutior est promovendæ Regni tranquillitatis via quàm Religonis unitas; aliùnde verò hæc via saltèm ubi de infantibus agitur, nihil habet juri Divino adversum.

Obj. 1mo. In systemate nostro ferè necessum est, ut filii à parentibus divellantur: atqui non potest id fieri citra gravem paternæ potestatis injuriam. Non enim magìs possunt filii eripi parentibus, quàm cætera eorum bona

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Non possunt auferri parentibus bona temporalia, quandiu iisdem benè, & sinè præjudicio tertii utuntur, C. Secùs, N. Porrò parentes qui filios suos privant Bapismô, utuntur jure suo in grave præjudicium tertii, nempè eorumdem filiorum, quos ab æternæ vitæ aditu, sacrilegè excludunt.

Obj. 2do. Nemo potest baptisari invitus: atqui filii infidelium censentur inviti, cùm inviti sunt parentes; quia voluntas patris, censetur voluntas filii, quandiù is caret usu rationis? ergo.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Etsi enim voluntas patris ex legum dispositione censetur filii voluntas in quibusdam temporaneis, non tamen in iis,quæ animæ salutem impedirent.

Obj. 3tio. Prohibitum est à Conciliis & Patribus,nè infidelium filii baptisentur invitis parentibûs.Prob. ant. 1mo. ex Conc. Tolet. IV. an. 633. ubi sic Can. 57. *De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre*; 2do. ex S. Greg. Mag. Epist. 12. Lib. 13. *Qui sincera intentione extraneos à Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt adducere,blandimentis non asperitatibus debent studere*, &c. Et verò hinc maximè contra Mahumetanam impietatem elucet lex Christi, quod illa vî armorum propagata est, hæc ab inermi paucorum grege suaviter diffusa.

R. neg. ant. Nullus est enim ex allatis textibus, qui infidelium infantes contra parentum voluntatem baptisari vetet; etsi fortè aliqui sunt qui parentes ipsos renitentes baptisari prohibeant. Alia sanè est filiorum conditio ac parentum; hi si Baptismum ex pertinacia dedignati, æternum pereant, suam sibi solis perniciem imputabunt; illi si ex iniqua in parentes homicidas miseratione perirent, perniciem suam viderentur imputare posse Principibus, qui potestate sibi à Deo in ipsorum salutem commissa usi non essent.

Nequé ideò par erit Christianam Religionem propagandi ratio,

tio, quæ Mahumetanam. Hæc nimirùm subditos & non subditos æquè invasit; omnia jàm ab initio ferrô, flammîsqué vastavit: neminem verè persuadendo convertit, &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Baptismo Adultorum.

TRia hic inquiri possunt, 1mo. an adulti omnes, cujuscumqué sint nationis, sexûs vel ætatis, baptisari queant; 2do. quid necessum sit, ut validè; 3tio. quid, ut cum fructu baptisentur. Sit

Conclusio I. Adulti omnes prorsùs possunt, si velint, baptisari.

Prob. 1mo. Quia generatim & indistinctè id præcepit Christus, cùm dicit: *Docete omnes gentes, baptisantes eos*, &c. unde Apostoli non Judæos solùm, sed & Gentiles, quoties ii conversi sunt baptisavère, ut patet ex Act. 10. v. 47. & Galat. 3.

Prob. 2do. Si quibus negari posset Baptisma, iis præsertim qui vel solo periculi metu illud exposcerent, vel adhuc in catechumenatu positi, illud præ gravitate morbi, exposcere non possent; vel demum actu sub dæmonis potestate constituti forent, ut energumeni: atqui non 1mo. iis qui ex solo mortis metu baptisari vellent, ut patet ex Epist. 1. Siricii, ubi sic cap. 2. *Quicumque etiam in discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderit, eôdem, quô possunt momentô temporis, expetitæ regenerationis præmia consequantur.* non 2do. iis qui necdum emenso catechumenatûs stadio, præ morbi impetu Baptismum expetere non possent. De his enim sic præcipit Conc. Carthag. III. *Ægrotantes, si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, periculô propriô dixerint, baptisentur.* non 3tio. energumenis, juxta id Conc. I. Arausicani Can. 37. *Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptisari placet.*

Corollarium. Ergo subjectum Baptismi est omnis homo viator, modò natus & non baptisatus, sivè infans, sivè adultus, sivè ex parente fideli, vel infideli, sivè amens, sivè mentis compos. Ratio est, quia ii omnes sunt actu capaces Regni Cœlorum: atqui non sunt ejus capaces, secluso Martyrii casu, nisi mediante Baptismo.

Neque ab hac lege excludi debuit B. Virgo; cùm debuerit inscribi familiæ Christi, & ejus Ecclesiæ membrum constitui, quod sinè Baptismo fieri non potest. Neque verò falsa fuit in B. Virgine forma Baptismi: quia sicut in Pœnitentia vox

Ab-

Absolvo, non semper significat, Ego confero tibi gratiam delentem peccatum, sed deletivam peccati, si reperiatur, sic & in casu nostro.

Conclusio II. In adultis, ut Baptisma validè recipiant, requiritur & sufficit intentio illud recipiendi.

Prob. 1. pars ex cap. 3. *De Bapt.* ubi sic: *Qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Sed de his vide suprá. *

Prob. 2. pars, si quid præter intentionem requireretur ad validitatem Baptismi, maximè fides & probitas: atqui neutra requiritur; cùm Ecclesia Baptismum sivè ab hæreticis, sivè ab iis qui sincerè conversi non erant, receptum nunquam iteraverit.

Conclusio III. In adulto, ut cæteros præter characterem effectus Baptismi recipiat, requiritur fides, dolor de peccatis actualibus, spes veniæ, inchoatus Dei amor, & propositum servandi legem Christianam; non autem confessio, vel satisfactio.

Prob. 1. pars, de fide ex Marci 16. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Et verò præcipuus Baptismi effectus est justificatio; ad hunc autem prærequiritur fides; cùm *sinè fide impossibile* sit *placere Deo*, ex Apostolo Hebr. 11.

Prob. 2. pars, de dolore, 1mo. ex Act. 2. ubi S. Petrus: *Pænitentiam*, inquit: *agite, & baptisetur unusquisque vestrum*; 2do. quia ex lege ordinaria Dei, nullus, *qui jam suæ voluntatis factus est arbiter, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam inchoare potest. Dist. 4. cap. 96.*

Dixi, *de peccatis actualibus*; neque enim opus est pœnitentiâ pro peccato originali; quia sicut absque propria voluntate contractum est, sic & propria retractatione expiari non postulat. Etsi verò culpæ veniales, quibus etiamnum adhæret cor, gratiæ sacramentalis receptionem non impediunt; constat tamen eas aliquem Baptismi effectum impedire; unde curare debent adulti baptisandi, ut quidquid usquam peccârunt, id seriò detestentur.

Prob. 3. pars, de spe veniæ; quia peccator ad Deum recurrere debet ut æger ad medicum; ergo in spem erigi debet; & id exigebat Christus ab iis, quos spiritualiter sanaturus erat: sic Marci 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Prob. 4. pars, de dilectione Dei, tùm quia ex I. Cor. 16. *Si quis non amat D. N. J. C. anathema* esse debet: nedum reconciliationem per Baptismum sibi polliceri; tùm quia ex Aug. *pœnitentiam certam non facit nisi amor Dei, & odium peccati*; porrò ex dictis Baptismus adulto peccatori conferendus Pœnitentiam prærequirit. Sed de his ubi de Pœnitentia.

Prob. 5. pars, Nemo enim Dei amicitiam verè & sincerè desi-

* *pag. 79.*

deſiderat, niſi qui ſincerè vult omnia ad eam ſervandam neceſſaria præſtare; ac proinde Chriſtianam legem profiteri ſimùl & exequi.

Prob. 6. pars, quia Baptiſmus nec compatitur abſolutionem juridicam: cùm hæc iis ſolùm dari poſſit, qui jam ſunt Eccleſiæ membra; nec ullam poſt ſe relinquit pœnam temporalem quæ luenda ſit, ut infrà dicemus.

Ex his colliges ſedulò cavendum Miſſionariis qui apud Infideles laborant, nè prout à nonnullis factitatum conqueſti ſunt Illuſt. Epiſcopi, Heliopolitanus, & Berytenſis, *obvios quoſque vix explorata illorum voluntate, & una aut altera inſtructione contenti, ſacro Baptiſmi fonte abluant. Quam obrem*, aiunt iidem Præſules, *etſi hodiè Sacerdotibus committatur judicium de Catechumenorum eruditione, aliiſque neceſſariis conditionibus, adeòque & de tempore Catechiſmi ferendum, ut iis ſanctum Baptiſma conferatur; rectiùs tamen & ſecuriùs nobis viſum eſt cum Patribus & Conciliis, Catechiſmi tempus non breviori, quàm quadraginta dierum ſpatio vulgò definire, nec alios ad Baptiſmum admittendos eſſe, niſi qui ante quadraginta dies, nomen dederint*, &c.

CAPUT SEPTIMUM.

De proprietatibus Baptiſmi.

Proprietates illæ ſunt, neceſſitas & unitas.

ARTICULUS PRIMUS.

De neceſſitate Baptiſmi.

NOt: poteſt quid ad finem eſſe neceſſarium, vel *neceſſitate medii*, cum ſine eo etiam inculpatè omiſſo finis obtineri non poteſt, vel *neceſſitate præcepti*, cum ſinè eo inculpatè omiſſo finis obtineri poteſt, aliàs non. Unde 1mo. omiſſio neceſſarii neceſſitate medii, poteſt eſſe ſinè peccato, ſecùs de omiſſione neceſſarii neceſſitate præcepti; 2do. et conſequenter, neceſſarium neceſſitate præcepti, ſemper eſt in poteſtate noſtra ſaltèm remotè; ſecùs de neceſſario neceſſitate medii; 3tio. neceſſarium neceſſitate medii, neceſſarium eſt & neceſſitate præcepti reſpectu adultorum, penes quos eſt mediô illô uti; non è converſo.

Neceſſarium neceſſitate medii, aliud eſt ſtrictè & pro omni caſu, quod ità in re ſeù in individuo adhiberi debet, ut nihil ſit quod ejus vices ſuppleat; ſic neceſſaria eſt ad ſalutem gratia regeneras undecumque proveniat. Aliud eſt neceſſarium ſed

non

non pro omni casu, cujus nempè aliquid aliud vicem supplere potest. Id porrò quod vicem rei supplere potest, vel est votum ipsius, vel aliquid à voto distinctum. Jam quæritur: an aliquo ex iis sensibus necessarium sit Baptisma seù infantibus, seù adultis. Negarunt Pelagiani, Zuingliani, ac potissimùm Sociniani. Quin & Cajetanus existimavit fidelium infantes, quibus per Baptismum subveniri non possit, ex ordinaria lege Dei, per parentum preces & vota salvari posse; si quod præsertim exteriùs adhibeatur signum, quô voti hujus applicatio fiat. Opinionem hanc, uti parum fidei consonam, ex altera Commentariorum Cajetani editione, expungi jussit Pius V. Sit

Conclusio I. Baptismus nec parvulis, nec adultis necessarius est necessitate medii pro omni casu.

Prob. Illud sinè quo infantes & adulti salvari possunt in aliquo casu, non est necessarium pro omni casu; atqui infantes & adulti, sine Baptismo salvari possunt in casu martyrii; adulti verò insuper cum voto Baptismi; prout constabit ex dicendis.

Conclusio II. Baptismus in re, parvulis omnibus necessarius est extra casum martyrii. Est de fide.

Prob. 1mo. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde sic: Ut citata verba demonstrent Baptismum parvulis necessarium esse necessitate medii, tria sufficiunt, 1mo. ut eadem verba de vero aquæ Baptismo intelligenda sint; 2do. ut ad parvulos etiam extendi debeant; 3tio. ut in iis vera medii necessitas exprimatur: atqui - - - 1mo. verba hæc de vero aquæ Baptismo intelligenda sunt; tùm quia quòd sic intelligantur, nihil habet absurdi; tùm quia adeò primævam apud Ecclesiam vigebat literalis eorumdem verborum expositio, ut Pelagiani, quorum supra modum intererat ea, ad metaphoricos sensus detorquere, nusquam id tentare ausi sint. 2do. eadem verba ad ipsos etiam parvulos extendi debent. Quod enim indistinctè dictum est, indistinctè, nisi quid obsit, intelligi debet: atqui - - - Undè S. Ambrosius Lib. 2. de Abraham, c. 12. *Utique,* inquit: *nullum excipit* Christus, *non infantem non aliqua præventum necessitate.* 3tio. demùm eadem verba nonnisi veram medii necessitatem in infantibus indicare possunt; non enim indicant necessitatem præcepti vel voti, cùm parvuli sint utriusque incapaces.

Prob. 2do. ex Patribus, quorum instar sit Aug. Lib. 3. de anima, &c. c. 9. *Noli,* inquit: *credere, noli dicere, noli docere, infantes antequàm baptisentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Hinc Synodus Milevitana, cui an. 416. interfuit S. Doctor:

Qui-

Quicumque, inquit: Can. 2. *parvulos recentes ab uteris matrum baptisandos negat, aut dicit eos - - - - nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit.* Hinc & Trid. Seſſ. 5. Can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptiſandos negat, etiamſi fuerint à baptiſatis parentibus orti - - - anathema ſit.*

Prob. 3tio. rationibus Theologicis. I. Qui naſcuntur filii iræ, ii, niſi per medium à Chriſto conſtitutum juſtitiam aſſequantur, ſalvari non poſſunt: atqui, ut alibi probavimus, infantes omnes propter Adami peccatum naſcuntur filii iræ; ergo, &c.

II. Nullum conſtantis & ubique receptæ fidei certius eſt argumentum, quàm opinionis contrariæ, ubi primùm hæc caput extollit publica & repetita proſcriptio: atqui ſtatim proſcripti ſunt, qui baptiſmatis neceſſitatem variis temporibûs impugnavêre, ut ſecundô ſæculô Caïani, tertiô Manichæi, quartô Aſcodrutæ & Seleuciani, quintô Pelagiani, &c.

Obj. 1mo. Non magis verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit,* probant Baptiſma infantibus neceſſarium eſſe, quàm iſtud Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis - - - non habebitis vitam in vobis,* probet iiſdem neceſſariam eſſe Euchariſtiam; atqui, &c.

R. neg. maj. 1mo. Quia verba hæc: *Niſi quis renatus fuerit,* &c. utpotè indefinita ad omnes prorſus extendi poſtulant: hæc verò, *Niſi manducaveritis,* &c. utpotè in ſecunda perſona, ac proinde reſtricta, ad eos ſolùm diriguntur, qui eorumdem intelligendorum capaces ſint, quales ſoli ſunt adulti; 2do. Quia verba, *Niſi quis renatus fuerit,* in eos omnes cadunt, qui per peccatum mortui, ex aqua & Spiritu renaſci indigent, atque adeò tàm in infantes, quàm in adultos, contra verò voces, *Niſi manducaveritis,* &c. ad eos ſolùm ſtrictè pertinent, qui jàm viventes gratiæ, nutritione indigent ſpirituali, ut gratiam ſervent; quod adultorum eſt.

Obj. 2do. ex Apoſt. Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia:* atqui ſi Baptiſmus parvulis neceſſarius ſit, non ſuperabundavit gratia, &c. Tunc enim non ſuperabundat gratia delictô, cùm delictum certiùs ac faciliùs nocet, quàm proſit gratia; atqui poſita Baptiſmi neceſſitate, delictum - - - Quod enim nocet omnibus, & nocet ſine medio, certiùs & faciliùs nocet, quàm proſit id, quod non prodeſt, niſi dependenter à medio plerumque impoſſibili: atqui, &c.

R. ad 1. diſt. maj. Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, quatenus gratia Chriſti & à pluribus liberat malis, & plura inducit bona, quàm mala invexerit peccatum Adæ; C. qua-

Quatenus eadem gratia pluribus efficaciter communicatur, N. Apostolus gratiæ præ delicto superabundantiam non hinc commendat, quòd gratia pluribus efficaciter communicetur, quàm delictum; cùm ipse paulò post probet Deum misereri, cujus vult, sed 1mo. quòd Adam unicum ad posteros peccatum transmiserit, (quo etiam, saltèm juxta plures, minimè transmisso, filii Adæ venialiter atque etiam lethaliter peccare potuissent) Christus verò & ab eodem peccato, & à cæteris omnibus nos per gratiam suam liberat; 2do. quòd gratia Christi plura inducat bona, quàm Adæ, peccatum invexerit mala; cùm peccatum Adæ sola nos originali justitia privaverit; Christi verò gratia & jacturam hanc reparet, & majorem virtutum copiam tribuat, quàm fuisset in statu innocentiæ; imò & largiatur virtutes, cujus idem status incapax fuisset, putà martyrium, virginitatem, Apostolatum, & dotes religiosas.

Ad 2. neg. maj. Etsi enim peccatum Adæ certiùs communicetur quàm Christi gratia, hæc tamen præ illo abundat ad sensum Apostoli, quia non à sola originali noxa liberat, sed ab omnibus; & hominum corda pluribûs replet bonîs, quàm à quibus exciderat per Adæ peccatum.

Obj. 3tio. Quod satis fuit infantibus fidelium in Lege veteri, satis esse debet infantibus fidelium in nova Lege: atqui fides parentum satis fuit ad salutem infantibus fidelium in Lege veteri: prout docent Tertullian. Gregorius Magnus &c.

R. neg. min. Quia, quidquid crediderint aliqui Patres, multò certiùs est, filios Judæorum nonnisi ope medii exteriùs applicati justificatos fuisse. Quin & exteriùs illud medium nullus Patrum disertè exclusit, plurimi verò, & inter alios Augustinus, disertè exegerunt. Adde quòd in hisce materiis tota ratio facti, est voluntas facientis.

Conclusio III. Baptismus in re vel in voto adultis omnibus necessarius est necessitate medii, & præcepti extra martyrii casum. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars. Nemo salutem adipisci potest nisi regeneretur, & fiat membrum Christi: atqui regenerari nemo potest, sinè Baptismo in re vel in voto; potest verò cum eodem voto. Et quidem 1mo. nemo sinè Baptismo aut Baptismi voto regenerari potest. Si enim ex eo Christi: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. meritò colligitur infantes extra casum martyrii non habere vitam æternam propter defectum tùm Sacramenti, tùm ejusdem voti, cujus incapaces sunt; idem meritò colligetur de adultis, quos prædicta Christi verba non minùs tangunt, quàm infantes; 2do. quòd possit homo regenerari, & fieri Christi membrum, ex perfecto Baptismi voto, constabit ex dicendis.

Prob.

Prob. 2. pars. Illud ad salutem necessarium est necessitate medii, sinè quo, quocumque modo prætermittatur, salus haberi non potest: atqui sinè Baptismate, rei vel voti, quocumque illud omittatur modo, salus haberi non potest extra casum martyrii. Unde si quis rationis jam compos, antè rapi supponatur, quàm ad perfectæ charitatis actum deduci potuerit; tam à cœlesti regno excludetur, quàm infantes; quia ut in his, sic & in illo vigebit istud Veritatis, *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

Prob. 3. pars. Quia ex generali regula, medium omne per se necessarium ad salutem, si arbitrio nostro subsit, est etiam necessarium necessitate præcepti; cùm nihil sub præceptum Divinum magis cadat, quàm id sinè quo vita æterna haberi non potest; ergo statim ut sufficienter cognita erit necessitas medii, illicò exurget necessitas præcepti.

Obj. Si Baptismus tantæ esset necessitatis, deberet quamprimùm, moraliter recipi; atqui falsum consequens. Prob. min. 1mo. quia præcepta affirmativa non obligant, nisi tempore necessitatatis, atqui præceptum de Baptismo affirmativum est; ergo usquè ad vitæ finem, differri potest; 2do. quia salubrior est dilatio Baptismi, quàm anticipatio; quò plùs enim differtur, plura quò ad pœnam & culpam delet peccata: unde primitùs differabatur usque ad Pascha aut Pentecosten.

R. ad 1. neg. min. Nam 1mo. quisque ex præcepto naturali tenetur saluti suæ consulere: atqui non consulit saluti, imò salutem graviter negligit, qui, quem commodè posset, Baptismum non recipit; 2do. Per Baptismum adscribitur homo militiæ christianæ: atqui non decet, ut quis militiæ adscribatur, cùm jam instat finis belli, ergo nec congruit, ut quis ad exitum vitæ Baptisma protrahat. Nec nocent objectæ probationes. Unde

Ad 1. 2. neg. maj. Si enim præcepta affirmativa solùm obligarent imminente periculo mortis, satis foret eo tempore fidei, spei & charitatis actus elicere: atqui id, licèt à temerariis Doctoribus assertum, procùl à veritate distat, prout Tom. II. probavimus.

Ad 2. 2. neg. ant. Ut enim scitè observat S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. a. 1. *In Baptismo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura; & ideò quamvis Baptismus in fine vitæ susceptus plura peccata præterita tolleret, tamen pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideò minus esset utilis. Præterea multis casibus subjacet humana vita, & posset contingere, ut qui Baptismum in fine vitæ accipere expectaret, morte subita præventus, expectatione sua fraudaretur.* Cæterùm aliud est, Baptismum

ad aliquot menſes differre, ut Cathechumeni meliùs inſtruantur, probentur & per geminatas Eccleſiæ preces ad ampliorem gratiæ copiam diſponantur; aliud ad plures annos Baptiſmum differre ſinè cauſa. Primum olim piè factum eſt, & hodiéque fieri poſſet, prout inſinuat Rituale Rom. tit. De *Bapt.* Secundum omnî penè ævô improbatum eſt.

Ex dictis inferes, 1mo. Gravis eſſe peccati ſuſpectum, qui ſufficienter inſtructus, ſuſceptionem Baptiſmi ad annum integrum differt ſinè cauſa: quia mora tanta gravem & periculoſam negligentiam involvere poteſt, 2do. Teneri parentes infantibus ſuis Baptiſma procurare quàmprimùm, ità ut hujus *quàmprimùm* latitudo non ultrà quinque aut ſex dies protendatur. Et verò cùm *multis caſibus ſubjaceat humana vita*, fieri facilè poſſet, ut ii etiam qui firmam corporis habitudinem nacti videntur, raperentur improvisò. Non immeritò igitur certis in Diœceſibus excommunicantur, qui prolis ſuæ Baptiſmum ultra octo vel novem dies diſtulerint.

Quæres an neceſſarius ſit Baptiſmus, ut alia Sacramenta licitè vel validè recipiantur.

R. Nullum Sacramentum validè recipi à non baptiſato præter Euchariſtiam, quæ nihil tunc operatur ex opere operato. Ratio eſt, quia Baptiſmus vocatur à Concilio Florent. in Decreto unionis, *vitæ ſpiritualis janua*, & ab Innocentio III, cæteriſque poſt S. Thom. Doctoribus *fundamentum omnium Sacramentorum*: atqui ubi fundamentum deficit, deficit & ædificium; ſicut deficit ingreſſus, ubi deeſt janua. Hinc Innoc. III. Preſbyterum qui baptiſatus non fuerat, baptiſari jubet & iterum ordinari: atqui non ordinaretur denuò, qui jam validè ordinatus eſſet; ergo, &c.

Obj. 1mo. S. Dionyſ. Alex. cuidam de Baptiſmatis ſui validitate dubitanti reſpōdit, *eum debere confidere fidei ſuæ, & conſcientiæ jam purgatæ, quòd tandiù in Sacramentis jam particeps fuiſſet:** atqui reſponſio hæc ſupponit Sacramenta validè recipi à non baptiſato; cùm ſupponat hunc per illa juſtificatum eſſe & *purgatum*; ergo.

R. Vel credidit Dionyſius Baptiſma verè dubium, non debere iterari in iis qui poſt idem receptum pluries ad Euchariſtiam acceſſère: vel ratus Alexandrum legitimè baptiſatum eſſe, voluit animos ejus hinc tranquillare, quòd pluries Euchariſtiam recepiſſet. Si 1. tam nobis licet ab una ejus opinionis parte recedere, quàm ab altera: nemo enim, opinor, negabit in dubio rebaptiſandum eſſe, qui antè dubium pluries Euchariſtiam receperit. Si 2. neg. min. quia ſtatim ac ſupponebat S. Dio-

* *Euſeb. Lib. 7. hiſ. cor. c. 9.*

S. Dionysius Alexandrum verè baptisatum, supponebat validè ab eo recepta fuisse Sacramenta.

Obj. 2do. Qui capax est effectûs, capax est causæ: sed qui se credens baptisatum, justificatus est per contritionem, capax est effectûs Eucharistiæ; cùm capax sit augmenti gratiæ; ergo & Eucharistiæ ipsius capax reputari debet.

R. neg. min. Effectus enim Eucharistiæ non est gratia quæcumque, sed gratia sacramentalis: hujus porrò incapax est, qui necdum baptisatus fuit; licèt capax sit gratiæ etiam majoris.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Baptismus suppleatur per Martyrium.

MArtyrium, quod juxta vim nominis idem est ac testimonium, definitur, Perpessio mortis veræ, letalisve cruciatûs, propter fidem Christi, aut veram virtutem tolerata, & in ejus odium illata.

Dicitur 1mo. *perpessio mortis veræ*, non enim est propriè Martyr, qui solum habet martyrii desiderium.

Dicitur 2do. *aut cruciatûs*, quia etsi necesse non est, ut Martyr dolorem sentiat, cùm sensum hunc quandoque avertat Deus, necessum tamen est, ut aliquid recipiat, quod de se illativum sit doloris.

Dicitur 3tio. cruciatus *lethalis*, unde strictè Martyres non sunt, qui gravia quidem passi sunt pro Christo, sed tamen haud gravia satis ut mortem inferrent. Stat nihilominus martyrii ratio, ubi ponitur à tortore causa, quæ certam inferat mortem, nisi hanc Deus impediat per miraculum. Unde Joannem Evangelistam colit Ecclesia ut Martyrem; quia in ferventis olei dolio, cui immersus est, naturaliter occumbere debuit.

Dicitur 4to. *propter fidem Christi*, quia *Martyrem, non pœna, sed causa facit.** Hinc Martyr non est hæreticus, qui etiam pro certo veræ fidei articulo comburitur; quia non patitur *ut verè Christianus.***

Dicitur 5to. *aut veram virtutem*; unde Martyribus annumerantur qui lethali cadunt ictu, seù propter asserta suæ Ecclesiæ jura, ut S. Th. Cantuar. seù ne confessionis sigillo deessent, ut Joan. Nepomucenus; seù nè libidini cederent, ut tot novi Testamenti virgines.

Dicitur 6to. *tolerata*, nimirum à quocumque inferatur; unde puella vel Judex, qui à Catholicis necantur, ne resiliant, ille à sententia justè lata, isthæc à salubri castitatis voto, verè sunt Martyres.

Dicitur 7mo. *Et in odium ejus illata*: quia eos tantùm

* *Aug. ser. 2. in Ps. 34.* ** *I. Petri 4.*

ut Martyres colit Ecclesia, qui in odium Christi aut Christianæ virtutis occubuêre: unde non est propriè Martyr qui ob præstita peste infectis auxilia mortem oppetit, nisi ad id à Tyranno damnatus sit in odium Dei. Et verò unum è Martyrii privilegiis est, ut necata propter Christum matre, filius quem utero gerit, ab originali noxa mundetur: id autem nemo hactenus dixit de infante illius, quæ peste contactis ministrando, diem clauserit. Hîs positîs, sit

CONCLUSIO I. Martyrium in infantibus, & in adultis, supplet effectum Baptismi, sed non omnem.

Prob. 1. pars: 1mo. quia & infantes spectat generalis hæc Christi sententia Matth. 10. *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; nam & hi quoque animam suam perdunt propter Christum.

Prob. 2do. Ut infantes per martyrium salvari meritò existimentur, tria sufficiunt, 1mo. ut Ecclesia, cui Deus semper adest, infantes ab Herode propter Christum occisos, ab initio coluerit tanquam sanctos; 2do. ut eos nonnisi martyrii titulô pro talibus habuerit: 3tio. ut eadem sit cæterorum, quæ istorum, conditio: atqui tria hæc constant. Primum quidem; tùm quia non potest assignari tempus, quô contra Veterum fidem, fides hæc nata sit; tùm quia erat hæc purioribûs sæculîs, non unius cujusdam loci, sed totius Ecclesiæ persuasio. Unde Aug. L. 3. de lib. arbit. c. 23. *Etiam*, inquit, *infantes illos, qui cùm Dominus J. C. necandus quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos* COMMENDAT ECCLESIA. Idem docet S. Leo Serm. 1. de Epiph. c. 3.

Secundum non minùs evidens est, 1mo. quia Ecclesia, quoties horumce infantium felicitatem commemorat, uni eorum martyrio innititur; 2do. quia si circumcisio reapsè suscepta, sola esset Ecclesiæ ratio prædictos infantes colendi, cultus ejus à motivo nimium incerto penderet. Et verò unde habuit aut habere potuit Ecclesia, infantes illos vel omnes nè unô exceptô fuisse Judæos, vel omnes ad unum circùmcisos fuisse? Utique tametsi Baptismus apud Christianos haud multùm differri solet; qui in urbe aliqua finitimisque locis tot parvulos interimerent, plures indubiè ante Baptismum interimerent.

Tertium liquet, 1mo. quia ubi par est causa, par & Dei benignitas, parem oportet esse effectum; 2do. quia id expresse docent Patres; & inter alios Aug. L. 13. de Civ. c. 7. ubi sic indistinctè loquitur: *Quicumque etiam non perceptô regenerationis lavacrô, pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit,* Si quis renatus non fuerit ex aqua, &c.

alia

alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Prob. 2. pars de adultis, 1mo. Quia martyrium non debet minorem parere effectum in adultis, à quibus piè & voluntariè acceptatur, quàm in infantibus, qui nullo pietatis sensu moveri possunt; 2do. Quia ità docent universi PP. sic S. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. *Si quis non baptisatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui vel sinè aqua regnó cælesti potiuntur.* S. Aug. Lib. 1. de anima, &c. c. 9. *Nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Prob. 3. pars. Quia martyrium supplet Baptismi vices, tùm quò ad effectum justificationis, & gloriæ; tùm quò ad condonationem omnis pœnæ peccato debitæ; At verò non supplet Baptisma: 1mo. quò ad characteris impressionem; est enim impressio hæc effectus proprius trium Sacramentorum, quæ iterari non possunt; 2do. nec quò ad subjectionem Ecclesiasticæ jurisdictioni; quia hæc ad eos solùm extenditur qui Ecclesiæ incorporati fuerint: 3tio. neque quò ad capacitatem proximam alia recipiendi Sacramenta; cùm hæc ab iis tantùm recipi possint, qui per Baptismum effecti sunt ejusdem Ecclesiæ membra.

Obj. contra 1. part. Opinio nostra plùs tribuit Baptismo sanguinis; quàm lavacro aquæ, cùm istud infanti, nisi nato prodesse nequeat; ille juxta nos eidem necdum nato prodesse possit: atqui id absurdum est.

R. neg. min. Quia cùm martyrium mortem Christi non in figura solùm exprimat, ut Batismus aquæ, sed penes ipsam rei veritatem, nihil mirùm si & ad plures extendi possit; & specialem eis aureolam promereri.

Obj. contra 2. part. Id S. Cypriani Epist. 54. *Nec quisquam dicat: Qui martyrium tulit, sanguine suo baptisatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est habituro gloriæ pacem*; ergo censet S. Doctor martyrium non sufficere ad salutem.

R. ad 1. dist. conseq. Censet Cyprianus non sufficere martyrium iis qui Baptismum ex gravi negligentia omittebant, C. Secùs N. Qui Baptismum recipere valens, eum negligeret spe martyrii, & peccaret graviter, gravissimam Christi legem quasi aspernando, & nullum, nisi negligentiam suam pœnitendo dilueret, ex martyrio fructum reportaret. Verùm aliud est de iis quibus deest Baptismus; non ipsi Baptismo; horum enim *peccata omnia passione purgantur*, ut aït Cyprian. ipse Epist. 58.

Conclusio II. Martyrium ex opere operato supplet Baptismi vices in infantibus, & in adultis quantùm ad relaxationem [illegible] peccato debitæ.

Prob. 1. pars. Martyrium ex dictis ſupplet Baptiſmi defectum in infantibus: atqui non ſupplet ex opere operantis; ergo ſupereſt ut ſuppleat vel ex opere operato, vel per modum operis operati, ſeù, ut alii dicere malunt, ex ſingulari privilegio.

Prob. 2. pars. Per martyrium remittitur tota pœna temporalis, unde *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre:* * atqui tota hæc pœna non remittitur niſi ex opere operato. Vel enim tota pœna remittitur vi operis operati, vel propter vim ſatisfactoriam pœnæ, vel propter fervorem charitatis; atqui nullum è poſtremis duobus dici poteſt. Non 1. gratis enim dicitur, quòd mors lenis, putà capitis abſciſſio, ſit plena ſatisfactio pro graviſſimis ſceleribus, per quæ quis graviora quæque ſupplicia promeruerit. Non 2. multi enim SS. Confeſſores ardentiori charitate peruſti ſunt, quàm Martyres multi; nec ideò tamen pœnæ temporalis peccatis antea commiſſis debitæ veniam conſecuti ſunt.

Quæres an liceat offerre ſe martyrio, & aliquando ſubſit obligatio illud ſubeundi.

R. ad 1. Non licet citra rationabilem cauſam, ſpecialemve S. Spiritûs inſtinctum offerre ſe martyrio: 1mo. Quia hoc vetuit Chriſtus Matth. 10. ubi ait: *Cùm perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam* quod fecere Sancti, ut Paulus, qui pluries fugâ *manus* Tyrannorum *evaſit*; Athanaſius, qui maximam vitæ partem in antris aut ſepulchris delituit; & Chriſtus ipſe Martyrum exemplar.

2do. Quia qui martyrio ſeſe offerunt ſine juſta cauſa, putà cum inde nec Infidelium converſio, nec Dei gloria promoveri poteſt; & præſumptionis multùm exhibent, cùm ultrò ingerant ſe graviſſimæ tentationi; & gratis Tyrannorum peccato cooperantur. Unde arguendi qui jactis conviciis barbarorum ſævitiam inflammant, niſi bona fide, vel ſpeciali ſpiritûs impulſu excuſentur. Conſtat enim Martyres duriuſculè identidem inſurrexiſſe in Tyrannos etiam Principes, ut patet in Machabæis.

R. ad 2. Urgere ſubeundi Martyrii obligationem: 1mo. ſi vel moriendum ſit, vel à fide, caſtitate, aut ſimilibus deficiendum; 2do. ſi aliter religio conſervari non poſſit; 3tio. ſi erigendi ſint Martyrum in tormentis deficientium animi, &c.

ARTICULUS TERTIUS.

An Baptiſmum aquæ, ſuppleat Baptiſmus flaminis.

BAptiſmus flaminis, ſic dictus à ſacro flamine ſeù Spiritu S. animam interiùs abluente; eſt perfecta in Deum charitas, perfectave cordis contritio, annexum habens votum Baptiſmi ſaltèm implicitum. De hoc quæritur an Baptiſmi aquæ vices gere-

* *Aug, Tract. 84. in Joan.*

gerere poſſit, quando is de facto recipi non poteſt. Negarunt Gennadius, & ut videtur S. Proſper. Sit

Conclusio I. Baptiſmus flaminis ſupplet in adultis vices Baptiſmi aquæ, quò ad gratiæ infuſionem, & remiſſionem culpæ ſufficienter retractatæ.

Prob. 1mo. Quod gratiam ſanctificantem infallibiliter parit, ſupplet vices Baptiſmi: atqui Baptiſmus flaminis, id eſt, contritio vel charitas perfecta infallibiliter parit - - - - Pſalm 50. *Cor contritum & humilitatum, Deus, non deſpicies.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet, & non morietur.* Quæ oracula à Chriſto, poſt ſáncitam Baptiſmi neceſſitatem, confirmata ſunt, Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Prob. 2do. ex SS, patribus. Ambroſius in Orat. funebri Valentiniani: *Non habet ergo,* inquit, Valentinianus *gratiam* regenerationis, *quam deſideravit? Non habet quam popoſcit? Certè quia popoſcit, accepit.* Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. c. 22. *Invenio,* inquit: *non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex Baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.*

Prob. 3tio. ex Rom. Pontificibus. Innocentius III. conſultus dè Judæo, qui morti proximus ſe ipſum baptiſaverat, ſic cap. 4. *De Bapt. & ejus effectu,* reſpondet: *Si talis continuò deceſſiſſet, ad cæleſtem patriam protinùs evolaſſet propter Sacramenti fidem, & non propter fidei Sacramentum.* Et Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baïi propoſitionem confixêre n. 33. *Catechumenus juſtè, rectè & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in lavacro Baptiſmi demùm percipitur.*

Prob. 4to. ex Trid. Seſſ. 14. c. 4. *Docet S. Synodus etſi contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc,* Pœnitenriæ, *Sacramentum ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi contritioni ſinè Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Unde ſic: Non eſt difficilior Cathecumeni juſtificatio, quàm hominis jam baptiſati; imò minùs, quia, cæteris paribûs, graviores ſunt hominis baptiſati noxæ, quàm Cathecumeni, prout docet Apoſtolus Hebr. 8. atqui tamen poteſt baptiſatus homo juſtificari per contritionem perfectam, cum ſolo Pœnitentiæ voto; ergo à fortiori.

Obj. 1mo. Habuit indubiè S. Paulus charitatem ac contritionem perfectam, cùm dixit, *Domine, quid me vis facere?* atqui

atqui tamen necdum justificatus erat à peccatis. Cùm ei dictum sit ab Anania, *Exurge, baptisare & ablue peccata tua.**

R. neg. min. Hæc enim citra præcedentis justificationis præjudicium dici potuêre, seu quia nesciret Ananias hominem tot sceleribus fœtidum, sat unô instantî doloris concepisse, ut illicò justificaretur; seù quia Paulum sua quadantenus gravabant peccata, donec implevisset conditionem Baptismi, cujus voto annexa erat totalis ipsorum condonatio; seù quia Paulus etsi jam liber à reatu culpæ, adhuc indigebat liberari à reatu pœnæ.

Obj. 2do. Si creditum fuisset prioribus Ecclesiæ sæculis posse quempiam justificari per contritionem, communicasset Ecclesia per sacrificia & preces seù Cathechumenis sine Baptismo, seù pœnitentibus sinè reconciliatione defunctis: atqui tamen nec his nec illis communicabat Ecclesia, seù Romana, ut liquet ex S. Leone Epist. 82. seù Hispanica, ut constat ex Concilio Bracarensi II. Can. 17.** ubi sic legitur: *Placuit ut Cathechumenis sinè redemptione Baptismi defunctis, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium*; ergo.

R. neg. maj. Neque enim Ecclesia Romana vel Hispanica Cathecumenis sinè Baptismo defunctis preces denegavit, quia crederet ex solo Sacramenti defectu actum esse de æterna illorum salute; sed quia hoc cujusdam terroris exemplô movere voluit seù Cathecumenos, seù pœnitentes, ut quo majori possent studio & ardore properarent, illi ad lavacrum regenerationis, isti ad reconciliationis gratiam. Aliundè severa hæc praxis, non ubique fuit in usu. Siquidem pro Cathecumenis orabat Mediolanensis Ecclesia, ut constat ex citato Ambrosii textu. Et eò demùm rediêre Ecclesiæ Hispanica & Romana.

Obj. 3tio. Id Augustini Tract. 13. in Joan. *Quantumcumquè Cathechumenus proficiat, adhuc tamen sarcinam suæ iniquitatis portat; non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum*; ergo.

R. neg. conseq. De iis enim tantùm loquitur Aug. qui persuasi se aliis etiam baptisatîs meliores esse, quia in aliqua virtute profecerant, & baptisatos & Baptismum dedignabantur, & in corde suo dicebant: *Quid mihi opus est Baptismum accipere ut hoc habeam quod & iste, quô jam melior sum?* atqui arrogans hujusmodi *Cathecumenus*, *quantumcumque proficiat*, vel potiùs proficere se credat: *adhuc sarcinam iniquitatis portat*; ergo nihil ex Aug. contra nos, qui de humilibus & sanctis Cathecumenis loquimur.

Obj. 4to. Perfecta charitas in veteri Lege justificabat sinè voto Baptismi: ergo & nunc.

R. neg. conseq. Quia ad veram charitatem requiritur vo-

* *Act.* 22. 16. ** *An.* 563.

luntas sincera omnia Dei mandata implendi, ac proinde recipiendi Baptismum, cujus susceptio à Deo præcepta est. Neque ideò charitas vim hodie minorem habet, quàm antea, sed tantùm importat voluntatem facilia quædam implendi præcepta, quæ tunc imposita non erant.

Dixi in Concl. *quò ad remissionem culpæ sufficienter retractatæ*; quia si quis affectum servet ad venialia, hæc ei, licèt justificato, non remittentur.

Conclusio II. Baptismus flaminis, non supplet Baptismum aquæ, quò ad remissionem pœnæ peccato debitæ.

Prob. Quia nullibi remissionis hujus meminere PP. vel Scriptura: imò hanc excludere videntur, cùm docent homines etsi justificatos indigere pœnitentiâ per vitam, vel Ecclesiæ suffragiis post mortem; prout de Valentiniano ipsâ suâ praxi docuit Ambrosius.

ARTICULUS QUARTUS.

De unitate Baptismi.

Baptisma eo sensu unum est, quòd ejusdem sit speciei in omnibus hominibus; tùm quia ex Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, tùm quia una est specie materia & forma in uno Baptismo, seu per aspersionem fiat, seù per immersionem. Quæstio igitur est, an eo etiam sensu unum sit Baptisma, quod pluries eidem homini non detur. Sit

Conclusio. Baptismus semel tantùm eidem homini conferri validè potest.

Prob. 1mo. ex Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati - - rursus renovari ad pœnitentiam*: atqui hæc ad pœnitentiam renovatio, quæ iterari non potest, & ipsa renovatio Baptismi; ut docent Ambros. Chrysost. Hieron. &c.

Prob. 2do. ex Patribus. Cyrillus Hierosol. in Præfat. Cathec. *Non licèt bis aut ter hoc lavacro uti, - - - - unus enim Dominus, una fides, unum Baptisma.* Theodoretus in cap. 6. Ep. ad Hebr. *Multa*, inquit: *& frequenter adhibebantur* Baptismata apud Judæos: *hìc autem*, Christi Baptismus, *unus est.* Idem docent PP. CP. in Symbolo: *Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & Trid. Sess. 7. Can. 11. de Bapt. *Si quis dixerit verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Prob. 3tio. Si iterari posset Baptisma, millies iteratum esset tantæ efficaciæ Sacramentum jam ab initio Ecclesiæ: atqui nulla iterationis hujus extant indicia, nisi apud hæreticos; quin & olim capite plectebantur, qui quempiam rebaptisaverant.

Quæres

Quæres quid juris in dubio an quis baptisatus sit? Not. dubium aliud est negativum, cùm nulla sunt indicia ex quibus colligi possit quempiam fuisse baptisatum: aliud positivum; cùm paria in utramque partem militant argumenta; & hoc vel est *juris*, si æquè dubitetur valeatne Baptismus talî modô collatus; aliud facti, si incertum sit an collatum fuerit Baptisma.

R. 1mo. In dubio negativo, seù cùm planè nescitur an infans vel adultus baptisatus fuerit, Baptisma conferendum esse. Ità docet S. Leo Ep. 92. cap. 15. & certè dictat ratio providendum esse, cùm id sinè Sacramenti injuria fieri potest, æternæ saluti eorum, qui in probabili damnationis periculo versantur.

R. 2. Adultos perinde ac infantes in positivo juris vel facti dubio baptisandos esse sub conditione. Ratio est, quia regula ista, *In dubio tutior pars est eligenda*, hìc vel nullibi locum habet propter maximam Baptismi necessitatem.

Hinc Baptisandi sunt sub conditione, 1mo. Infantes statim è sinu parentum Christianorum ab Algerii prædonibus, aliisvè barbaris erepti, 2do. Infantes expositi, etiamsi ante aliquot menses nati sint, & testem Baptismi sui schedulam ferant: quia neque ætas ea dubium tollit; cùm Judæus aut Deista prolem suam post annum exponere possit; neque scheda, ab incertæ fidei authore ne quid pejus dicam, haberi potest pro *teste certissimo*, *& moralem parere certitudinem; 3tio. Baptisati ab obstetricibus, seù convictis de invalida Baptismi collatione; seù firmè ac constanter non respondentibus, quam in baptisando materiam aut formam adhibuerint.

An autem Baptismum quemcumque, eò quòd à patre, matre vel obstetrice collatus sit, iterare liceat, gravis est & praxis quotidianæ disceptatio, circa quam Ritualia Ritualibus, Ministri Ministris practicè adversantur, utique quia diversa experti fuerint. Alii itaque infantem ab obstetrice pia, bene instructa & quæ in Baptismi actione sui compos fuit, sinè gravi piaculo rebaptisari posse negant: ità Soto, Sylvester & severè Estius in 4. dist. §. 16. Alii plures nulli quò ad Baptismum credunt feminæ, 1mo. quia certâ experientiâ compertum habent, ex iis non paucas diu pro timoratis ac prudentibus habitas fuisse, quæ neutram laudem mererentur; imò quæ dæmoni servirent per sortilegia; 2do. quia quæ bona fide se crediderant Baptismi conferendi capaces, eumque hìc & nunc à se ritè collatum fuisse jurejurando confirmassent, omni excussæ sensu tandem confessæ sunt, se verba pronuntiasse, dùm mulier alia aquam effunderet, prout ego non ità pridem rescivi; 3tio. quia quæ

* *Conc. Carthag. V.*

etiam nesciunt benè an malè fecerint, eò quòd ob rugitus & periculum matris vix sui compotes forent, non verentur dictitare se animô fuisse præsentî, nè pro imperitis habeantur, & deinceps excludantur ab officio, vel illud exerceant erga pauciores. Ità ferè Sylvius hìc q. 66. a. 9. ubi refert decisionem Pastoralis Mechliniensis,cui consentit Iprensis Synodus sub Martino Rythorio.

Mihi utraque opinio temperanda videtur cum Authore Collat. Andeg.* Dico itaque infantem à quacumque obstetrice baptisatum, semper sub conditione rebaptisandum esse, quoties desunt testes ad minus duo fide digni, qui nihil necessarii ab ipsa omissum esse confirment: 1mo. quia si in alia quavis longè inferioris momenti materia, *testis unus*, *testis* est *nullus*; non est quod in re præsenti fidem faciat; 2do. quia id præcipiunt varia Galliæ nostræ Concilia, ut Ebroicense an. 1576. nixum Pauli V. Decreto, Rothomag. an. 1581. & Aquisext. an. 1585. quæ vetant nè *uni mulieri*, *seù alteri privatim baptisanti credi* possit, &c.

Neque tamen ei qui post. 20. annos rescire incipit se puerum domì baptisatum esse, curandum erit ut denuò baptisetur sub conditione: quia adulti qui se ab obstetricibus baptisatos esse detegunt, debent supponere Baptisma suum à Parocho examinatum fuisse, qui proinde illud vel validum repererit, vel si dubium, repetierit sub conditione.**

Quæres an Baptisma ab hæreticis nostri temporis collatum iterari possit sub conditione.

R. Plures esse qui summè dubium habeant Baptisma à Calvinianis & Lutheranis collatum, non præcisè quia hæreticis; esset enim id gravis error; sed 1mo. quia detectum est eorum alios quibusdam in Provinciis aquæ naturalî aquam rosaceam substituere honoris causâ: alios materiam & formam partiri, ità ut alter verba proferat, aquam infundat alter; alios propter frigus non carnem ipsam aspergere, sed vestimenta; alios ejus, qui prior occurrerit, etiam sutoris,imperitive alterius ministeriô uti; 2do. quia cùm incredibilî in Ecclesiam odiô ferantur, *sæpè deprehensum est necessariam eis in baptisando defuisse intentionem.** Unde Synodus II. Mechliniensis à Paulo V. approbata an. 1608. præscribit ab hujusmodi hæreticis baptisatos, denuò sub conditione baptisari. Quia tamen hodierni Novatores meliore via gradi perhibentur, maturo hìc opus est examine, si res moram patitur.

Id autem observandum, ait Sylvius, ut postquam adulti sub conditione rebaptisati fuerint, confiteantur peccata post pri-

* *Pag. 253. Ed. 1721.* ** *Sylvius pag. 232.* *** *Sylvius.*

primum Baptismum commissa; ut si is forsan valuerit, peccata post ipsum commissa, quæ per posteriorem utpotè invalidum ablui non possunt, per pœnitentiam abluantur.

CAPUT OCTAVUM.

De effectibus Baptismi.

CAtholici triplicem Baptismo effectum adscribunt, 1mo. quòd verè tollat culpam omnem & pœnam; 2do. quòd conferat ex opere operato gratiam & dona, quibûs homo verè justificetur; 3tio. quòd imprimat characterem, vi cujus iterari non possit. De secundo & tertio effectu diximus in Tractatu præcedenti; de primo superest dicendum. Sit

Conclusio I. Baptismus, secluso obice, tollit omne peccatum, tàm originale quàm actuale, unde confert gratiam, quâ homo interiùs sanctificetur.

Prob. 1mo. ex Script. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Act. 22. *Baptisare & ablue peccata tua.* Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* &c. Unde sic: Illud Sacramentum omnia prorsùs peccata delet, & gratiam interiùs renovantem producit, quod hominem mundat ab omnibus inquinamentis, quod graviora quæque ejus peccata abluit, &c. atqui, &c.

Confirm. Qui per Baptismum renascuntur, & renovantur, ac fiunt *quasi modò geniti infantes*, iis peccata verè auferuntur, non teguntur tantùm: atqui per Baptismum renascuntur homines, &c.

Prob. 2do. ex Conciliis CP. I. in Symbolo: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Trid. Sess. & Can. 5. *Si quis per J. C. D. N. gratiam quæ in Baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud tantùm dicit radi aut non imputari, anathema sit.* Et verò nihil *coinquinatum intrabit in* Regnum Cœlorum:* atqui homo ritè & piè baptisatus potest hìc & nunc intrare in Regnum Cælorum; ergo nihil in eo manet coinquinati, *nihil damnationis*, ut loquitur Apostolus.

Saltèm inquies, Baptismus non delet peccata in iis, qui eum recipiunt perfectè contriti.

R. Ut Baptismus peccata delere dicatur, satis est ut de se vim habeat eadem delendi, licèt per accidens delere nequeat,

* *Apoc.* 21.

quia

quia jam invenit deleta. Et in hoc casu sua est Baptismo efficacia, 1mo. quia non delentur peccata sinè ipsius voto; 2do. quia tunc gratiam secundam producit, quæ est augmentum gratiæ primæ per contritionem perfectam inductæ, 3tio. quia characterem producit, hominemquè efficit membrum Ecclesiæ; 4to. quia remittit, quæ antea remissæ non erant, peccati pœnas. Quare sit

CONCLUSIO II. Baptismus, secluso obice, pœnam omnem peccatis debitam remittit. Est de fide.

Prob. 1mo. ex continua Ecclesiæ praxi, quæ licèt ante Baptismum varia virtutis exercitia indixerit Catechumenis, seù ut probarentur magis, seù ut meliùs dispositi uberiorem è Sacramento gratiam perciperent, nulla tamen iis unquam pro peccatis ante Baptismum commissis satisfactoria opera imposuit; cùm etiam periculum erat, ne ob necessitatis casum præmaturè baptisati, plura deberent divinæ justitiæ: atqui hujus agendi rationis nulla reddi potest ratio, nisi quòd semper in Ecclesia Dei persuasum fuit per Baptismum tolli pœnam omnem peccatis debitam.

Prob. 2do. ex Patribus. Aug. Lib. 2. de peccat. mèrit. &c. c. 28. *Si*, aït: *continuò post Baptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omninò, quòd obnoxium hominem teneat, solutis omnibûs quæ tenebant.* Hieronymus Ep. 82. *Post indulgentiam* Baptismi, *Judicis non est metuenda severitas*; meritò igitur Trid. Sess. 5. Can. 5. *Nihil est damnationis in iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum - - - - ità ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

Quæres an effectus Baptismi par sit in omnibus.

R. 1mo. Eùm esse æqualem in parvulis: quia tota quæ hìc subesse potest inæqualitas, à dispositionum inæqualitate pendet; porrò nemo infans plùs minùsve quàm alter, dispositionis habet.

R. 2do. Characterem in omnibus adultis æqualem esse: quia character est quasi sigillum pastoris; is autem morbidas oves non secùs ac alias consignat.

R. 3tio. Gratiam æqualiter dispositis æqualem, inæqualem, inæqualitèr præparatis conferri: quia licèt Sacramenta ex propria vi gratiam producant, agunt tamen *secundùm propriam cujusque dispositionem*, ex Trid. Sess. 6. c. 7.

CAPUT NONUM.

De Cæremoniis Baptismi.

OMissis quæ nihil difficultatis habent, paucula scrutabimur quæ moram injicere possint.

Quæres itaque 1mo. quo in loco conferri debeat Baptismus.

R. Baptisma olim quocumque in loco collatum esse, ut constat exemplo tùm Eunuchi, qui à Philippo baptisatus est in via: tùm Sauli, qui ab Anania baptisatus est in privata domo. Nunc & jam pridem extra Ecclesias baptisare illicitum. *Nemo Presbyterorum*, aït Synodus Meldensis Can. 48. *baptisare præsumat nisi in Ecclesiis baptismalibus, nisi causâ ægritudinis, vel certæ necessitatis.*

Ab hac lege excipiuntur infantes Regum & Principum, ex Clement. unica *De Baptismo*, &c. qui proinde in Capellis domesticis baptisari possunt cum aqua de more benedicta. Aliud indubiè est de filiis *eorum nobilium, qui neque sunt Reges, neque Principes*, ut docet Sylvius.

Quæres 2do. An suppleri debeant cæremoniæ, in Baptismo prætermissæ, sivè ex contemptu ut apud Hæreticos, sive in casu necessitatis, ut apud Catholicos.

R. 1mo. Unicuique Sacerdotum sequendam esse Diœcesis in qua baptisat, consuetudinem; quia etsi fieri absolutè potest, ut inferior mentem Ecclesiæ in his materiis meliùs apprehendat, quàm Superior; fieri tamen nequit ut piè & sanctè contra Statuta ipsius rebellet. Hic porrò non una est variis in Diœcesibus consuetudo. Alicubi enim, & ferè ubique, præcipitur, ut in iis qui ab hæreticis ritè baptisati sunt, suppleantur cæremoniæ, non secus ac in Catholicis, in quibus urgente periculo prætermissæ sint: ita præscriptum Rhemis, Ambiani, Rupellæ, &c. Alibi adhibetur quidpiam temperamenti. Sic Rituale Meldense an. 1645. *Non est tamen necesse*, inquit: *omnes ex hæresi venientes ad suscipiendas hujusmodi cæremonias compelli, sed prudenter agendum, ut si viderit Sacerdos periculum esse, nè harum pudore illi à Religione Catholica abhorreant, eas prorsus omittat.* Sic & Rituale Parisiense sub Lud. Ant. Card. Noallio: *Ubi ritè baptisati sunt* ab hæreticis infantes vel adulti, in his *omissæ cæremoniæ suppleantur: infantibus quidem, si parentes postulaverint; adultis verò si ipsimet postulaverint.**

R. 2do. Longè satius esse ut Episcopi tritam de supplendis cæremoniis omnibus, ac proinde exorcismis, viam teneant ipsi, & ab aliis teneri præcipiant. Ità Duguet & P. Gibert. Consult. 1. & 2. de Baptismo.

Prob. 1mo. ex S. Thoma, 3. p. q. 71. art. 3. ubi sic: *Ea quæ aguntur in exorcismo, non sunt prætermittenda nisi in necessitatis articulo, & tunc cessante periculo debent suppleri*, ut *servetur uniformitas in Baptismo.* & in 4. Sent. dist. 6. q. 2. a. 3. *Nec frustra supplentur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur, ità potest impedi-*

* *Pag. 121.*

ri postquam susceptus est. Porrò necessitatem hanc supplendi exorcismos à S. Doctore non fuisse adinventam, prout temerè respondent aliqui, demonstrant invictè tria, 1mo. quòd receptas suo tempore ab Ecclesia leges ubique sequi & exponere glorietur; 2dò. quòd Libros Sententiarum interpretatus sit admodum juvenis, eo proin tempore, quô novos ritus inducere minùs ausit vir nominis penè ignoti; 3tio. quòd opinio quam in citatis textibus tradit S. Thomas, unô ante eum sæculô traderetur à Theologis, uti probat Duguetus.

Prob. 2do. ex Conciliis, quæ non modo ante, sed & post exortas Calvini novitates, id est, quo tempore cautiùs gradiebantur Episcopi, cæremonias omnes ante Baptismum omissas, post ipsum suppleri debere sanxerunt. Ità Concilia Ebroicense an. 1576. Rhemense an. 1583. &c.

Prob. 3tio. quia cùm ea de re à Patribus Concilii Rothomag. an. 1581. consultus fuisset Gregorius XIII. vir paucis ævi sui, si quibusdam, inferior scientiâ; respondit, *Cæremonias Baptismi supplendas esse, præcedente in adultis abjuratione & reconcilatione.* Idipsum jubet Rituale Romanum.

Prob. 4to. Si exorcismi omitti debeant, cùm supplentur cæremoniæ post Baptismum, ipsæ hæ cæremoniæ ferè omnes prorsus omittendæ erunt. Ratio est, quia singulæ propemodum cæremoniæ quæ ablutionem præcedunt, sunt exorcismi actionis ut patet in insufflatione, quæ manuŭ impositionem præcedit, in impressione signi crucis, ut *disrumpantur laquei omnes* satanæ, in impositione manuum super caput baptisandi, cum his verbis, *Nec te lateat, Satana, imminere tibi pœnas,* &c. in tactu aurium & narium, cùm hac voce *Ephpheta*, quâ erga hominem à dæmone possessum usus est Christus, &c.

Obj. Exorcismi Baptismo supervenientes falsum supponunt. Supponit enim exorcismus iste, *Exi ab eo immunde spiritus*, &c. eum circa quem pronuntiatur, adhuc esse mancipium diaboli: atqui suppositio hæc falsa est.


R. 1mo. Difficultatem hanc ab iis solvendam esse à quibus proponitur. Fatentur enim exorcismis subjacuisse olim Catechumenos indistinctè omnes: atqui ex iis erant complures, qui constanti virtutum omnium exercitiô jam à se immundum spiritum procul abegissent. Ecquis, ut taceam de Cypriano, qui ab iis exorsus est, quæ nec alii contingant finiendo, quis Augustinum, qui tot ad Baptismum attulit dispositiones, ut hodieque vel frigidioribus excutiant lacrymas, immundi spiritûs sedem fuisse opinetur; quis Martinum, cujus adhuc Catechumeni eximiam charitatem Christus ipse commendaverat?

R. 2do. Ad 1. dist. ant. exorcismi Baptismo supervenientes

falsum supponunt, si spectentur qua parte spectari non debent, C. Si sub vero prospectu inspiciantur, N. Duplicem habent intuitum sacri Ecclesiæ ritus; sub uno lædunt oculos; sub altero placent. Lædunt quidem, si nudus rerum cortex inspiciatur. Sic Ecclesia, quasi Judaïca evaserit, toto Adventûs tempore Messiam è cœlis illabi precatur; qui tamen descendit jam dudum. Quemadmodum ergo prædictos ritus venerantur Catholici omnes, quia eosdem sub alia facie intuentur, ut debent; sic & exorcismorum praxim sine culpa despicere non possunt, quia inspecta qua parte debet, sensum habet pretiosum Ecclesia. Ostendit enim 1mo. posse diabolum fugari per vim à Christo inditam precibûs Ecclesiæ; 2do. Infantes vel adultos nisi regenerentur, diaboli mancipia esse; quô argumentô olim usus est August. contra Pelagianos.

Ad 2. neg. maj. Quemadmodum enim hæc verba, *Absolvo te à peccatis tuis*, pronuntiata super eum qui imminente letho absolutus est sinè confessione, non probant hominem hunc actu esse in peccato, sed solùm eum fuisse in peccato, à quo absolutus sit sub onere confitendi; sic & ista *Exi ab eo immunde spiritus*, non probant infantem vel adultum actu possideri à dæmone, sed solùm eum ab isto olim possessum fuisse, & liberatum cum onere subjacendi cæremoniis Ecclesiæ.

R. 2. neg. eandem maj. alia de causa quæ exorcismo vim & effectum præsentem adscribit. Dico itaque has voces, *Exi ab eo*, usurpari contra dæmonem, non qui dominetur in corde hominis jam baptisati; sed qui eidem insidietur. Unde etsi jam fugari nequit ut possessor cordis, at fugari potest ut aditus plateæ circumdans tanquam leo quærens quid devoret.



TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De essentia & institutione Confirmationis.

CONfirmatio definitur à Catholicis, Sacramentum à Christo institutum, quô baptisatis datur Spiritus S. ad fidem Christi constanter & intrepidè profitendam. Ut definitionis hujus veritas pateat, sit

CONCLUSIO I. Confirmatio verum est novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1mo. ex Act. 8. ubi sic: *Cùm audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei*, à Philippo Diacono, qui jam Samaritanos baptisaverat, *miserunt ad eos Petrum & Joannem; qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Unde sic: Ut ex citato textu colligatur, Confirmationem verum esse Sacramentum, duo sufficiunt, 1mo. ut ritus de quo hic mentio est, verum sit Sacramentum; 2do. ut ritus ille sit ipsamet Confirmatio: atqui, &c.

Prob. 1. pars. Ad Sacramentum juxta Adversarios, sufficit signum sensibile, à Christo institutum permanenter, & gratiæ productivum: atqui ritus de quo Act. 8. habet hæc tria: 1mo. Quidem est signum sensibile; cùm consistat in rebus & verbis: *Orabant*, en verba: *Imponebant manus*, en res seù materia, quâ significatur divina protectio, juxta id Isaiæ 49. *In umbra manus suæ protexit me*; 2do. Est signum à Christo institutum. Siquidem ritus gratiæ certò productivus à mera hominis institutione non pendet: atqui ritus de quo agitur Act. 8. est certò &c. Sicut enim ex his verbis, quæ sensum versus 38. capitis 2. Act. exhibent: Baptisabant eos, & accipiebant *donum Spiritûs sancti*, meritò infertur Baptismum certò gratiam peperisse, sic & in proposito; 3tio. Idem signum institutum est permanenter. Ille enim ritus non obiter, & pro solis Apostolorum

rum temporibus, sed in perpetuum institutus est, quem Patres puriorum Ecclesiæ sæculorum constanter observavêre; quæ enim liberè & ad tempus instituta sunt, nec ubique, nec semper eadem fide observantur, ut patet de lotione pedum, &c. atqui Patres - - - - Prob. min. ex selectis quibusdam eorum textibus. Tertul. L. de resurrect. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro manûs impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Hìc confirmationi, quæ juxta morem temporis illius simul cum Eucharistia conferebatur recèns baptisatis, eadem sanctificandi vìs tribuitur quæ Baptismo ipsi & Eucharistiæ: atqui nequaquam fieri id posset; nisi Confirmatio in perpetum instituta fuisset, sicut ipse Baptismus & Eucharistia. S. Cyprianus Ep. 7. ad Januar. *Ungi quoquè necesse est eum qui baptisatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Dei possit*: atqui cæremonia pro solo Apostolorum tempore instituta, neque necessaria fuisset, neque Spiritum S. contulisset tempore Cypriani,* qui post sæculi tertii medium Martyr occubuit.

Prob. 2. pars: Vel ritus de quo Act. 8. erat Confirmatio, vel Baptismus, vel Eucharistia, &c. atqui 1mo. non erat Baptismus; quandoquidem jam ante baptisatis applicabatur; 2do. Neque etiam erat Eucharistia; cum hæc manuum impositione non suscipiatur; 3tio. non Ordinatio; alioqui ad Sacerdotium admissæ fuissent etiam feminæ, quæ & ipsæ hujus manuum impositionis participes erant.

Prob. 2do. ex Conciliis. Laodicenum Can. 48. *Oportet eos qui baptisantur, post Baptismum inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes.* En duæ sacri chrismatis proprietates prima quòd necessarium sit & præceptum, *Oportet*; secunda quòd baptisatos *cœlestis regni participes* efficiat. atqui neutrum dici potest de ritu cui certò annexa non sit gratia; ergo. Idem docent PP. Illiberitani, & Hispalenses.

Prob. 3tio. Argumentô præscriptionis: Si confirmatio non sit verum novæ Legis Sacramentum, necesse est ut opinio quæ Confirmationem transvertit in Sacramentum, post Christi mortem in Ecclesiam invecta fuerit: atqui hoc dici non potest. Nova enim doctrina in re tam gravi non potuit induci in Ecclesiam, quin & Doctores semper antiquitatis tenacissimi, & viri pii, qui à teneris unguibus rudimenta fidei edocentur, & ipsa Catholicorum Concilia contradixerint; Id enim perpetuò contigit, ubi primùm novitates suas seminare moliti sunt heterodoxi: atqui tamen nullibi vel levissimum contradictionis hujus vesti-

* *An.* 258.

vestigium deprehendi potest; ergo. Atque hinc Confirmationem Sacramentis annumerarunt, tùm Libri Rituales Occidentalium tùm & Græcorum Euchologia, tùm & quicumque de Officiis Ecclesiasticis scripsêre.

Obj. 1mo. Ut ex Act. 8. nihil inferri queat, sufficit ut Samaritani per manuum impositionem gratiam miraculorum receperint, non verò gratiam sanctificantem: atqui - - - - Samaritani enim id acceperunt, quô hactenus caruerant: atqui non caruerant gratia sanctificante. Cùm nuper baptisati essent. R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Non carebant gratia sanctificante simpliciter & quò ad substantiam, C. Quò ad gradum & perfectionem, N. Sicut enim major iis gratiæ ubertas per Eucharistiam communicanda erat, ut spiritualiter nutrirentur, sic & major eis gratiæ copia per manuum impositionem conferenda erat, ut fidem contra carnis illecebras & mundi potestates tueri possent. Sic Apostoli licèt ante Domini Ascensionem Spiritu sancto donati essent, indigebant nova *virtute ex alto*, ut Migistro suo *testes* essent *usque ad ultimum terræ*. Act. 1.

Inst. Gratia quâ indigebant Samaritani, talis erat ut à Philippo Diacono, eximiæ sanctitatis viro, conferri non posset; ergo gratia hæc erat necessariò gratia miraculorum, non gratiæ sanctificantis augmentum. Qui enim, ut Baptismi Minister, gratiæ substantiam conferebat, ejusdem gratiæ augmentum conferre potuisset. R. ad 1. neg. conseq. Ad 2. ut Philippus, qui quatenus Baptismi Minister gratiam regenerantem conferebat, gratiam confirmantem conferre non posset, sufficit ut Deus Episcopos solos, vel ad summum Sacerdotes, gratiæ confirmantis Ministros efficere potuerit, & de facto fecerit: atqui res ità se habet. De potestate nemo ambiget; de facto disputabimus infrà.

Obj. 2do. Si Confirmatio verùm sit Sacramentum, debuit diffundi quocumque diffusa est Chr. Religio: atqui non ità est. Ritus enim ille Ecclesiis Græcæ, Armenicæ, Æthiopicæ & Chaldaïcæ, omninò ignotus est; ergo. R. neg. min. Et dico, Confirmat. in omnibus quæ objiciuntur Ecclesiis haberi pro Sacramento. Patet id 1mo. de Ecclesia Græca, quæ non modò nullam Latinis litem circa septem Sacramenta intulit in Concilio Florentino, aut à Latinis sustinuit, sed insuper hæreticam Cyrilli Lucaris opinionem duo tantùm admittentis Sacramenta reprobavit in Synodo apud CP. habita an. 1638. 2do. De Ecclesia Armenica, quæ an. 1669. ea de re consulta à Marchione de Nointel respondit per Jacobum Patriarcham suum, *Hanc esse doctrinam à D. N. J. C. receptam, à SS. Apostolis traditam, à sacris Conciliis confirmatam, & à se ipso, suaque uni-*

versali Ecclesia semper creditam septem esse Sacramenta. 3tio. De Ecclesia Æthiopica, Chaldaïca, Syriaca, &c. Siquidem Nicolaus Spadarius in Enchiridio, quod Holmiæ an. 1667. conscriptum est, expressè tradit, *Russos, Moscovitas, Moldavos, Wallachos, Georgianos, Mingrelos, Circasas, Arabes, & alios sexcentos* septem admittere Sacramenta. *Quæ omnia,* inquit, *præter Ordinem & Confirmationem à Sacerdote conferuntur. Hinc omnes qui hæc septem Sacramenta non agnoscunt, Ecclesia Orientalis tanquam hæreticos censet & anathematisat.*

Qua igitur fronte miseræ plebi imponere audent Protestantes, & spargere Confirmationis dogma à cæteris præter Romanam Ecclesiis prorsus nesciri?

Conclusio II. Christus essentiales Confirmationis ritus immediatè instituit.

Prob. Si Confirmatio ab ipso Christo instituta non est, debuit institui vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia per potestatem sibi concessam à Christo: atqui neutrum dici potest. Non 1. cùm enim Sacramentum sit res, quâ gravior nulla fingi potest, dubio procul Apostoli circa ipsius institutionem eô se gessissent modô, quô gesserunt se circa res, quæ tametsi graves, minoris erant momenti, putà electionem Mathiæ in locum Proditoris, institutionem Diaconorum, legalium suppressionem; neque qui de gestis in triplici hac occasione erudiri nos voluit Spiritus S. quid in Confirmationis institutione gestum sit prorsus latere voluisset: atqui ne vocula quidem est in totis Scripturis, unde colligi possit Apostolos ad Confirmationis institutionem eorum quidpiam fecisse, quod fecerunt ad electionem Matthiæ, &c. Hic preces, deliberatio, Apostolorum consensus; illic horum nihil; sed quasi res jam supernè definita sit, illicò quibuscumque baptisatis imponuntur manus, iique Spiritum S. recipiunt; ergo. Non 2. si enim, ut finxit Halensis, Confirmatio in Concilio Meldensi, id est, post sex aut septem ab ortu Ecclesiæ sæcula institui potuerit, potuerunt etiamnum nova institui Sacramenta; unde enim periisset potestas Ecclesiæ? atqui quòd possit hodiéque Ecclesia Sacramenta instituere novum est & inauditum; ergo. Hinc prædicti Doctoris opinionem explodunt omnes & temerariam & hæresi faventem; imò nonnulli ut hæreticam: quam tamen notam plures habent ut duriorem, quia Trid. expressè cavit nè definiret omnia Leges novæ Sacramenta à Christò immediatè fuisse instituta, ut nullam Theologorum aliter sentientium opinioni censuram inureret.

Cæterùm definiri certò non potest, quo tempore instituta sit Confirm' quia nullam hìc lucem præbent Scriptura & Traditio. Probabilius tamen est, eam medio Resurrectionem inter

&

& Pentecostem tempore fuisse institutam: 1mo. Quia hanc eo præsertim tempore institui decebat, quo baptisati jam & consecrati Apostoli Sacramentum hoc congruè administrare poterant, & proximè administraturi erant ad roborandos Fideles contra fremitus Gentium, & Judæorum conatus; 2do. Quia ex Act. 1. Christus per illud tempus, cum Apostolis suis loquebatur *de Regno Dei*, id est, juxta Greg. Mag. de Ecclesia ædificanda & administranda: ad hanc porrò ædificationem & administrationem pertinent imprimis Sacramenta; ergo quæ necdum instituta erant, tunc temporis instituta fuêre.

CAPUT SECUNDUM.

De materia Confirmationis.

QUoniam in re præsenti nihil circa materiam remotam statui potest, nisi ante de proxima conventum sit, ab ista ducemus exordium. De hac autem non una est opinio. Nam 1mo. contendunt aliqui solam manus impositionem esse materiam essentialem hujus Sacramenti. Cùm autem duplex sit manuum impositio, alii eam pro materia assignant, quæ fit *extensis versùs confirmandos manibûs*, dum recitatur oratio: *Omnipotens sempiterne Deus*, & quæ proin chrismatis unctionem præcedit: ità Sirmundus. Alii contra eam intelligunt, quæ frontis unctioni conjungitur, [neque enim frons ungi potest, quin ei manus imponatur.] Alii alterutram, nihil definiendo.

2do. Existimant plures solam unctionem esse necessariam Confirmationis materiam.

3tio. Utramque alii sententiam conciliant, & impositionem manus, simùlque chrismationem volunt esse adæquatam Sacramenti materiam, ità ut ex hac vel illa divisim sumptis nullum exurgat Sacramentum. Sit cum istis

Conclusio I. Impositio manûs & unctio sunt adæquata & essentialis materia Confirmationis.

Prob. Ea essentialis est Confirm. materia, cujus applicatione gratiam roborantem conferri docet constans priorum 12. Ecclesiæ sæculorum praxis, cui nihil deinceps detrahi potuit: atqui roborantem gratiam manus & unctionis applicatione conferri docet, &c.

Prob. 1. pars de impositione manûs. Et quidem primi sæculi praxim attestantur citata superiùs c. 8. Act. verba in quibus de Confirm. agi probavimus.

Pro secundo sæculo Pugnant è Latinis Tertullianus suprà, è Græcis S. Irenæus, qui L. 4. adv. Hær. c. 38. docet *Apostolos*

per manûs impositionem dedisse Spiritum sanctum: quod & suo etiam tempore fieri supponit ibid. L. 1. c. 18.

Pro tertio sæculo è Latinis Firmilian. in Ep. ad Cyprian. ubi sic: *Omnis potestas à gratia in Ecclesia Constituta est, ubi præsident Majores natu, qui & baptisandi, & manus imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Hic Confirmatio, quæ Baptismum sequitur, Ordinationemque præcedit, & utrique comparatur, simpliciter designatur per impositionem manûs, utique quia nusquam sinè ipsa conferabatur. Cæteros quos ubertim dabit fusior nostra Theologia, omitto.

Prob. 2. pars de unctione: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica authoritate traditum rectissimè creditur,* ex Aug. atqui prioribus decem æræ christianæ sæculis tenuit Ecclesia Confirmationem unctione perfici. Et quidem è Latinis docent id apertè Tertul. juxta quem *caro ungitur, carnaliter currit unctio;* Cyprianus, quo teste baptisatos *ungi necesse est, ut habere in se gratiam Dei possint;* Optatus Milev. Lib. 7. contra Donatistas, ubi tradit, quòd *oleum animum innovat, & sedem Spiritui S. parat, ut illic libenter inhabitare dignetur.* E Græcis idem adstruunt Patres tùm Laodiceni*, qui Phrigiæ Ecclesiæ praxim indicant; tùm qui Concilio CP. I. interfuere, ibi enim Can. 7. jubetur ungi hæreticos ad Ecclesiam redeuntes *sancto chrismate ad frontem & oculos, & nares, & os & aures;* & signando dici, *Signaculum doni Spiritûs sancti.* Subscribunt Theodoretus, qui L. 4. in Cant. ait Baptisatos *velut sigillum quoddam regium* suscipere *spiritualis unguenti chrisma, recipientes gratiam invisibilem S. Spiritûs unguento tanquam in typo.* Cyrillus Alexand. Comment. in Joel, ubi sic: *Data est nobis seu pluvia, aqua vivens sacri Baptismatis - - - Accessit item usus olei, qui per sacrum Baptisma in Christo justificatis ad consummationem confert.* Ex quibus sic iterùm paucis: Si unctio nonnisi integrans aut accidentalis sit Confirmationis materia, fieri non potuit ut tota Traditio de ea locuta fuerit tanquam de manuum impositione: atqui tamen tota Traditio de unctione prout de impositione manuum locuta est; nec ullum inter utriusque efficaciam ex eadem Traditione discrimen assignari potest. Tribuitur manuum impositioni quòd septiformem Spiritum conferat, quòd baptisatos perficiat, quòd à solis Episcopis fieri possit, &c. idem ubique tribuitur unctioni; ergo periculosum est ne quæ conjùnxit Deus, disjungat homo. Jam

Prob. 3. pars primæ minoris. Ut materiæ, quæ prioribus decem Ecclesiæ sæculis ad Confirmationis essentiam pertinebat,

* *Supr. p. 196. v. 28.*

bat, detrahi nihil potuerit, satis est ut Ecclesia nihil possit in materiam & formam Sacramentorum: atqui ex dictis alibi, &c.

Obj· contra 1. part. 1mo. Si manuum impositio sit Confirmationi essentialis, vel ea quæ unctionem præcedit, vèl ea quæ unctioni annexa videtur, vel utraque simul: atqui non 1. Siquidem nulla est apud Græcos manûs impositio unctioni prævia, ut constat tùm ex eruditorum consensu, tùm ex antiquissimis quibusque & novis eorumdèm Euchologiis. Non 2. tùm quia si quæ requiratur manûs impositio, ea certè de qua locuti sunt Patres: atqui Patres de impositione ab unctionis actu distincta locuti sunt. Sic Tertul. *Caro ungitur - - - Caro signatur - - - Caro manûs impositione adumbratur*; Tùm quia nemo dixerit, hominem qui alium ungit, eidem manus imponere, præsertim si in fronte ungat, non in vertice. Non 3. quia sic quoque nutaret Confirmatio Græcorum, apud quos né una quidem est, nedum duplex impositio manûs; ergo.

Respondent 1mo. aliqui neg. min. pro prima parte, & dicunt impositionem primam, eam scilicet quæ unctionis actionem præcedit, esse Confirmationi essentialem; quia Patres & Concilia de Unctione & impositione tanquam de actibus plenè distinctis sermonem habuisse videntur. Neque, aïunt, obest, Græcorum praxis, 1mo. quia Græci PP. adeo inter confirmandum utebantur explicitâ, si ità loqui licet, manûs impositione, ut vel unctionis ipsius non meminerint, vel eam exprimant uti actionem ab impositione diversam; 2do. Quia etiamnum extant tria Græcorum Euchologia, quorum priora duo 900. annorum sunt postremum annis 600. antiquius est: in iis porrò ubi sermo est de administranda hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus Confirmatione, disertè præcipitur impositio ante unctionem. Quod verò spectat Græcos recentiores, asserit Sambovius, eos in oratione unctioni prævia adhibere manûs impositionem ex antiqua consuetudine, licèt in recentioribus Euchologiis jam non expressa.

Hæc solutio, si qua parte hodiernam Græcorum praxim spectat, vera non est, optandum ut vera fiat. Etsi enim uti mox apparebit, benè defendi potest impositionem ab unctionis actu distinctam haud requiri ad Sacramenti valorem; est tamen ea tantæ in utraque Ecclesia antiquitatis, ut qui eam deesse viderit, quasi invitus pro Sacramenti substantia formidet.

Unde obiter colliges, summoperè curandum in magno chrismandorum concursu, nè quis unctione donetur, nisi præviæ illi manuum impositioni fuerit subjectus. Idque si verum est in eorum sentenia, qui impositionem hanc pro ritu accidentali habent; [cùm ex usu & præcepto Ecclesiæ, quod in Sacramento-

torum ritu incautè omissum est, cautè suppleri debeat, ut patet in Baptismi cæremoniis, quæ in necessitatis casu prætermissæ sunt,] quantò magis verum erit in opinione tot magni nominis Theologorum, qui impositionem istam habent pro essentiali. Quapropter qui Episcopo Confirmanti adsunt, satagere debent, ut, cùm recitanda est prima oratio, cui manuum impositio annexa est, jam præsentes sint animo & corpore, quotquot illicò ungendi sunt; cæteri autem qui è vicinis Parochiis confluunt, extra Ecclesiam foribus occlusis commorentur, donec finitâ ab initio ad finem priori cæremoniâ, nova in ipsorum gratiam à principio inchoetur.

R. 2do. neg. maj. Ad sensum objectionis: quia prima impositio non sic necessaria est ut non possit sufficere secunda, nec secunda sic requiritur, ut si prima solùm posita fuerit, corruat Sacramentum. Unde valeret Confirmatio post recitatam cum impositione sibi annexa orationem etiamsi Episcopus ungeret sinè impositione manûs, putà ope instrumenti cujus applicatio non posset moraliter censeri impositio manûs. A contrario valet Confirmatio apud Græcos etsi fortè primam impositionem, omittant, quia secundam adhibent. Quapropter nihilo plus solida est proposita objectio, quàm quæ, cùm olim trina immersione conferebatur Baptismus, proposita esset in hunc modum: Si ad Baptismum requiratur immersio, vel prima quæ fit cùm enuntiatur nomen Patris: vel secunda, quæ fit cùm profertur nomen Filii, &c. sicut enim non hæc vel illa exclusivè, sed una ex tribus necessaria erat, sic & in præsenti.

Nec nocent quæ opponit Sirmundus. Non 1. quia SS. PP. cùm de bina loquuntur impositione, non magis binam requirunt ad substantiam Confirmationis, quam trinam immersionem ad substantiam Baptismi, cùm de trina sermonem habent, atqui hoc non; ergo nec illud. Et verò Patres sæpiùs de sola unctione, tanquam necessaria Confirmationis materia loquuntur; ergo docent sufficere eidem annexam manûs impositionem.

Non 2. quia, ut scitè notat Bellarmin. hic c. 2. *Ipsa unctio & signatio, cùm manu fiat*, pollice scilicet, ut manus capiti apertiùs imponi possit, *manûs impositio rectissimè dicitur. Unde Marci 7. cùm postulassent quidam ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam & aures ejus.* Concinit id Bedæ in Psal. 26. *Illa unctio quæ per manûs impositionem ab Episcopis fit, & vulgò Confirmatio dicitur.*

Obj. 2do. In utraque Ecclesia Confirmatio per solam unctionem quartò & quintò sæculò collata fuit; ergo & per eandem

dem ſolam unctionem tribus prioribus ſæculis collata fuit. Conſequentia evidens eſt ex citata ſuperiùs Aug. regula. Prob. itaque ant. ex S. Cyrillo qui Catech. 3. hæc habet: *Vobis poſtquam ex aquis ſacris lavacri aſcendiſtis, datum eſt chriſma*, &c. R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. conſeq. non enim magis ex eo quòd Patres multi de ſola unctione loquantur, colligi poteſt excluſam ab iis fuiſſe manûs impoſitionem, quàm ex eo quòd Patres alii pares numero, niſi plures, ſolius impoſitionis manuum meminerint, colligi poſſit excluſam ab iis fuiſſe unctionem: atqui, &c.

Obj. 3tio. Ea ſola admitti debet Confirmationis materia, quam admiſêre R. Pontifices: atqui, unctionem ſolam - - - - Prob. min. 1mo. ex Innocentio III. qui cap. unic. *De ſacra unct.* §. 3. hæc loquitur: *Per frontis chriſmationem manûs impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur.* Ubi cùm frontis chriſmatio ſit illud per quod datur Spiritus S. conſequens eſt eam ſolam eſſe Confirmationis materiam. 2do. Ex Eugen. IV. in Decreto, ubi ſic: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto - - - - loco autem illius manûs impoſitionis* de qua Act. 8. *datur in Eccleſia Confirmatio.* Ecce hic aſſignat Eugenius chriſmationem in materiam Confirmationis: Quis porrò ab eo aſſignatam credat, vel materiam ſolùm accidentalem, vel partialem duntaxat & inadæquatam.

R. ad. 1. neg. min. ad Innoc. III. dico eum non opponere ritum ritui, ſeù chriſmationem impoſitioni manuum, quaſi hæc nunc ſubſtituta ſit in alterius locum, ſed opponere nomen nomini, adeò ut unum hoc dicere velit, nempè Sacramentum quod prioribûs ſæculîs vocabatur impoſitio manuum, poſterioribûs donatum fuiſſe nomine Chriſmationis aut Confirmationis. Hunc eſſe illus ſenſum patet ex cap. 4. *De conſuetudine*, ubi ſic loquitur idem Pontifex: *Sacramentum Confirmationis - - - chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manûs impoſitionem conferre*; ubi non minùs impoſitione manuum, quàm chriſmatione conferri dicitur *Sacramentum Confirmationis.*

Eugenius IV. non loquitur niſi de materia remota, quàm in chriſmate, & quidem meritò reponit: at non ideo negat impoſitionem manûs eſſe proximam Confirm. materiam; imò id ex uſu communi ſupponit, cùm chriſma debeat applicari confirmandis, & vix aliter quàm per manûs impoſitionem applicari queat.

Obj. 4to. Si neceſſaria ſit impoſitio manûs, vel utriuſque vel

vel unius; si unius, vel dextræ, vel sinistræ, atqui nihil horum dici potest, R. neg. min. ad 1. dico satis esse ut una manus imponatur, quia Scriptura plurali vel singulari numerô promiscuè utitur Act. 8. ibi enim v. 17. *Tunc imponebant manus super illos.* & v. 18. *cùm vidisset Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus S.* Ad 2. dico nihil esse in Traditione vel Scriptura unde colligi queat hac potiùs quam illa manu utendum. Dexterâ tamen utendum ex præscripto R. Pontificalis.

Jam cum iis qui unctionem ad Confirmationis substantiam pertinere negant,

Obj. 1mo. Eadem nunc est Confirmationis materia, quæ fuit tempore Apostolorum: atqui horum tempore sola manuum impositio erat materia Confirmationis, non autem unctio, cujus ne vestigium quidem est Act. 8. vel 19. ubi de Confirmatione sermo est; ergo R. ad 1. neg. min. ad 2. 1mo. neg. ant. siquidem id tum Pauli II, Cor. 1, *Qui confirmat nos in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos*, &c. tum Joannis Epist. 1. c. 2. *sed vos unctionem habetis à sancto*, &c. Non de interiori tantùm unctione quæ fit per gratiam, sed de externa quæ fieret per Sacramentum, interpretati sunt Cyrillus Hierosf. Ambrosius, Aug. Theodoretus, &c. ergo non absurdè loquitur, qui unctionem confirmatoriam, è Scripturis erui posse contendit.

R. 2do. neg. conseq. ut enim ex Scripturæ silentio nihil inferri possit contra necessitatem unctionis, duo sufficiunt, 1mo. ut Scriptura multa omittat quæ tamen certissimè facta sunt; 2do. Ut Scripturæ silentium in præsenti negotio, traditionis voce abundè compensetur: atqui utrumque constat. Primum docet & probat Augustinus exemplô Eunuchi, quem S. Lucas narrat Act. 8. baptisatum fuisse à Philippo, statim ut respondit, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.** An igitur fidem solam in Christum ab Eunucho exegit Philippus? neutiquam profectò. Secundum non minùs evidens est, quod ut probem sic progredior: Ecclesia Latina & Græca tertiô & quartô sæculô confirmabat per unctionem, ut patet ex Tertul. Cyprian. Cyril. Hier. &c. ergo & secundô ac primô sæculô per unctionem confirmaverat, cùm ex citata Aug. regula ad Apostolos referri debeat, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum* deprehenditur.

Obj. 2do. Siricius Papa Epist. 1. ad Himerium c. 1. sic loquitur: Arianos *cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs, Episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*;** ergo

* *L. de fid. & oper. c. 9.* ** *385.*

go tunc temporis impoſitio manuum ſola ubique erat Confirmationis materia. R. neg. conſeq. loquitur enim Siricius non de impoſitione ſicca, ſed de impoſitione quæ annexam haberet unctionem. Siquidem de ea impoſitione loquitur Siricius, quam *totus Oriens, Occidenſque* cuſtodiebat; atqui ſicca manuum impoſitio non ſervabatur in Oriente toto vel Occidente, cùm agebatur de ſociandis Catholicorum conventui hæreticis; cùm nuper, id eſt, tribûs antequàm ſcriberet Siricius annis, declaraſſent Patres Concilii generalis II. ſe recipere *Arianos, Macedonianos & Novatianos - - - - ſignatos, ſive unctos ſancto chriſmate:* quæ certè declaratio haud ignota erat Siricio.

At, inquies, ex S. Gregorio Mag. L. 4. Epiſt. 61. *Arianos per impoſitionem manûs Occidens, per unctionem verò ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat*; ergo Gregorii tempore unctio non habebatur in Occidentali Eccleſia ut quid Sacramento eſſentiale. R. neg. conſeq. & dico impoſitionem manuum de qua loquitur S. Gregorius, non excludere unctionem, ſicut hæc viciſſim non excludit impoſitionem manuum: undè hìc nulla eſt oppoſitio rei, ſed nominis ſolùm, quatenus ritus quicum recipiebantur hæretici, apud Occidentales ſexto ſæculo vocabatur impoſitio manûs, unctio verò apud Orientales. Neque id gratìs dictum: 1mo. Enim S. Gregorius manuum impoſitionem Occidentis, & chriſmationem Orientis æqualiter opponit, atqui chriſmatio Orientis non excludebat manuum impoſitionem, ut patet tum ex Can. 8. Concilii Nicæni, tùm ex aliis qui ſuprà citati ſunt Græcis Patribus; ergo nec manûs impoſitio Occidentis excludit unctionem; 2do. Quia ſecum pugnaret Gregorius Mag. ut qui chriſmationem expreſsè admittat in Expoſis. cap. 1. Cant.

Obj. 3tio. Concil. Arauſic. I. Can. 2. ſic habet:* *Nullum Miniſtrorum, qui baptiſandi recepit officium, ſinè chriſmate ùnquam debere progredi; quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem qui in Baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos,* id eſt Epiſcopus, *commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt. Non ut præjudicans quidquam dico, ſed ut* NON *neceſſaria habeatur repetita chriſmatio:* atqui ſi chriſmatio in fronte eſſet neceſſaria ad ſubſtantiam Confirmationis, neceſſum foret ut qui à Presbytero chriſmatus eſt in Baptiſmate, rurſum chriſmaretur ab Epiſcopo in Confirmatione; & ſic neceſſaria haberetur repetita chriſmatio; ergo chriſmatio frontalis non eſt neceſſaria. R. ex hoc textu, qui tot Sirmundum inter & Aurelium jurgia commovit, demendum eſſe parti-

* *An.* 441.

ticulam, *Non*, legendumque, *Ut necessaria habeatur repetita chrismatio*, seù *rechrismatio*, ut alii legunt. Ratio est, quia hæc lectio congruit Codicibus omnibus, queis usi sunt Merlinus, Crabbus, Surius, Binius, Fronto, Ducæus, &c. itèm Codicibus Vaticano Thuano, &c. cùm è contra citati in contrarium à Sirmundo Codices & pauciores sint numero, & vetustate impares. Porrò sic lectus Canon sententiæ nostræ favet.

Obj. 4to. Non constat inter Theologos quæ sit unctionis materia; ergo unctio in materiam Confirmationis assignari non potest. Pro solutione

Not. 1mo. Chrisma (græcè unguentum) apud Latinos ex solis oleo & balsamo, Feria V. Hebdomadæ Sanctæ ab Episcopo benedictis confici; apud Græcos verò è variis aromatibus concoctis.

Not. 2do. Chrisma illud in utraque Ecclesia in modum Crucis applicari; fronti quidem soli apud Latinos; apud Græcos autem auribus insuper, oculis, naribus, ori etiam & pectori. Jam quot verba & ritus, tot hìc exurgunt quæstiones, 1ma. quali utendum oleô ad validitatem Confirmationis; 2da. An eidem balsamum admisceri necesse sit; 3tia. An utrumque ab Episcopo consecratum esse oporteat; 4ta. An fronti applicandum; 5ta. An necessariò per modum Crucis. Sit jam

Conclusio II. Ad substantiam Confirmationis requiritur oleum ex olivis expressum.

Prob. 1mo. Ex praxi Ecclesiæ, quæ prædicto oleo semper usa est, nec usquam legitur dispensasse, ut in iis etiam Regionibus ubi olivera desunt, uti liceret oleô ex nucibus, amigdalisve aut similibus expressô.

Prob. 2do. Ad Unctionem Confirmatoriam requiritur oleum simpliciter, sicut ad Eucharistiam requiritur panis simpliciter; atqui oleum ex olivis, unum est quod propriè & simpliciter olei nomine donari possit, sicut panis ex tritico, &c.

Conclusio III. Oleo prædicto balsamum addi necesse est, non tamen necessitate Sacramenti.

Prob. 1ma. pars: Ut oleo balsamum misceri oporteat, sufficit ut mixtionem hanc, etsi fortè à Christo non præceptam, præcipere potuerit Ecclesia, & de facto præceperit: atqui Ecclesia 1mo. potuit, &c. quia non major ad id requiritur authoritas, quàm ad miscendam vino consecrando aquam; 2do. Id de facto præcepit Ecclesia, ut patet ex universali ejus praxi, eaque Romæ perantiqua. Sic enim labente sæculo VI. loquebatur S. Gregorius Mag. in c. 1. Cant. *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quô dona S. Spiritûs exprimuntur.* Idem habet Ordo Rom. *oleum cum balsamo* misceri præcipiens.

Prob.

Prob. 2. pars. 1mo. Quia opinio contraria, quam tenent SS. Thom. & Bonav. nullô verè gravî momentô innititur, ut ex objectionum solutione patebit; 2do. Quia ut materia quæpiam sit essentialis Sacramento duo necessaria sunt, 1mo. ut instituta fuerit à Christo, 2do. ut instituta fuerit tanquam essentialis: atqui neutrum de balsamo probabiliter dici potest. Non 1. materia enim instituta à Christo, jam ab Ecclesiæ incunabulis ubique Gentium adhibita fuisset, proindeque de ipsa non secùs ac de oleo locuti essent Patres, qui tot præclara de Confirmatione locuti sunt: atqui nullum extat balsami vestigium certum prioribus quinque Ecclesiæ sæculis. Primus omnium disertè de eo meminit Gregorius Magnus in textu superiùs citato, eòque non indubiæ prorsùs fidei; ergo. 2do. multo minùs probari potest balsamum institutum esse, tanquam aliquid Sacramento nostro essentiale; tùm quia ubi deest substantia institutionis, deest à fortiori institutionis modus; tùm quia ex S. Cypr. Epist. 68. aqua ex institutione Christi necessariò miscenda est vino in Calice: at qui tamen aqua ad validam Calicis consecrationem necessaria non est necessitate Sacramenti; ergo.

Obj. 1mo. Chrisma est essentialis Confirmationis materia, atqui Chrisma *ex oleo fit & balsamo*, ut docet post S. Greg. Mag, Innoc. III. cap. unic. *De sacra unct.* R. dist. min. est compositum ex oleo & balsamo ex institutione Ecclesiæ, eaque prioribus sæculis ignota, C. Ex institutione Christi, saltèm prout præceptiva, N. Ut ex Chrismatis nomine nihil inferri valeat, sufficit ut antiqui Patres chrisma vocaverint oleum merum: atqui rem ità esse constat, tùm ex Aug. L. 17. de Civ. c. 10. tùm ex S. Optato Milev. sic ille L. 7. sub finem: *Oleum nominant illum* liquorem *qui ex nomine Christi conditur, quod Chrisma postquam conditum est, nominatur.* Ubi vides oleum non ex alterius liquoris admixtione, sed ex sola benedictione Chrisma nominari.

Obj. 2do. ex Decreto Eugenii IV. *materia* Confirm. *est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo*; ergo. R. dist. ex Eugenio proponente id quod tutius est in praxi, & à quo cavendum erat nè Armeni recederent, C. Ex Eugenio strictè definiente, N. Itaque sapienter Armenis proposuit Eugenius praxim R. Ecclesiæ; præsertim cùm ii jam pridem erroris hac in parte accusarentur: sed nihil præcisè ex instructione ejus qua tali inferri potest, unde constet hoc perinde ac istud esse alicujus Sacramenti materiam. Alioqui enim & Tridentini Patres, ut alibi solent, & Catholici omnes verba ejus uti strictam fidei regulam amplexi essent, neque ab ea quis latum unguem aberrasset, quin statim reclamasset Ecclesia, prout in tanti momenti

mate-

materiis reclamare consvevit: atqui tamen neque de balsamo quidquam statuêre Trid. PP. nec ullam fidei legem hac in parte propositam esse crediderunt Theologi qui post Eugenii tempora vixêre; ergo.

Obj. 3tio. ex Gregorio Turon. Idolorum Sacerdos, qui ob Christiani alicujus præsentiam solita incantamenta perficere non poterat, à Juliano requiri jussit, *quis adesset ablutus, ac balsamo unctus*; ergo. R. Gregorium Tur. Pseudosacerdoti commodasse verba, quæ suo tempore erant in usu; non autem tempore Juliani Apostatæ. Unde Prudentius ex quo historiam hanc deprompsit. Gregorius Tur. de solo Chrismate loquitur, de balsamo neutiquam.

Conclusio IV. Ut licitè administretur Confirmatio, requiritur, saltèm de jure ordinario, Chrisma benedictum, & quidem ab Episcopo.

Prob. 1ma pars de benedictione simpliciter: 1mo. ex Tertul. L. de Bapt. *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione:* quæ verba si unctioni verticali applicarentur, à fortiori locum haberent in Confirmatoria; 2do. ex S. Aug. Tract. 118. in Joan. ubi sic: *Signum Crucis nisi adhibeatur, sivè ipsi aquæ ex qua regenerantur Credentes, sivè oleô quô chrismate unguntur, nihil horum ritè perficitur.* Prob. 2. pars, de benedictione Episcopali, 1mo. ex Concilio Carthag. II. an. 390. ubi sic Can. 3. *Chrismatis confectio & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant*; 2do. ex Innocentio I. Epist. ad Decentium: *Presbyteris*, inquit, *Chrismate baptisatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum.* Idem tradunt innumera pene Concilia.

Prob. 3. pars. Nempè Episcopi benedictionem necessariam esse saltèm de jure ordinario: quod enim simplicibus Presbyteris constanter prohibetur, illud ad minimum de jure ordinario pertinet ad solos Episcopos: atqui, ex textibus modò adductis, Chrismatis confectio simplicibus Presbyteris constanter prohibetur; ergo.

An autem benedictio illa sit Sacramento essentialis, salva fide disputant inter se Theologi. Utut est fatentur plerique simplicem Presbyterum à Papa ad Chrismatis benedictionem deputari posse. Et verò Eugenius ipse qui in Decreto dixerat, concessam aliquando meris Sacerdotibus confirmandi facultatem, ea lege ut *Chrismate per Episcopum confecto* uterentur, Chrismatis tamen conficiendi licentiam fecit simplicibus Religiosis, ut testatur Wading. ad an. 1444. Idem docet Fr. Haroldus in Epitome ad an. 1346. n. 46. ubi hæc habet in terminis: *Potest* ex privilegio Guardianus montis Sion *Confirmationis Sacra-*

cramentum, Pontificalibus indutus conferre, & ipsum Chrisma conficere. Et verò ideo licentiam hanc Presbyteris indulgere non posset S. Pontifex, quia jus divinum potestatem hanc reservaret Episcopis: atqui hæc ratio non concludit. Siquidem ipsius Confirmationis administrandæ potestas divino jure pertinet ad Episcopos, nimirum ut ad ministros ordinarios: atqui ea tamen puris Sacerdotibus committi potest: ut infrà dicemus.

Conclusio V. Unctio Chrismatis debet fieri in fronte, idque ad modum crucis: posterius necessarium esse necessitate Sacramenti non probatur efficaciter; major est difficultas de priori.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Patribus, qui apertè docent unctionem in fronte fieri. Sic S. Cyrillus Cathech. 3. *Fronti illinitur Chrisma* Christi. Innocentius I. Ep. ad Decentium: *Presbyteris* aït, *Chrismate baptisatos ungere licet - - - - non tamen frontem ex eodem oleo signare*, &c. Idem tradunt Concilia, ut Hispalense II. ubi sic: Presbyteris *nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptisatorum frontem signare* licet.

Prob. 2. pars, ex citatis textibus, ubi juxta diuturnam, nec recentem Ecclesiæ praxim, signare idem est ac ungere in modum Crucis.

Prob. 3. pars. Quia nec satis probatur Chrismatis unctionem ab omni ævo factam fuisse in modum Crucis; nec si probari id posset, continuò adstrueretur necessarîum necessitate Sacramenti. Primum hinc conjicio, quòd vox *Signandi* solam quandoque unctionem exprimat. Sic Patres Concilii CP. I. Can. 7. Recipimus, inquiunt Arianos, Macedonianos, &c. *Signatos, sivè unctos primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares*, &c. Ubi signare, nihil aliud est quàm ungere: ungi porrò quis potest, absque eo quòd ungatur per modum Crucis. Secundum non minùs liquet, ritus enim nisi à Christo institutus sit, & quidem ut Sacramento essentialis, non est de necessitate ejusdem Sacramenti: porrò non probatur ritum de quo agimus, à Christo institutum esse, &c.

Prob. 4. pars; Quia si ad substantiam Confirmationis certò requiratur aliqua manûs impositio, nec certò requiratur impositio quæ fit manibus versùs confirmandos extensis; superest ut ad Sacramenti validitatem necessaria statuatur saltèm ea, per quam admota fronti manu frons eadem ungitur: atqui ex probatis suprà, constat 1mo. aliquam manûs impositionem ad substantiam Confirmationis requiri; constat 2do. Non certò requiri eam, quæ apud Latinos fit manibus versùs confirmandos extensis; quandoquidem hæc à pluribus creditur deesse

ſe apud recentiores Græcos, qui tamen validè confirmant: ergo ſupereſt, &c. Unde ſi Epiſcopus quopiam inſtrumento, non ipſa manu frontem ungeret, tolleretur Sacramentum. Nec refert quod etiam tunc verificaretur forma hæc, *Signo te*, &c. quia ea etiam verificaretur, etiamſi quis in ſolo pedis digito ungeretur; & tamen nemo eſt qui unctionem hanc ſufficere incunctanter pronuntiet.

CAPUT TERTIUM.

De forma Confirmationis.

QUi Confirmationis materiam in unctione ſola reponunt, formam ejus in his quæ unctionem comitantur, reponunt verbis, apud Græcos quidem: *Signaculum doni Spiritûs ſancti*, ubi juxta linguæ genium ſubauditur, *Ecce*, vel *Tibi datur*: apud Latinos verò: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis: In nomine Patris*, &c.

E contrà; qui ejuſdem Sacramenti materiam in ſola manuum impoſitione conſtituunt, formam ejus collocant in ſola oratione quam profert Epiſcopus, cùm Neophytis univerſis manus imponens, Spiritum ſanctum ad robur invocat. Demum qui duplicem admittunt materiam, primam ſcilicet impoſitionem manuum & unctionem, ii vulgò & orationem primæ manuum impoſitioni annexam, & indicativa hæc verba: *Signo te*, &c. adæquatam eſſe Confirmationis formam contendunt, adeò ut ſublata alterutra careat Sacramentum aliquo eſſentiali.

Conclusio. Oratio quæ præcedit unctionem, & verba quæ eandem unctionem comitantur, ſunt apud Latinos, ſicut & apud Græcos totalis & adæquata Confirmationis forma.

Prob. 1. pars de oratione unctioni prævia. Illud pro eſſentiali forma haberi debet, quod ab apoſtolis accepit Eccleſia, quòdque conſtanti uſu in Cõfirmatione adhibuit ut collativum Spiritûs ad robur: atqui talis eſt oratio unctioni prævia: 1mo. quidem hanc uſurparunt Apoſtoli: ſiquidem ex Act. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S. Tunc imponebant ſuper eos manus & accipiebant Spiritum S.* atqui hic orationis nomine non indicativus ſermo, ſed deprecatorius intelligi omninò debet; id enim ſonat orationis nomen; ergo 2do. orationem hanc perpetuo uſu adhibuit Eccleſia ut collativam Spiritûs ſancti. Patet id ex Cypriano Epiſt. 73. *Qui in Eccleſia baptiſantur, præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, ut* PER *noſtram orationem ac manûs impoſitionem Spiritum S. conſequantur*, Ambroſio L. 3. de Sacram. cap. 2. *Poſt fontem*

tem, seu Baptismum, *superest ut perfectio fiat* per Confirmationem; *QUANDO AD INVOCATIONEM Spiritus S. infunditur.* His certè aliisque qui geminari possent textibus, eadem orationi tribuitur efficacia, quæ impositioni manuum: atqui hanc essentialem esse multò probabilius est, ex dictis; ergo & illam.

Prob. 2. pars. Ut verba quæ unctionem comitantur, haberi debeant pro forma Confirm. duo sufficiunt, 1mo. ut legitimè judicetur eadem, vel æquivalentia ab Apostolis ad nos usque descendisse; 2do. Ut contrarium ex priorum Patrum silentio deduci non possit: atqui - - 1mo.legitimè judicatur, prædicta verba ab Apostolis ad nos usque descendisse. Siquidem verba hæc ex eruditorum omnium consensu, apud Latinos VIII. sæculo recitabantur ut partialis forma Confirmationis; apud Græcos verò jam à quarto sæculo; ergo & eadem verba, utpotè quæ nec ullo à Pontifice, nec ab ullo Concilio instituta legantur, Sacramenti hujus forma erant superioribus sæculis, juxta citatam Aug. regulam, quæ ad Apostolos refert quidquid ubique frequentatum, à nullo legitur institutum Concilio. Ecquis Episcopus alio ritu quempiam confirmare ausus esset, quàm quo vel ipse fuerat confirmatus, vel alios viderat confirmari?

2do. Nec quidquam in contrarium ex priorum Patrum silentio colligi potest: Tum quia Patribus, præsertim Latinis, de quibus hic gravior est quæstio, suprà modum curæ erat nè Sacramentorum formas propalarent; prout demonstrat id Innoc. I. Epist. 1. ad Decent. c. 3. & 8. ubi de Confirmatione & morientium unctione loquens: *Verba*, inquit: *dicere non possum, nè magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere*; tùm quia non magis ex silentio Patrum concludi potest verba hæc, *Confirmo te*, &c. haud pertinere ad substantiam Confirmationis, quàm ex eo quòd apud ipsos totis quinque prioribus sæculis, imò & totô ferè sæculô sextô, altum fuerit silentium de hac Baptismi forma, *Ego baptiso te in nomine Patris*, colligi possit nullum ejusdem formulæ usum fuisse in Ecclesia ante sæculum sextum: atqui postremum hoc nemo colliget.

Obj. contra 1. part. 1mo. Eugenii Decretum, ubi tota Confirmationis forma in iis constituitur verbis: *Signo te signo Crucis*, &c. citra ullam orationis mentionem; ergo non est essentialis. R. neg. conseq. Sicut enim materia Sacerdotii, non in sola instrumentorum traditione reponenda est, etsi hujus solius meminerit Eugenii Decretum; sic nec Confirmationis forma in iis solùm verbis locanda est, quæ unctionem comitantur.

Obj. 2do. In eo non consistit forma Confirmationis, quo prætermisso, reliquis verò positis, habetur tota Confirm. essentia: atqui prætermissa oratione - - - - prob. min. Ad essentiam Confirm. sufficit unctio ad significationem sacramentalem sufficienter determinata: atqui unctio per hæc verba, *Signaculum*, &c. apud Græcos, & *Signo te*, &c. apud Latinos, sufficienter elevatur, sicut aqua in Baptismo per isthæc, *Ego te baptiso*, &c. R. ad 1. & 2. neg. min. & dico unctionem non determinari ad esse Sacramentale nisi eo ordine & ritu quem præscripserit Christus; ex dictis autem constare, Christum voluisse ut unctionem præcedat oratio. Nec mirum si res aliter se habeant in Baptismo; quia in materia Sacramentorum tota facti ratio, est voluntas facientis.

Obj. contra 2. part. Verba, quæ ante VIII. sæculum non fuerunt in usu, non possunt assignari in formam Confirmationis: atqui verba hæc *Signo te*, &c. vel *Signaculum*, &c. non fuerunt in usu, &c. Prob. min. Ideo, juxta nos, balsamum non fuit in usu, per priora quinque Ecclesiæ sæcula, quia nullum ejus apud hujus temporis Patres extat vestigium: atqui pariter nullum est vestigium formulæ hujus, *Signo te*, &c. quæ primùm apparet in Ordine Romano. Quin & eam exclusêre PP. 1mo. enim Sacramentarium S. Gregorii omnia explicans, etiam minima, quæ ad Sacramentum pertinent, excludit quod non includit: atqui nec verba hæc, *Signo te*, nec quidpiam his æquivalens includit; ergo censendum est excludere; 2do. verba, *Signo te*, æquivalent his Græcorum verbis *Signaculum*, &c. atqui hæc verba non possunt esse forma Confirmationis. Ex concessis enim curæ erat Patribus, ut Sacramentorum formas minimè propalarent: atqui forma, *Signaculum*, &c. propalata est à Patribus Concilii CP. I. ergo R. ad 1. neg. min. Ad 2. 1mo. neg. maj. non enim ideo præcisè negavimus balsamum pertinere ad substantiam Confirmationis, quia nulla ejus mentio facta fuerit prioribus quinque Ecclesiæ sæculis; sed quia nulla facta sit ejus mentio, cùm tam facile esset de eo loqui, quàm de oleo, cujus Patres perpetuò meminêre. Ut ergo Patrum silentium de forma Confirmationis tutò objicere possint adversarii, necessum est ut probent, Sacramentorum formam non minùs à SS. Doctoribus, quàm materiam probandi potuisse. Id autem pro Ecclesia Latina nusquam probabunt, cùm directè obsistat lex silentii, quàm indubiè à Decessoribus suis acceperat Innocentius I. & quam ad Successores transmisit servandam, donec oppressâ idololatriâ nihil jam sibi metuendum haberet religio.

Confirm. Constat Episcopos unà cum manuum impositione ali-

aliquam recitasse orationem, eamque in nullo eorum Opere reperiri. Quis porrò inde concludat, nullam apud eos in usu fuisse orationem fixam & determinatam? Imò unumquemque Episcopum toties alia usum fuisse oratione, quoties Confirmationem dabat?

Confirm. 2do. Quia si paulò vividiùs urgeantur negativa Juenini argumenta, periculum est nè & ipsa Baptismi forma subvertatur. Primus enim omnium Gregorius M. exeunte sexto sæculo scripsit, hanc in istis consistere verbis: *Ego baptiso te*, &c. Quis verò hanc tunc temporis pro nutu fictam esse crediderit?

2do. Neg. min. Siquidem verba hæc, *Signo te*, idem sunt quò ad sensum cùm verbis, *Signaculum*, &c. quibus utuntur Græci: atqui verba isthæc erant in usu Concilii II. Generalis tempore, imò & anteà; cùm proponantur, non ut novum quid, sed ut forma pronuntiari consueta; ergo.

Ad 3. neg. maj. Ut quæ falsò supponat S. Gregorium minima quæque ad Confirmationem spectantia explicare. Qui enim textum ejus legerit, statim inquiret, quo fine Diaconi Confirmandorum nomina sigillatim interrogarent: nec aliam facti hujus rationem deprehendet, nisi quòd nomen hoc pronuntiaturus erat Episcopus cum verbis quæ tradere noluit S. Pontifex, sicut nec tradere voluerat Innocentius I.

Si quæres cur S. Gregorius, qui deprecatoriam formam edidit, suppresserit formam indicativam, quæ juxta nos erat in usu: Quæram ego cur Patres CP. Deprecatoriam formam suppresserint, eamque ediderint solam, quæ indicativa est.

Ad 4. neg. min. Erat quidem summa Latinis Patribus cura, nè Sacramentorum formas evulgarent, sed probari non potest legem hanc semper viguisse apud Græcos. Eam quidem tradit Dionysius vulgò Areopagita: verùm ut inde quidpiam colligatur, probandum erit, 1mo. Opera quæ sub Dionysii nomine circumferuntur, esse Areopagitæ; 2do. Eadem hæc opera CP. Patribus nota fuisse; 3tio. Eosdem credidisse prohibitum toti Concilio sub finem sæculi IV. id quod sibi nascente Ecclesia, & undecumque seù à Judæis, seu à Gentilibus impetita, prohibitum crediderat Dionysius: hæc porrò quis probet?

CAPUT QUARTUM.

De Ministro Confirmationis.

MInister Sacramenti duplex, *ordinarius* alter, qui ex sua ordinatione habet completam Sacramenti validè conferendi

rendi potestatem, seù potestas illa superiori authoritate ligari possit, ut in Pœnitentia respectu ipsius etiam Episcopi ligari potest; seù non possit. Alter *extraordinarius*, qui virtute Ordinis sui habet aliquam Sacramenti conficiendi potestatem, sed quæ nisi per commissionem ab authoritate legitima datam compleatur, non potest exerceri, vel licitè ut in solemni Baptismo respectu Diaconi, vel validè. His præmissis, sit

Conclusio I. Solus Episcopus ex institutione divina ordinarius est Confirmationis Minister.

Prob. 1mo. ex Act. 19. ubi Paulus eos qui ab aliis baptisati erant, per semetipsum confirmat, quo tempore non deerant Presbyteri, ut patet ex Act. 15. v. 2. atqui vix ulla facti hujus reddi potest ratio, nisi quod Presbyteri saltèm præsentibus Episcopis Confirmationem non darent.

Prob. 2do. Ex selectis aliquot Patrum textibus. Cyprianus Epist. 73. adducto Act. 8. testimonio, pergit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offeruntur, & per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum S. consequantur,* &c. atqui eo loci, ut sæpius apud Cyprianum, Præpositi sunt Episcopi; tum quia simpliciter & sinè additamento vocantur *Præpositi Ecclesiæ*, quod solis Episcopis competit, præsertim in stylo Cypriani, tùm quia Præpositi, de quibus S. Martyr, æquiparantur Petro & Joanni, qui sanè Episcopi erant, &c. Anonymus Cypriani impugnator ait *per manûs impositionem Episcopi* solius *Spiritum S. consuesse præstari.* Concilium Illiberit. Can. 77. *Episcopus eos per benedictionem*, seù, ut dicitur Can. 38. *per manûs impositionem, perficere debebit.* S. Chrysost. in c. 8. Act. *Hoc erat in Apostolis singulare*, quòd manus imponendo Spiritum S. largirentur: *unde & Præcipuos & non alios videmus hoc facere*; ergo Præpositi soli, seù Episcopi Ministri sunt ordinarii Confirmationis. Meritò igitur Synodus Trid. Sess. 7. Can. 3. de Confirmatione, ait: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Accedit ratio congrua duplex: Ima. Confirmatio quoddam est complementum, & perfectio Baptismi, ut aiunt PP. atqui perficere pertinet ad Episcopos, quorum ordo est & vocatur *Perficientium.* Secunda. Per Confirmationem adscribitur quis militiæ Christi sicut per Baptismum adscribitur ejusdem familiæ: atqui adscribere hominem militiæ non pertinet nisi ad Duces & belli Præfectos.

Obj. 1mo. Ananias Paulo manus imposuit, ut impleretur Spiritu S. Act. 9. v. 17. atqui tamen Ananias Episcopus non erat; ergo. R. 1mo.

R. 1mo. Incertam esse Ananiæ conditionem; Augustinus, fortè omnium unus, subindicat eum fuisse Episcopum: plerique verò interpretes nequidem eum habent pro Presbytero, quod multò probabilius videtur. Ut ut est, si Episcopus fuit Ananias, nihil probant adversarii; si nequidem Sacerdos fuit, plus probant quàm velint.

R. 2do. dist. maj. Ananias Saulo imposuit manus, ut impleretur Spiritu S. per Baptismum, vel post Baptismum, C. ut impleretur - - - - vi ipsius manuum Ananiæ impositionis, N. Paulus enim necdum baptisatus erat, ut patet ex contextu: atqui homo necdum baptisatus non poterat confirmari; ergo impositio manuum de qua loquitur sacer textus, non erat confirmatoria, sed partim visûs & sanitatis collativa (secundùm id Marci 16. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*) partim ad Baptismum præparatoria.

Obj. 2do. quod ad Episcopos non pertinet nisi ex *novellis legibus*, id utique iisdem vi humanæ, non autem divinæ institutionis reservatum est: atqui ex Concilio Hispalensi II. cap. 7. Confirmatio, & chrismatis confectio non pertinet ad Episcopos, &c. R. dist. min. Confirmatio pertinet ad Episcopos ex novellis legibus, id est, ex legibus à Christo latis in lege nova, C. id est, ex legibus purè humanis, N. Solutionis veritas ex objecti textûs serie manifesta evadet. Sic ibi: *Quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum - - - - consecratio.* Unde sic: Novellæ regulæ quæ prohibuerunt nè Presbyteri fidelibus baptisatis manus imponerent, eæ ipsæ sunt quæ iisdem prohibuerunt nè Diaconos & Presbyteros consecrarent; atqui non aliæ quàm novi ipsius Testamenti regulæ postremum hoc prohibuerunt; ergo.

Obj. 3tio. Hieron. Dial. adv. Lucif. c. 4. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptisati sunt, Episcopus ad invocationem S. Spiritûs manum impositurus excurrat. Sed quale est ut* LEGES ECCLESIÆ *ad hæresim transferas - - - - & multis in locis id factitatum reperimus, ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legem necessitatis.* Ex iis sic: Quod ex consuetudine & legibus Ecclesiæ pendet, in ordinationem divinam refundi non potest: atqui quòd Episcopus manum imponat iis qui baptisati sunt à Presbyteris, &c. R. dist. min: quòd Episcopus solus baptisatis manum imponat, pendet à consuetudine & legibus Ecclesiæ, quatenus posset Ecclesia permittere Presbyteris ut manus imponerent baptisatis, de quo Concl. seq. C. quatenus parem ea de re, sibique

bique omnino communem cum Episcopis potentiam habent Presbyteri, N. Sic enim continenter pergit S. Doctor: *Disce hanc observationem*, seù morem quo Episcopus solus manum imponit, *ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit.*

Ergo, inquies, quòd Episcopus solus confirmet, magis pertinet *ad legem necessitatis*, quàm *ad honorem Sacerdotii*; quòd repugnat Hieronymo. R. neg. sequelam. Stat enim & manûs impositionem ex divina lege quadantenus propriam dici Episcoporum, & id tamen fuisse constitutum magis ad honorem Sacerdotii, quàm propter legem necessitatis: 1mo. quia Christus, qui instituere poterat ut Presbyteri passim confirmarent, sicut passim baptisant, voluit, ut honoraret Episcopos, instituere ut ii soli ordinariè confirmarent; 2do. quia Confirmatio non est absolutè ad salutem necessaria; ergo qui eam instituit Christus ut à solis Episcopis ordinariè conferendam, magis aliquo sensu respexit *honorem Sacerdotii*, quàm *legem necessitatis.*

Inst. ex Hieron. Epist. 101. *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* atqui posita nostra responsione quædam præter Ordinationem faceret Episcopus, quæ non faceret Presbyter; ergo. R. dist. maj. & hæc Hieronymi propositio morali quodam sensu intelligenda est, C. & intelligi debet in rigore metaphysico, N. Retundit ea in Epistola S. Doctor superbiam Diaconorum, qui temerario fastu æquabant se Sacerdotibus. Id ut præstet, totus est in commendanda Sacerdotum dignitate, nec multùm sollicitus ea enumerare in quibus sunt Episcopi inferiores. Quapropter vocula, *Quid facit*, &c. hunc in ore hominis subirati habet sensum: Auderis vos, Diaconi, exæquare Sacerdotibus, an ergo nescitis id eos pene posse quod Episcopi. Ecquid tam magnum, excepta Ordinatione, faciat Presbyter. Baptisat Episcopus, ligat, solvit, consecrat; hæc facit Presbyter: quin & ambo manus baptisatis imponunt, ille quidem ut ordinarius Minister, iste ut extraordinarius. Erant tamen multa tunc solis Episcopis reservata, ut Altarium consecratio, &c.

Obj. 4to. S. Gregorius M. Ep. 26. ad Presbyteros Sardos sic scripsit an. 594. *Pervenit ad nos quosdam scandalisatos fuisse, quòd Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos qui baptisati sunt, prohibuimus: Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptisatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Hic tria habes, 1mo. permisisse S. Gregorium ut Sardi Pres-

by-

byteri Confirmationem darent; 2do. Id ab ipso antea prohibitum fuisse, non quia adversum verbo Dei scripto vel tradito, sed quia contrarium *Ecclesiæ suæ* usui; 3tio. & id proin cæterarum Ecclesiarum praxi contrarium non fuisse; neque enim R. duntaxat, sed & cæterarum Ecclesiarum consuetudinem Sardis objecisset doctus & sagax Pontifex; ergo confirmandi potestas solis Episcopis jure divino non reservatur. R. neg. ant. pro 2. & 3. part. qui enim Ecclesiæ suæ usum commendat, non idcirco negat usum hunc & Scripturâ niti & Traditione: neque qui R. solius Ecclesiæ praxim exhibet, ideò supponit adversam huic esse aliarum Ecclesiarum consuetudinem. Et verò vir egregiè peritus, qualem fuisse Gregorium nemo diffitebitur, nec Decessorum suorum Statuta, nec Conciliorum quæ invicinis sibi Regionibus coguntur, decreta ignorat. Atqui Statuta Pontificum qui ante Gregorium vixerant; præsertim verò Innoc. I. Ep. ad Decent. factam Presbyteris Chrismandi prohibitionem, non à simplici Ecclesiæ alicujus usu, sed à constanti Traditione, atque Apostolorum praxi repetebant; idemque & iisdem de causis sanciebant diversa, quæ ante Gregorii tempus, & ipsius tempore celebrabantur Concilia. Ideò igitur solius R. Ecclesiæ praxim adducit Gregorius; quia in re ad Sacramenta graviter spectante, non alia est hujus Ecclesiæ praxis, quàm quæ fuit ab initio: quia Ecclesiæ huic, ut cæterarum matri, obsequi solent Ecclesiæ aliæ, præsertim Occidentales: quia denique, feris & penè disciplinæ impatientibus Sardiniæ Presbyteris indulgendum erat: neque mortalium mitissimo Gregorio è re videbatur, ut plena obruerentur luce, qui lucis scintillam ferre non poterant.

Obj. 5to. Græcos PP. quorum instar sit S. Chrysost. Homil. 11. in cap. 1. ad Timoth. ubi hæc: *Inter Episcopum & Presbyterum interest fermè nihil - - - - sola quippe Ordinatione superiores* Presbyteris *sunt* Episcopi: *atque hoc tantùm plus quàm Presbyteri habere videntur*; ergo. R. neg. conseq. vox enim *ordinatione* in textu Chrysostomi vel passivè sumitur, pro ipsius Episcopi ordinatione, vel activè, pro ea quàm habet alios ordinandi potestate. Si 1. sensus est Episcopum præ Sacerdotibus nihil habere quàm consecrationem sibi propriam, & proinde ab eadem consecratione profluunt, ut potestatem confirmandi, Sacerdotes inaugurandi, &c. Si 2. sensus erit, posse, dempta Ordinatione, Presbyterum quidquid potest Episcopus, non tamen in eodem gradu, aut jure æquè ordinario. Unde Episcopus qua talis, solvere & ligare potest in interiori & exteriori foro, non Presbyter qua talis. Episcopus itèm jure proprio confirmat, id quidem potest Presbyter, sed ex delegatione;

ne; cujus quidem nullum, Chrysostomi ævô, quoad Presbyteros erat exemplum.

Obj. 6to. Momenta duo Theologica: I. Qui plus facit, potest & minus: atqui Sacerdos panem consecrat, quòd longè majus est. II. Presbyteri succedunt Apostolis, sicut Episcopi; ergo ut & illi confirmare possunt.

R. ad 1. neg. maj. quia in his sola Christi voluntas spectari debet: at noluit is ut qui plus potest, minus posset præsertim in genere diverso.

Ad 2. dist. Presbyteri succedunt Apostolis ut Christianis & Sacerdotibus, C. ut summis Sacerdotibus, N. porrò Apostolos non ut Sacerdotes, sed ut summos Sacerdotes manus imposuisse probant quæcumque suprà congessimus argumenta.

Conclusio II. Possunt simplices Presbyteri ex delegatione administrare Confirmat. Sacramentum, cujus proinde Ministri sunt extraordinarii. Ità S. Thomas & cum eo plerique Doctores.

Prob. 1mo. Ex adductis suprà Hieron. & Chrysostomi textibus, ubi dempta Ordinatione potest Presbyter quidquid & Episcopus. Si enim res ità sit, necessum est ut Presbyter confirmare possit: atqui id non potest jure ordinario, ex probatis; ergo superest, &c.

Prob. 2do. ex Gregorio M. Qui quod ante negaverat Calaritanis Presbyteris, concedit tandem Ep. 26. nimirum, *ut ubi Episcopi desunt, etiam in frontibus baptisatos Chrismate tangere debeant*; ergo.

Prob. 3tio. ex Eugenii Decreto, quod postquam dixit, *solum Episcopum ordinarium esse Confirmationis Ministrum*, sic pergit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*; quibus verbis inter alia indicatur factum S. Gregorii, & dubio procul approbatur. Et certè hoc in puncto dispensarunt Eugenius ipse, Nicolaus IV. Urbanus V. Leo X. referente Pallavicino, L. 9. Historiæ Trid. c. 7. Quis verò tot Pontifices, terminos à Patribus suis positos transiliisse putet?

Prob. 4to. Si Presbyter, extraordinarius Confirmationis Minister esse nequit, non valet Confirmatio apud Græcos; cùm ibi penè semper confirment Presbyteri, rarissimè Præsules: atqui tamen valet: 1mo. Quia Græcos in hæresi confirmatos, denuò, cùm ad fidem redeunt, non confirmat Ecclesia. R. 2do. Quia etsi indubiè Latinis Patribus nota erat Græcorum Presbyterum praxis, ab iis improbata non est, ut essentialiter mala; imò Latini

tini ea de re nonnihil conquerentibus, à Græcis satisfactum est, iique *ab Orthodoxis Orthodoxi* habiti sunt, prout adversùs Marci Ephesini Epistolam testatur Greg. Protosyncellus, qui tanquam Alex. Patriarchæ Legatus Flor. Concilio interfuerat.

Obj. 1mo. Opinio nostra reprobata est, 1mo. à Conciliis Illiberitano, Arelatensi III. &c. ubi Confirmandi munus *haud licere Presbyteris*, sed *solis Apostolis, eorumque successoribus* competere declaratur; 2do. à Nicolao I. qui Confirmationem à Græcis Sacerdotibus datam, prorsùs irritam declaravit in Ep. 70. ad Hincmarum, unde & Bulgaros ab iis Confirmatos denuò confirmari voluit; 3tio. ab Innoc. III. qui in Ep. ad Lucium, suum CP. Vicarium, vetuit nè Confirmatio à Presbyteris daretur etiam in casu necessitatis; ergo. R. ad 1. neg. ant. qui enim confirmandi facultatem hanc quandoque Presbyteris impertiêre, haud crediderunt eam sibi incommutabiliter esse propriam; sed ea lege sibi concessam à Christo, ut hanc aliquando partiri possent cum Presbyteris: atqui ex probatis, &c.

Nec obsunt, 1mo. Concilia ex quibus sequitur haud quidem licere Presbyteris, ut ex proprio nutu, & velut ordinarii Ministri confirment, non verò eos ad id muneris non posse delegari.

2do. Nicolaus I. Eo enim ipso quòd delegari ab Episcopo debet simplex Sacerdos ut validè confirmet, necessum est ut Confirmationes citra legitimam delegationem datæ se ipsis corruant: atqui Photiani Presbyteri de quibus conqueritur Nicolaus I. Bulgaros confirmaverant citra legitimam delegationem; cùm & nullum in Bulgaria jus haberet Photius, nec ibi proin quempiam delegare posset; & idem Photius, utpotè jam depositus nullam etiam in Diœcesi CP. Jurisdictionem servaret, nec ex consequenti ullam Presbyteris, & multominùs Presbyteris, qui secum excommunicati erant, ubivis largiri valeret; ergo non minùs irrita fuit Confirmatio data Bulgaris, quàm quæ iis data fuisset absolutio in Tribunali Pœnitentiæ.

3tio. Nec obest Innoc. III. Hujus enim Decretum spectat solùm Presbyteros Latinos, ut expresse habent hodiernæ quæcumque editiones, ad melioris fidei codices adornatæ; & hinc probabilissimum efficitur, quod Latini ea ætate plures CP. regerent Ecclesias; unde illud nobis in probationem vergit, quia tacitè approbat in Græcis, id quod solum à Latinis contra Ecclesiæ suæ morem fieri prohibet.

Inst. Si Photius ipse tametsi depositus, in Bulgaria quantumvis sibi minimè subjectâ confirmasset, valuissent Confirmationes ab eo datæ; ergo & valere debuissent quæ datæ erant à Photianis Presbyteris, si Presbyteri ad id delegari potuissent.

R. neg. conseq. disparitas est quòd Episcopus ex divina insti-

ſtitutione completam habet ut ordinandi ſic & confirmandi poteſtatem, quæ ab omni juriſdictione independens eſt: contra verò Sacerdos incompletam tantùm confirmandi poteſtatem, quam Canonica delegatione perfici neceſſe eſt: atqui delegatio hæc nec ab Epiſcopo depoſito, nec á non depoſito in aliena Diœceſi committi poteſt; ergo ſtat valere id quod ſit ab Epiſcopo; etſi non valeat quod in pari caſu fit à ſimplici Presbytero.

Obj. 2do. Nihil ex facto Gregorii M. in cauſa Sardorum concludi poteſt, niſi conſtet hic agi de Confirmatione: atqui non conſtat, 1mo. quia alioqui S. Gregorius Confirmationes hactenùs datas à Sardis Presbyteris, irritas declaraſſet, né tanto Sacramento privarentur qui ipſum invalidè receperant; quòd nè inſinuavit quidem; 2do. Quia licentia confirmandi, ſi dari poſſet Presbyteris, non poſſet niſi gravibus de cauſis: nullas porrò tales habebat Gregorius. An enim tumultuoſi Sardorum clamores, ſufficiens erant cedendi ratio?

R. ad 1. neg. min. Gregorium enim loqui de Confirmatione evincit Epiſtolæ textus, in quo agitur de frontis conſignatione, eaque Epiſcopis reſervata. Ii enim ſunt characteres Confirmationis; nec ullibi reperire eſt conſignationem hujuſmodi, quæ ſecundùm conſtantem R. Eccleſiæ uſum à ſolo Epiſcopo in fronte recèns baptiſati fieret, & non eſſet Confirmatio.

Ad 2. Gregorius Confirmationes hactenus datas à Sardis non declaravit irritas; tùm quia ediſcere potuit conſuetudinem Sardorum ab authoritate probabili incœpiſſe; tùm quia credere potuit ſatius eſſe haud turbari multitudinem pro Sacramento, quod abſolutè neceſſarium non eſt ad ſalutem, quàm vel populos, qui ſibi in re gravi illuſum judicaſſent, armare contra Sacerdotes; vel Sacerdotibus moroſi ingenii anſam fremitus, forteque & defectionis præbere. Unde colligere eſt non defuiſſe Gregorio graviſſimas cauſas id permittendi Sardis Presbyteris, quòd ſi tuliſſet temporum & ingeniorum ratio, prohibere voluiſſet.

Obj. 3tio. vel ex Concilio Florent. nihil inferri poteſt, vel inferendum Presbyteros eſſe ordinarios Confirm. Miniſtros: cùm in Græciâ Presbyteri ordinariè, imò quotidiè confirment. R. neg. ſequelam. Neque enim dicitur quis ordinarius aut extraordinarius Sacramenti Miniſter, quia Sacramentum hoc ordinariè vel raròadminiſtrat; ſed quia ex inſtitutione divina habet, vel non habet completam ejus conferendi potentiam. Sic Epiſcopus, etſi raro hodiè baptiſat, vel confeſſiones excipit, ordinarius eſt utriuſque Sacramenti Miniſter, non autem Diaconus,

conus, vel Sacerdos, etsi prior frequens baptisaret, posterior verò confessiones quotidie excipiat.

Quæres 1mo. Quis Presbytero confirmandi licentiam dare possit. R. Id posse non modò Papam pro Ecclesia, si id exigeret ejusdem Ecclesiæ bonum, sed & Synodum Provincialem pro territorio Provinciæ, & Episcopum pro Diœcesi, nisi concessio hæc R. Pontifici consuetudine reservata esset. Ità Theologi & Canonistæ plures apud Arcud. Lib. 2. cap. 25.

Quæres 2do. An de fide sit Sacerdotem esse extraordinarium Confirmationis Ministrum. R. negat. Id enim neque colligi potest ex Eugenii Decreto tùm quòd in eo traduntur multa, quæ ad fidem non pertinent; tùm quòd ibid. decernatur Episcopum esse ordinarium Ministrum Consecrationis Presbyteri & Diaconi; nec tamen inde quis meritò deducat simplicem Sacerdotem ejusdem Consecrationis Ministrum extraordinarium esse. Neque ex Trid. quod dixit quidem, Episcopum Sacramenti hujus *ordinarium* esse *Ministrum*, sed de extraordinario, quem una vòcula designare poterat, altum siluit. Mihi tamen adeò gravia videntur partis affirmantis momenta, illud potissimùm, quòd ex inita Florentiæ Latinos inter & Græcos concordia desumitur, ut qui secus senserit, vix à temeritatis labe excusari posse videatur.

De validitate Confirmationis ab hæreticis datæ adi fùsiorem nostram Theologiam.

CAPUT QUINTUM.

De subjecto Confirmationis.

Hic subjectum confirmationis, ætatem qua, & dispositiones quibuscum recipienda sit, investigamus.

Conclusio I. Solus & omnis homo baptisatus est subjectum capax Confirmationis.

Prob. 1. pars, tùm quia Baptismus est cæterorum Sacramentorum janua; tùm quia *se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem*: atqui *nullus potest promoveri in ætatem perfectam nisi primò fuerit natus*; ergo *si aliquis non baptisatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iteratò ipsum confirmare post Baptismum.* *

Obj. Act. 4. *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus super* Cornelium & *omnes qui audiebant verbum*; unde illicò loquebantur *linguis*; & postea *jussit* Petrus *eos baptisari*; ergo pari ratione potest quis confirmari necdum baptisatus.

* S. Thom.

R. neg.

R. neg. consеq. Cornelius enim & alii effectum quidem Sacramenti recepêre, *quia virtus divina non est alligata Sacramentis*;* at ipsum non recepêre Sacramentum. Neque si accepissent, liceret hinc à pari discurrere; quia quæ per miraculum fiunt, ad argumentum trahi non debent.

Prob. 2. pars. Si viatorum aliqui essent Confirmationis incapaces, vel pueri, vel perpetuò amentes, vel energumeni: atqui - - - - Non infantes; quia constat eos per 12. sæcula in utraque Ecclesia Confirmationem recepisse cum Baptismo, quando aderat Episcopus. Non perpetuò amentes, quia & ipsi non minùs crescere & perfici in gratia possunt, quàm spiritualiter regenerari. Non energumeni, positis ponendis de quibus infrà; tùm quia hic vigent rationes hactenus allatæ; tùm quia pluribus historiis fide dignis constat, plerosque ex ipsis hujus susceptione Sacramenti curatus fuisse, quod & de puero lunatico refert S. Bernardus in vita S. Malachiæ.

Conclusio II. Circa ætatem qua suscipienda sit Confirmatio, nulla est lex universim obligans.

Prob. Quia apud Græcos hodiedum datur infantibus Confirmatio juxta antiquum utriusque Ecclesiæ usum, idque sciente & olim approbante Sede Apostolica. Apud Latinos autem judicarunt plures Synodi *convenientius & utilius esse, si infans*, ut confirmetur, *suprà septimum ætatis annum progressus fuerit, ut ea quæ aguntur intelligat.* Ità Coloniensis an. 1536. &c. Unde hic vigere debet istud Aug. Epist. 36. aliás 86. c. 2. *In his rebus, in quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt.*

Conclusio III. Ad licitam & fructuosam Confirmationis receptionem quædam ex parte corporis, & ex parte animæ requiruntur vel ex decentia, vel stricto jure.

Prob. 1. pars, 1mo. Quia admodùm expedit ut si Confirmatio mane administretur, sicut datur á jejuno, sic & recipiatur á jejunis; quæ consuetudo tam rigorosè olim servabatur, ut lactantes etiam infantes ad vesperam usque jejunarent, ut post Baptismum confirmarentur.

2do. Et id etiam requiritur, ut Confirmandi frontem apertam & nitidam habeant, quò unctio sancta decentiùs accipiatur. Itèm, ut tam mares quam fæminæ, & qui erga utrosque Patrinorum officio defungi possent, veste ad modestiam composita accedant: utique capitis aut corporis ornatus abigit columbam, non accersit.

Prob. 2. pars, 1mo. Quia requiritur status gratiæ, ideòque & præmittenda confessio ab iis qui mortaliter deliquerint, de quo sup. pag. 81. 2do. Cûm ex hodierna Ecclesiæ praxi diffe-

* *S. Thom.*

differatur Confirmatio ad ætatem adultam, ut plenior ex ea fructus accrescat, palàm est ad dignam illius perceptionem aliquid ex mente Ecclesiæ ultrà gratiæ statum requiri. Est verò illud prompta & devota erga donum illud singulare animi affectio, quæ ut excitetur, & conservetur, necessum est 1mo. ut Confirmandi habeant cognitionem satis explicitam fidei mysteriorum, & obligationum quas in Baptismo contraxerunt. Quæ enim pro nobis infantibus spoponderunt alii in Baptismo, hæc nos jam adulti spontè amplectimur in Confirmatione, & mediante S. Spiritûs gratia exequi denuò pollicemur. Unde & gemendum quòd inito in Baptismate fœderi defuerimus, & instaurandi conatus nè desimus in posterum.

Necessum 2do. ut exemplo Apostolorum, qui virtutem *ex alto* percepturi, *erant perseverantes unanimiter in oratione*, aliquot, si non dies, quod plebeculæ agresti difficile foret, saltem, singulis antè diebus, temporis intervalla in oratione, ac mysterii hujus meditatione insumantur. Mirum utcumque, quòd Christus nusquam plura exegerit ab Apostolis, quàm cùm ad Confirmationem præparandi fuêre. Haud satis eis fuit, quòd *mundi* essent, quod per dies 40. de regno Dei, maximè autem de futuro Spiritûs illapsu edocti; sed & voluit, ut medio toto Ascensionem inter & Pentecosten tempore in cænaculo inclusi vacarent cœlestibus.

Necessum est 3tio. ut in itinere, quod quandoque è Parochia in Parochiam ubi danda est Confirmatio, decurrendum est, juventuti quæ quoquo versùm facilè movetur, omnis dematur evagandi occasio. Unde fuerit operæ pretium, ut in via divinis laudibus os suum apperiant juvenes, quò Spiritum attrahant. Decantent ergo Hymnum *Veni sancte Spiritus*, aliòsve similes, qui vel in Ritualibus præscribuntur, vel à pio Parocho, teneri & pretiosi Gregis ductore, præscribentur.

4to. Et id ubique observari velîm, quod præscribit Rituale Tullense, nempè ut cùm jam incipit Episcopus Sacramentum conferre, Clericus quidam eum decem circiter passibus præcedat, & voce tenui satis ut Præsulem non interrumpat, satis autem elata ut à Confirmandis audiatur, eosdem vivida brevique oratione accendat ad fidei, adorationis, dilectionisque actus, præcipuè verò ad renovanda Baptismi promissa, spondendamque eorum deinceps accuratiùs servandorum fidem.

Ex suprà dictis colliges pro praxi, 1mo. confirmandos esse perpetuò amentes: debent enim confirmari, si validè possunt, & nihil obest, possunt porrò & nihil obest. Contraria enim consuetudo, quæ in Ecclesia Latina prohibitionem induxisse creditur quantùm ad Eucharistiam respectu infantium, quibus æqui-

æquiparantur amentes, haud videtur eam induxisse quantùm ad Confirmationem.

Idem sentiendum de amentibus, qui aliquando habuêre rationis usum; cùm eadem sit horum ratio, quæ aliorum, modo tamen statim post grave quodpiam peccatum non inciderint in amentiam [tunc enim carerent gratia sanctificante, quæ necessaria est ad istud Sacramentum dispositio;] & aliquam Sacramenti hujus suscipiendi habuerint intentionem, quæ præsumi debet, ubi nulla, dum mentis essent sanæ, in contrarium voluntas apparuit. Si tamen crederentur ab insania quandoque reversuri, differenda esset Confirmatio, ut majori cum decentia & utilitate reciperetur.

Danda etiam Confirmatio pueris necdum septennibus, quin & ante ullum rationis usum, si *justa aliqua causa* subsit: ita Synodus Aquensis an. 1585. Est autem justa causa, si puer illicò moriturus credatur, aut eò transvehi debeat; ubi vel ægrè, vel nunquam confirmandus judicetur. A fortiori adultis in pari casu positis concedi poterit manuum impositio. Unde laudant aliqui morem Hispaniæ, ubi ultimo afficiendi supplicio, confessi Eucharistiâ & Confirmatione donantur. Neque enim, ad solam fidei confessionem, sed & ad invictam in iis quæ à Deo retrahere possent, patientiam instituta est Confirmatio.

Colliges 2do. Graviter hallucinari eos è Pastoribus, qui subditos suos ad tantum Sacramentum satis habiles judicant, cùm peccata confessi sunt, & quasdam, quæ ad rem spectant, memoria, non corde tenent definitiones. An quod tanti Apostolis constitit donum, tam levi pretio hodie comparabitur? Quædam igitur Parocho salutis ovium suarum studioso ante & post Confirmationem præstanda sunt. Anté, cavebit, nè suas de Confirmatione Cathecheses penè differat ad tempus quo Parochiam lustraturus sit Episcopus; tùm quia multis ob urgentia negotio interesse non licet; tùm quia multis ob urgentia negotia interesse non licet; tùm quia multitudo eorum quæ paucos intra dies addiscenda sunt, mentem obruit; tùm quia haud satis est illuminari intellectum, nisi cor moveatur, & velut imbrem sitiens verba, sic Spiritum inhiet. Post Confirmationem verò satagendum enixè, 1mo. ut Confirmati acceptæ gratiæ memores, eandem animô revolvant. *Cultus enim Dei*, ait S. Aug. Lib. de spir. & lit. c. 11. *in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata*; 2do. Ut iidem nullum obicem ponant actualibus gratiis, quæ nisi obsit mala cordis affectio, è Sacramentis tempore & loco profluunt. Utique Sacramenta, unumquodque suos in fines, instituta sunt; ergo qui

iis

iis donati sunt, non inertes manere, sed ad finem conari perpetuò debent; ergo & perpetuò monendi sunt, ut non negligant, sed impendant gratiam quæ in eis fuit per impositionem manuum.

CAPUT SEXTUM.

De effectibus Confirmationis.

DUo Confirmationi effectus à Catholicis tribui solent, prior quòd gratiam tribuat ad robur; posterior quòd characterem imprimat. Utrumque negant Pseudoreformati, utrumque tuemur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio gratiam pariat.

EXpendam 1mo. an Confirmatio gratiam pariat; 2do. qualem; de hujus enim natura disputant Catholici.

CONCLUSIO I. Confirmatio gratiam sanctificantem producit, non quidem primam, saltèm per se, sed secundam.

Prob. 1. pars: Ex dictis, Confirmatio dat Spiritum S. atqui per Spiritum S. intelligitur gratia, eaque non qualiscumque, sed plena & abundans; ergo. Et verò Confirmatio verum est novæ Legis Sacramentum: atqui proprium habent novæ Legis Sacramenta, ut nisi ponatur obex gratiam producant, &c.

Prob. 2. pars. Gratia prima ea est, quæ peccatorem justificat; atqui non eo fine instituta est Confirmatio ut peccatorem justificet, sed ut homini jam justo novas addat vires; unde & inter vivorum Sacramenta recensetur. Et verò ex Trid. Sess. 14. cap. 2. *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium est, ut non regeneratis ipse Baptismus*: atqui si Confirmatio per se impium justificaret, jam non necessarium esset lapsis omnibus Sacramentum Pœnitentiæ, &c. quandoquidem lapsi post Baptismum & ante Confirmationem per hanc reconciliari possent, sicut alii per Pœnitentiam.

Dixi, *saltem per se*; quia existimant plures cum S. Thoma hic q. 72. n. 7. quòd *si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam* peccati hujus conscientiam habens, *non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat*, sed bona fide credat se contritum, *per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum*: Non quòd instituta sit Confirmatio ad justificandum pec-

catorem, ſed quia ex generali Chriſti intentione Sacramenta omnia non fictis, id eſt, haud ponentibus obicem, juſtitiam conferunt.

Conclusio II. Gratia Confirmationis propria, eſt gratia perficiens & corroborans ad fidem intrepidè confitendam contra univerſos ejuſdem fidei hoſtes.

Prob. ex Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſtupervenientis Spiritûs ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſàlem, & in omni Judæa, & Samaria & uſque ad ultimum terræ:* atqui gratia Confirmationis ea penes ſubſtantiam eſt, quàm receperunt Apoſtoli in die Pentecoſtes; ergo ut hæc, ſic & illa debet eſſe gratia corroborans. Atque id docent PP. ſuprà citati. Sic Tertull. Lib. de reſur. carnis c. 8. *Caro ſignatur ut anima muniatur*, &c.

Obj. 1mo. Ex noſtra doctrina ſequitur Baptiſmum ſinè Confirmatione vel nullas, vel nonniſi impares ad finem habere vires; quod baptiſmali gratiæ injuriam facit. R. diſt. ſequitur Baptiſmum non dare vires pares ad finem, id eſt, minores dare, quam quæ per Confirmationem Baptiſmo ſuperadditam tribuantur, C. id eſt, non dare vires quæ abſolutè ſufficiant ad finem ſalutis, ſecluſo ſcilicet Confirmationis neglectu, N. Non negamus eum qui Confirmationem ſinè ſua culpa non habuit, quivè de ea neglecta dolet, poſſe, mediis etiam in tormentis profiteri fidem, & ſic ſalutem conſequi. Sed dicimus, annexas eſſe Confirmationi gratias, quas Baptiſmus per ſe non confert, & quarum ope ſalus certiùs obtineatur. Hæc autem doctrina non magis baptiſmalis gratiæ dignitati derogat, quàm eidem deroget doctrina, quæ acceptam in Baptiſmo gratiam per Euchariſtiæ Sacramentum adaugeri tradit. Iſtam nobiſcum ſinè Baptiſmi præjudicio admittunt Calviniani: ut quid aliam Baptiſmo contumelioſam eſſe mentiuntur?

Inſt. Rom. 16. *Baptiſati ſumus in Chriſto Jeſu, ut in novitate vitæ ambulemus.* Et Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis*, utique cum donis ſuis: ſed qui à Baptiſmo habent, unde in vitæ novitate ambulent; qui in Baptiſmo Chriſtum cum donis ſuis, ideoque & cum fortitudine ſua induerunt, nullâ aliâ indigent gratiâ; ergo nec Confirmatione.

R. 1mo. Pari jure ex utraque propoſitione inferri; ergo nec indigent Euchariſtiâ, quod tamen uti blaſphemum horrent Calviniſtæ.

R. 2do. diſt. Qui à Baptiſmo ſimpliciter & præcisè ſumpto, habent, &c. C. qui à Baptiſmo prout jus tribuit ad cæterorum Sacramentorum auxilia, N. Baptiſari in Chriſto, non eſt ſimpli-

pliciter recipere Baptismum, sed insuper habere jus ad gratias omnes quæ post Baptismum, sive in Sacramentis, sivè extra Sacramenta conferuntur. Unde quemadmodum ut baptisati in novitate vitæ ambulent, indigent iidem gratiis actualibûs, & Eucharisticis, ite & Confirmatoriis indigere possunt. Neque hæ magis quàm illæ Baptismali excellentiæ derogant.

Obj. 2do. Si Christianos per Confirmationem perfici oporteat, necessum est ut baptisati non sint perfecti Christiani: atqui sunt tamen, ut patet in tot Martyribus. R. dist. min. baptisati sunt perfecti Christiani, quatenus *habent plenitudinem sufficientiæ*, C. quasi habeant *plenitudinem copiæ*, N. cur enim Apostoli tam festinanter Petrum & Joannem misissent ad Samaritanos, si Confirmationis gratiam nihil ad Christianismum pertinere judicâssent? Certè, ait Autor Lib. de Eccl. Hierarch. p. 3. c. 4. *ei qui sanctissimô divinæ regenerationis Sacramentô initiatus est, illa unguenti* CONSUMMANS UNCTIO divini Spiritûs *illapsum elargitur.*

Saltèm, inquies, unctio Confirmatoria suppleri potest per unctionem verticalem quæ fit in Baptismo.

R. neg. ant. 1mò. quia Patres omnes. S. Sylvestrô, unctionis, ut plures volunt, verticalis institutore posteriores, docent Confirmationem suscipi ad robur, ad augmentum, ad perfectionem, ergo manifestè supponebant fideles haud consecutos fuisse robur illud, & augmentum per unctionem verticis; 2dò. quia unctio verticalis est cæremonia purè Ecclesiastica: atqui prorsus absurdum est ut Christianus homo eandem hujusmodi cæremoniis fidem habeat, ac Sacramentis, quæ indubiè & pleniùs & certiùs operantur; quàm ritus purè Ecclesiastici; 3tiò, Quia cùm Daniel à Jesu, vero nomine Joan. Floide. doctrinam hanc cum quibusdam Religiosis Anglicanis & Hibernis sparsisset, sacra Facultas Paris. septem eorum propositiones notavit ut *falsas, temerarias, communi Patrum sensui oppositas, in contemptum Sacramenti Confirmationis, atque in errorem inducentes*, &c.

CONCLUSIO III. Gratia Confirmationis non est habitus ab habitu baptismalis gratiæ specificè distinctus; sed solùm ejusdem habitus intensio, cum jure ad gratias actuales quibus Confirmationis effectus obtineri possit. Ità S. Thom. hic q. 72. a. 7. & sequitur ex dictis in Tract. de Sacram.

CONCLUSIO IV. Uberior est gratia quæ per Confirmationem tribuitur, quàm quæ per Baptismum; major tamen aliquo sensu efficacia Baptismi, quàm Confirmationis.

Prob. 1. pars: Sic se habet gratia Confirmans ad regenerantem, sicut accretio ad generationem: atqui per accretionem plus

ſubſtantiæ acquirit homo, quàm per generationem. Hinc Eugenius IV. in Decreto: *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide.*

Prob. 2. pars, ex S. Thoma qui ibid. art. 11. docet, *Sacramentum Baptiſmi eſſe efficacius quàm* Confirmationis *Sacramentum, quantùm ad remotionem mali; eo quòd eſt ſpiritualis regeneratio, quæ eſt mutatio de non eſſe in eſſe; hoc autem Sacramentum eſſe efficacius ad proficiendum in bono, quia eſt quoddam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum:* Quæ verba totam Theſim continent, & probant.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Confirmatio characterem imprimat.

CONCLUSIO I. Confirmatio characterem imprimit.

Prob. Character eſt nota, ſeu ſigillum quô fideles indelebiliter conſignantur: atqui hæc nota & ſignum per Confirmationem animæ imprimuntur. Prob. min. ex Concilio Toletano VIII. an. 653. c. 7. ubi ſic: *Sanctum Chriſma collatum, & altaris honor avelli nequeunt.* Concinit Gregorius II. Ep. 13. an. 726. *De homine, qui à Pontifice confirmatus fuit, denuò illi talis reiteratio prohibenda eſt.* Item decernit Conc. Cabill. II. an. 813. can. 27.

Prob. 2. Confirmatio ſecundùm aliquam ſui partem perpetua eſt, & ità perpetua, ut etiam poſt mortem perſeveret. Ita docet S. Greg. Naz. in Exhortat. ad ſacrum lavacrum, his verbis: *Hoc viventi tibi maximum eſt teſtamentum:* [*ovis enim, quæ ſigillo inſignita eſt, non facilè patet inſidiis, quæ verò ſignata non eſt, facilè à furibus capitur;*] *& vitâ functo res accommoda, quæ ſepulturam comitatur.* Atqui Confirmatio neque perpetua eſt quo ad actum, cùm tranſeat actio qua confertur; neque quo ad gratiam ſanctificantem, cùm hæc à peccatore deperdatur; ergo ſupereſt ut quo ad ſigillum ſeu characterem perpetua ſit, proindeque ut character ejus deleri non poſſit.

Obj. 1mo. Synodus CP. I. can. 7. jubet Macedonianos & Apollinariſtas per Chriſmationem recipi: atqui utrique jam confirmati fuerant in Eccleſia Catholica; à qua nonniſi pauciſſimis ante Concilium illud annis defecerant; ergo iterandam Confirmationem cenſebant Patres CP. R. diſt. maj. jubet per Chriſmationem recipi, ſi hanc necdum receperint, C. ſi receperint, N. ità Decretùm Synodi ejus interpretatur. Siricius Epiſt. 1. ad Hymerium c. 1. nec mirum eſt quòd diſtinctionem hanc non fecerint Patres CP. quia ex recepto Eccleſiæ uſu ſatis intelligebatur, haud eſſe confirmandos, qui jam confirma-

firma-

firmati essent. Unde contrarium Methodii Patriarchæ CP. Decretum, si minùs adulterinum, at certè adulteratum est, prout invictè probant contra Goarium Arcudius & Morinus.

Obj. 2do. ex Aug. L. 3. de Bapt. c. 16. *Manûs impositio non sicut Baptismus repeti non potest*; ergo. R. manuum impositionem de qua Aug. cæremonialem esse & reconciliatoriam; non Confirmatoriam; cùm hanc, ne in hæresi quidem receptam, iterari permiserit.

Obj. 3tio. Character duo importat, 1mo rationem signi distinctivi; 2do. Potestatem ad aliquid speciale ordinatam: atqui Confirmatio nec signum distinctivum exprimit: neque enim distinguit vel fidelem ab infideli, cùm id efficiat Baptismus, vel fidelem ab alio fideli; cùm omnes fideles ad sanctitatem contra salutis hostes tuendam ordinentur. Nec dat potestatem ad aliquid speciale ordinatam. Quæ enim major in homine confirmato potestas, quàm in homine non confirmato? R. neg. min. & quidem 1mo. Confirmatio confirmatum à non confirmato distinguit, tanquam spiritualiter provectum ad ætatem virilem, ab eo qui modo spiritualiter genitus est. Unde Confirmatus non tantùm deputatur ad pugnandum contra hostes invisibiles, quod prælii genus fidelibus universis commune est, sed & ad decertandum adversùs hostes visibiles, seu persecutores fidei, quæ pugnæ species haud ritè initur á spiritualiter parvulis, nisi Confirmationis operatio à Deo extraordinariè suppleatur. 2do. *In Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundùm seipsum vivit: sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei*, &c.

Ergo character Confirmationis definiri potest, Nota supernaturalis & indelebilis, qua Christianus quasi miles Christi consignatur ad propugnandam fidem adversùs hostes ipsius visibiles.

Conclusio II. Character Confirmationis, Baptismi characterem præsupponit.

Prob. Sacramenta & Sacramentorum effectus, sunt bona quædam, quæ ex institutione Christi solis Ecclesiæ membris legata sunt: atqui nemo Ecclesiæ membrum aliter quàm per Baptismum esse potest, positis rebus ut à Christo positæ sunt. Unde Innoc. III. c. 3. *De Presb. non bapt. Cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum.*

Hinc si quis, quantumcumque bona fide baptisatum se credat, Confirmationem recipit non baptisatus, necessum est, ut

denuò confirmetur. Idem est de eo qui minimè baptisatus recepisset Ordines.

Objiciuntur duo, 1mo. quòd Cornelius necdum baptisatus, reipsa tamen confirmatus fuerit; 2do. quòd non magis character Confirmationis baptismalem prærequirat, quàm character Ordinis Confirmatorium: atqui, &c.

R. ad 1. neg. ant. Cornelius ènim accepit quidem Confirmationis, effectū quia * *divina virtus non est alligata Sacramentis*, at Confirmationem ipsam non accepit. Unde sicut, accepto licèt Baptismi effectu, baptisatus est, sic probabiliter manuum impositionem accepit, aut saltèm validè & fructuosè recipere potuit.

Ad 2. neg. maj. Quia ex Ecclesiæ instituto nemo licitè ordinari potest, nisi jam Confirmatus, nullibi tamen traditum est invalidè ordinari, qui Confirmatus non fuerit: at verò expressè traditum est invalidè confirmari, qui ante non fuerit baptisatus.

Quæres an iterata Confirmationis administratio, vel susceptio irregularitatem inducat. R. neg. quia irregularitas illa equidem contra activā vel passivam Baptismi iterationem sancita est, nullibi verò contra iterationem Confirmationis: porrò, irregularitas non incurritur nisi in casibus jure expressis.

Ex dictis hactenus constat legitimam esse ut & trinam hanc Sacramenti nostri definitionem: Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum, quô baptisatus per manûs impositionem & unctionem Chrismatis in fronte, à legitimo Ministro sub certa verborum forma peractas, accipit plenitudinem Spiritûs S. vel, si mavis, Spiritum S. ad robur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Proprietatibus Confirmationis.

TRes numerantur Confirmationis proprietates, dignitas, initerabilitas & necessitas. De tertia tantùm hic loquemur, quia priores duæ ex dictis innotuêre. Sit

CONCLUSIO I. Confirmatio non est ad salutem necessaria necessitate medii.

Prob. Quia omissa inculpabiliter Confirmatione potest obtineri salus. Quibus enim nihil jam est damnationis, ii salutem obtinere possunt: atqui *nihil est* jam *damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu*, ut sunt omnes per Baptismum; ergo.

Obj. Gratia Confirmat. ad superandas graves contra fidem pu-

* *S. Thom.*

pugnas omnino eſt neceſſaria; ergo qui Confirmationem non recipit, caret aliquo ad ſalutem neceſſario. R. diſt. conſeq. qui Confirm: non recipit in re, vel in voto, C. in re abſolutè, N. Sicut enim regenerari quis poteſt per votum Baptiſmi, ſic & per Confirmat: votum roborari.

Conclusio II. Confirmatio in re vel in voto graviter neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, tùm Eccleſiaſtici, tùm etiam Divini.

Prob. 1. pars: 1mo. ex S. Cypr. Ep. 70. *Ungi NECESSE EST eum qui baptiſatus ſit, ut accepto Chriſmate - - - eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam poſſit*; 2do. ex Conc. Laod. can. 48. *OPORTET eos, qui illuminantur poſt Baptiſmum inungi ſupercœleſti Chriſmate*; 3tio. ex Petro Damiano Serm. 1. in Dedicat. Eccl. *Decretales paginæ & SS. Patrum inſtituta DECERNUNT non eſſe differendam poſt Baptiſmum Sacramenti hujus virtutem, nè nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor.* Jam verò id quod fieri *oportet* quod fieri *neceſſe eſt*, quod faciendum *decernunt Decretales paginæ*, illud meritò neceſſarium judicatur.

Prob. 2. pars: 1mo. Quîa Chriſtus Confirmat: inſtituit ut medium certum & ordinarium, quo perficiatur homo & roboretur, non modò ad fidem coram Tyrannis fortiter profitendam, ſed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, quibus adultus quiſque obnoxius eſt: atqui incredibile eſt Chriſtum tantæ efficaciæ medium inſtituiſſe, velut rem penè adiaphoram, & ſinè gravi intentione ut eo fideles uterentur.

Prob. 2do. Ideo Euchariſtiæ perceptio extra periculum mortis neceſſaria judicatur à Theologis ſanioribus, quia hæc ad certum maximi momenti finem inſtituta eſt, nempe in alimentum animæ, atqui pariter inſtituta eſt Confirmatio ad certum maximi momenti finem, nempe ut circumeunti leoni *fortes in fide* reſiſtamus, cui profectò facilè ſuccumbit qui inſtituta ad eum finem media negligit. Meritò igitur Pariſienſes Theologi hanc fictitii Danielis à Jeſu propoſitionem: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi cùm commodè haberi poteſt; vel [ut alii dicunt] commodiſſimè; quandò ſinè ullo vel minimo prorſus incommodo*, damnarunt ſub his notis: *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum maligno animo propoſita, & in errorem poteſt inducere.*

Obj. ex S. Thoma, *Sinè* Confirmatione *poteſt eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*; ergo R. cum Sylveſtro eum, qui Confirmationem commodè recipere poteſt, & ſinè rationabili cauſa recipere negligit, ejus contem-

ptorem meritò censeri: Unde Conc. Senonense an. 1524. *Contemni dicitur* Confirmatio, *quando Episcopus est præsens paratus dare, & persona hoc sciens negligit.* An non in pari casu eleemosynæ corporeæ vel spiritualis contemptor censeretur qui eandem sibi oblatam recipere non curaret?

Ex his inferes pro praxi, gravis esse peccati reos, 1mo. qui cùm Episcopi copiam habent; nè passum quidem decurrunt, ut ab eo confirmentur, & hoc peccatum iteratur quoties eadem recurrit occasio. Unde Hugo Victorin. Lib. de Sacram. part. 3. c. 7. ait *timendum* esse *iis, qui per negligentiam non suscipiunt manûs impositionem, ne fortè propterea damnentur*; ergo hic saltem est dubium mortale: porrò mortaliter peccat, qui facit quod jure dubitet an sit mortale; 2do. patres, matres, parochos item, patrinos, tutores, qui nihil moliuntur ut commissam sibi juventutem ad summum illud Christi donum disponant; 3tio. & magis Episcopos, qui septenni quoquo circiter anno, & quandoque sæpius, si id peculiares exigant causæ, Diœcesim suam non lustrant, ut hanc potissimam officii sui partem adimpleant. Quæ enim ratio jubet confirmari me ab Episcopo, jubet præsto esse Episcopum, qui me confirmet. Omissam semel, idque ob probabiles causas, puellæ quæ seriùs venerat, Confirmationem, adeò exprobravit sibi Anselmus Cantuariensis Archipræsul, *tantumque exinde concepit cordis dolorem, ut quandiu vitæ præsenti superfuit, pænitudo ipsius facti ab animo ejus non recesserit.* Ità narrat Edinerus Anselmi convictor.

Conclusio III. Præceptum Confirmationis quatenus divinum est, obligat tempore persecutionis, graviorisque contra fidem tentationis; & in præsenti mortis periculo.

Prob. pars 1. & 2. Quia si quandoque urget recipiendi Sacramenti obligatio, tunc certè cùm effectus ejusdem necessarius est.

Prob. 3. pars: Quia spiritualis infans tenetur divina lege ad perfectam ætatem progredi, cùm hic & nunc vereri potest nè deinceps non possit: atqui necdum Confirmatus, est infans spiritualis, &c.

Hinc colliges iis qui adulto morituro opem ferunt, curandum esse ut si nihil ultra possint, sincerum in eo recipiendæ Confirmationis, aut saltem divinæ totius legis servandæ votum accendant. Sufficit enim implicitum id votum in Sacramentis quæ necessaria non sunt necessitate medii.

Conclusio IV. Præceptum Confirmationis quatenus Ecclesiasticum obligat, 1mo. cùm Episcopus dare paratus est, nec justa differendi ration em habet baptisatus; 2do. & 3tio. cùm

im-

imminet ſacri Virginum velaminis, vel tonſuræ Clericalis receptio.

Prob. 1. pars: Obligat lex Eccleſiæ, quando impleri non ità difficilè poteſt: quod locum habet in præſenti hypotheſi. Unde fideles moralem adhibere debent diligentiam ut reſciant ubi danda ſit Confirmatio, & eò ſe conferant bene diſpoſiti, aut proximè diſponendi.

Quin & tunc ſæpiùs cum Eccleſiaſtica lege violari poteſt & divina; ut ſi quis differt, prævideat ſe vel nuſquam deinceps, vel nonniſi longo poſtea tempore, eſſe recepturum.

Prob. 2. pars ex Alcimo Avito, & aliis, quos vide apud Hallerium Lib. de ſacris electionibus, pag. 132. n. 26.

Prob, 3. pars ex Trid. Seſſ. 23. c. 4. de reform. ubi ſic: *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint.* Idem quoad matrimonio jungendos præſcribitur in Synodo Leodienſi.

Haud tamen irregularis, qui Tonſurâ donatur priuſquàm Confirmatione; quia nullo id jure ſancitum.

CAPUT OCTAVUM.

De Cæremoniis Confirmationis.

E Cæremoniis ad Confirmationem ſpectantibus aliæ reſpiciunt Chriſma, aliæ Unctionem.

De Chriſmate id unum monemus, ſcilicet novum quotannis accipiendum eſſe à proprio Epiſcopo, non à viciniore; & ſub ſera ſedulo cuſtodiendum. Vetus autem comburi debet, non cuipiam, ſeu in medicinam, ſeu ad diſſolvenda maleficia donari; quod ſeverè multis Conciliis prohibitum eſt; ut & prohibitum, nè Epiſcopi, eorùmve Miniſtri, pretium ullum pro balſamo ad Chriſmatis confectionem neceſſario exigere præſumant.

Circa ritus qui unctionem præcedunt, hæc notanda: 1mo. Hodie vulgò omitti Patrinorum in Confirmatione cæremoniam; 2do. Ubi hæc hodieque viget, unum duntaxat pro uno quoque maſculo Patrinum, vel unam pro ſingulis feminis Matrinam adhibere debere, ex cap. 100. & 101. diſt. 4. *De Conſecrat.* Ubi nota à S. Carolo ablegari eos, qui 14tum. ætatis annum nondum attigêre, quia necdum communiter Magiſtrorum loco eſſe poſſunt, cùm raro ea ætate ſatis ſint eruditi; 3tio. Confirmationis Patrinum à Patrino Baptiſmi diſtinctum eſſe debere, niſi neceſſitas aliud poſtulet; 4to. Patrinum, [non

ſecus ac Miniſtrum Confirmationis] ſpiritualem contrahere cognationem cum Confirmato, ejuſque Patre & Matre, ex Trid. Seſſ. 24. cap. 2. de reform. Modò tamen Patrinus ipſe ſit, ut ſub gravi eſſe tenetur, Confirmatus, quia alioqui nec verè Patrinus eſt, ſecundùm can. 102. diſt. 4. eod. 5to. Si unus tantùm, ut alicubi fit, pro maribus omnibus admittatur ab Epiſcopo Patrinus, eum cum omnibus Confirmandorum matribus affinitatem contracturum eſſe.

Nota ſapienter præcipi pleriſque in Ritualibus, ut *Paſtores catalogum habeant Parochianorum ſuorum, qui Sacramentum Confirmationis ſuſcipiunt: ut innoteſcat, quinam illud Sacramentum receperunt.* Id tamen longè magìs neceſſarium eſt in Diœceſibus ubi dantur Confirmandis Patrini, quia ſic conſtat de ſpirituali affinitate. Quanquam & praxis ea ubique inſervire poteſt, ut vitetur Sacramenti iteratio.

Quod ſpectat ad Confirmandos, 1mo. quandoque immutatur nomen eorum, nimirum ſi *turpe, ridiculumque ſit, neque planè conveniens homini Chriſtiano.* Poteſt quoque ad Confirmandi votum, mutari pium alioqui nomen, vel aliud alii addi, *dum tamen,* ait Synodus Carnotenſis an. 1525. *fraus & dolus abſint.* 2do. Curare debent iidem Cunfirmandi, *ut non fronte ſordida aut capillis indecenter contexta accedant:* verba ſunt Aquenſis Synodi an. 1585.

Circa tempus adminiſtrandæ Confirmationis S. Carolus, vir antiquæ diſciplinæ zelator, in Concilio Mediol. V. *Hoc Sacramentum Epiſcopus miniſtrare ſtudebit horâ tertia potiſſimùm* (nobis nona matutina) *quæ ex antiquo ritu hujus Sacramènti hora eſt;* quia nempe hac hora in Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus. Addit idem S. Præſul, Confirmationtur. præcipuè adminiſtrandã eſſe tempore Pentecoſtes, quod nemo diffitebirur.

De ordine & ſitu hæc præſcribit Synodus Mediolanenſis V. *Mares in Eccleſia à parte ſua, fœminæ ab altera ſint; ſicque ſeparatim diſtincti, genibûs flexìs, manibûs ante pectus junctìs, ſuo quiſque òrdine piè & religiosè orent; imprimiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione & inani confabulatione caveant, ſed ſilentiô ſanctô utantur: Et quod veteris ritûs eſt, primùm mares, deinde fœminæ confirmentur, niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.*

Poſt Orationem & Unctionem Epiſcopus alapâ Confirmatum leviter cædit. Qua intentione, varii varia reſpondent. Synodus Senonenſis & Carnotenſis infligi eam dicunt, *ut infantes memoriam habeant ſe fuiſſe Confirmatos, nè iterum Confirmentur.* Catechiſmus Romanus, *ut meminerit Confirmatus, ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invictô animô pro Chriſti nomine ferenda.*

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRactatum hunc duas in Partes dividemus, quorum prior Euchariſtiam ſpectabit ut Sacramentum, poſterior eandem expendet ut Sacrificium.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

EXpendam primò in quo ſita ſit Euchariſtiæ natura: tùm diſcuſſa inſtitutione cauſas ordine ſuo proſequar; agam ſubinde de Miniſtro, &c.

CAPUT PRIMUM.

De natura Euchariſtiæ.

EUchariſtia definitur à Catholicis: Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpititualem fidelium alimoniam à Chriſto inſtitutum, per modum alicujus permanentis. Quoniam verò vix ulla eſt hujus definitionis voculâ, quam intactam reliquerit hæreſis, nec ulla erit, quam vindicare non enitamur.

§. I. *An Euchariſtia ſit Sacramentum.*

Negarunt olim Archontici; negant hodie Sociniani, contra quos ſit

Conclusio I. Euchariſtia verùm eſt Sacramentum.

Prob. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile à Chriſto permanenter inſtitutum, annexam habens promiſſionem gratiæ, ejuſdemque per tale ſignum recipiendæ mandatum: atqui 1mo. in Euch: occurrit ſignum ſenſibile, panis nempè & vinum, vel po-

potiùs utriusque species, secundùm id I. Corint. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis*, &c. 2do. est & signum institutum à Christo: *Ego enim*, ait Apost. I. Cor. 11. *accepi à Domino ---- quoniam Dominus Jesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & Manducate: Hoc est corpus meum*, &c. 3tiò annexam habet gratiæ promissionem; Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; 4tò. nec deest gravis jussio tale signum talem ad gratiam insumendi: ibidem quippe ait Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis --- non habebitis vitam æternam.* Unde 5tò. instituta est permanenter; tùm quia ope ipsius vitam habituri sunt quicunque dignè communicabunt; tùm quia instituta est in memoriam passionis Christi, secundùm illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: constat porrò memoriam hanc usque ad finem mundi renovandam esse.

Conclusio II. Eucharistia prout signum gratiæ sanctificantis, nec in solo Christi corpore, nec in speciebus solis consistit, sed in corpore & speciebus.

Prob. 1. pars: Eucharistia, utpotè Sacramentum, est necessariò invisibilis gratiæ signum visibile: atqui hanc visibilis signi rationem non habet à solo Christi corpore; cùm corpus Christi non sit in Eucharistia modo visibili; ergo hanc à speciebus habere debet.

Prob. 2. pars: De Sacramento Eucharistiæ dicitur, quòd sit supersubstantialis animæ cibus,quòd latriæ cultu adorandum sit, &c. atqui nullum ex his de solis speciebus dici potest; ergo.

Prob. 3. pars: Quia si nec species, nec corpus divisim sumpta Eucharistiam constituunt, necessum est eam ex utrisque conjunctim exurgere. Unde Can. 48. dist. 2. *De Consecr. Sacrificium Ecclesiæ duobus constare* dicitur, *visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri J. C. carne & sanguine*, &c.

Obj. 1mo. Cum iis qui species à ratione Sacramenti constitutiva excludunt: Quælibet pars intrinseca Sacramenti gratiam producit ex opere operato: atqui species gratiam non producunt, sed solùm Christi corpus; ergo R. neg. min. tam enim possunt species gratiam operari, & esse non quidem substantialiter, sed instrumentaliter animæ cibus, quàm gratiam operari possit aqua in Baptismo: atqui, &c.

Obj. 2do. cum aliis: Frangitur Sacramentum, juxta id S. Thomæ: *Fracto demum Sacramento*: atqui non frangitur corpus Christi; ergo corpus Christi non pertinet in recto ad Sacramentum. R. dist. maj. frangitur Sacramentum, secundùm aliquid sui, species nimirum, C. secundùm id totum quod im-

mportat, N. Sic etiam adoratur Sacramentum latriæ cultu, nec secundùm se totum sic adoratur.

CONCLUSIO III. Ergo neque consecratio, neque sumptio Sacramenti ad intrinsecum Eucharistiæ constitutivum pertinent.

Sequitur ex dictis: si enim, positis speciebus & corpore intelligitur adæquatè Sacramentum, nihil est cur ad ejus essentiam pertinere dicantur seu verba consecratoria, seu usus vel sumptio Sacramenti.

Prob. tamen 1. pars: Eucharistia adæquatè consistit in re permanenti: atqui non ità esset, si verba consecratoria ad ejus essentiam pertinerent; cùm verba hæc sint quid maximè transiens.

Prob. 2. pars. 1mo. Quia Eucharistia à Sacerdote, utpotè unico ejusdem Ministro, tota perficitur, atqui si usus Eucharistiæ pertineret ad ejus essentiam, non perficeretur tota à Sacerdote, sed plerumque à Fidelibus, etiam fœminis; 2do. Quia Eucharistia instituta est tanquam spiritualis animæ cibus: atqui cibus stat integer ante sumptionem; & hæc licèt sit conditio sinè qua non prodest cibus, non est tamen pars cibi intrinsecè completiva; ergo.

Obj. Forma Sacramenti est pars ejusdem intrinseca: atqui ex Decreto Eugenii IV. *forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris*; ergo verba &c. R. dist. min. forma Eucharistiæ sunt verba Salvatoris, quatenus per eadem conficitur Eucharistia, C. quatenus eadem verba cum corpore & speciebus ingrediuntur totum Eucharisticum, N. Solutio est in textu; sic enim habet Eugenius: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum*; ergo verba se habent ad Sacramentum sicut causa ejus efficiens: porrò causa efficiens rei non potest esse ejusdem rei forma intrinseca, sed extrinseca tantùm.

CONCLUSIO IV. Eucharistia physicè seu materialiter spectata duplex est specie Sacramentum, spectata verò moraliter, seu in ratione convivii spiritualis, unum est specificè Sacramentum.

Prob. 1. pars: Ubi sunt diversa specie signa, in quorum unoquoque totum continetur Sacramentum, ibi plura sunt Sacramenta: atqui in Eucharistia physicè spectata - - - Signum enim panis specificè differt à signo vini: atqui utrumque seorsim totum continet Sacramentum. Alioqui qui sub uno panis signo communicat, non reciperet totum Sacramentum, quod repugnat Trid. Sess. 21. c. 3. ergo.

Probata 2da. pars: Eucharistia spectata moraliter, seu in ordine ad animam cujus est refectio, verum est convivium Spirituale, atqui convivium illud, vero sensu unicum est: sicut unicum est terrenum convivium etsi

con-

constans cibo & potu. Hinc Eucharistia quandoque plurali numero exprimitur, ut cùm canit Ecclesia: *Purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus*; quandoque singulari, ut cum simpliciter dicitur, *Sacramentum Corporis Christi*. Sed de his levioribus sufficiant pauca hæc; ad graviora properandum.

§. II. *De præsentia corporis Christi in Eucharistia.*

Realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam negârunt non pauci: at præ cæteris Berengarius patriâ Turonensis & Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus, qui tanquam primus Sacramentariorum parens * haberi consvevit. Damnatus fuit ille pluribus in Conciliis, potissimùm autem in Romano & in Vercellensi an. 1050. quibus præfuit Leo IX. in Parisiensi sub idem tempus. In Turonensi an. 1055. cui nomine Victoris II. præsedit Hildebrandus, tunc R. Ecclesiæ Subdiaconus. Hic qui præsens erat Berengarius, propriam hæresim, quam non potuit defendere, anathematisavit. At oblitus pauló post juramenti sui, rediit ad errorem: unde Romam à Nicolao II. evocatus, & in Concilio Episcoporum 113. cui præerat summus ipse Pontifex an. 1059. auditus, confutatus, convictus in conspectu Synodi perversi dogmatis Libros propria manu combussit. Sed heu! quàm difficile est hæreseon artifices serió resipiscere. *Berengarius*, verba sunt Anonymi ejusdem temporis, *more suo ad proprium vomitum redire non timuit, & ultra omnes hæreticos, R. Pontifices & sanctam R. Ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit.* Habitum ergo Romæ an. 1079. sub S. Gregorio VII. Concilium. Hic Berengarius *coram S. Pontifice, & Episcopis atque Abbatibus 150. errasse se confitens, veniamque postulans*, Catholicam *emisit fidei professionem*; cui eum tandem stetisse probabilius est. Utique Guillelmus Malmesmuriensis, qui licèt Anglus, ideòque extraneus, ea quæ ad Berengarium pertinent accuratè perscrutatus est, Lib. 3. de rebus Anglicis, sic de Berengario loquitur: *Quin & ipse die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus quos miseros quondam adolescens primo erroris calore sectâ suâ infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Atque hæc utinam dignè ponderent quicumque Novatores.

Penè obsoleverat impium Berengarii dogma, cùm acre præsentiæ reali bellum indixêre Andræas Carlostadius ** Archidia-

* Præiverat, sed irrito conatu, Joannes Scotus Erigena, qui obiit an. circiter 884.

** Carlostadius vir fallacis spiritûs, cui nihil boni suberat, habens spiritum seditiosum, atque avidum cædis: *ita Lutherus ipse in Epist. ad Argentin. & alibi.*

dioconus Witembergensis, & Huldricus Zuinglius Pastor Tigurinus, uterque an. 1524. Scribit is, sibi, ut realem præsentiam subverteret laboranti, astitisse in somnis *nescio quem*; *ater*, inquit, *an albus fuerit*; *nihil memini*, *qui moneret*, *eum locum Exodi 12. arriperet*, Est enim phase, id est, transitus Domini, *ubi verbum*, Est *accipitur pro* Significat. Ad monitum illud atri spiritûs esse, non albi, liquebit ex dicendis.

Calvinus á Bucero, quem Argentorati junior Magistrum audiit, suam de Eucharistia doctrinam hausit, sed & hausit ambiguum illud locutionis genus, quo juvante præsentiam realem adstruere simul & destruere videatur. Sic ille in cap. 26. Matth. *Verè in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animabus nostris in cibum salutarem.* Et Lib. 4. Instit. c. 17. §. 32. *In sacra Cœna jubet me* Christus, *sub symbolis panis ac vini corpus ac sanguinem suum sumere: nihil dubito quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam.* Verùm hæc quæ ad Catholicorum dogma propiùs accedere videntur, nihil sunt quàm phalerata ingenii ad fucos nati dicta. *Ingenuè fateor*, ait Calvinus ibid. §. 17. *mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis à* Catholicis *docetur, me repudiare*; & iterum: *Hanc, non aliam esse, quàm fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi potest.* Verùm alia non fingi, sed admitti debere, probamus 1mo. ex verbis promissionis, 2do. ex verbis institutionis, 3tio. ex constanti priorum Ecclesiæ sæculorum doctrina, 4to. ex proscriptione, &c.

Conclusio I. Præsentia realis solidè probatur ex verbis promissionis Joan. 6. à v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita - - - Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. quæ in ipso textu attentè legenda sunt.

Prob. 1mo. Vel eo loci promisit Christus, se carnem suam verè & substantialiter manducandam daturum esse; vel metaphoricè solùm locutus est de spirituali sui ipsius per fidem manducatione: atqui postremum hoc dici non potest: 1mo. Quia loquitur Christus de alimenti genere & novo & posthinc præstando à se; ut demonstrant verba hæc: *Panis quem ego dabo*; & hæc rursus: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem*, quem ego daturus sum, *vivet in æternum*: atqui si loqueretur de spirituali tantùm manducatione, nec novi quidpiam, nec quidpiam deinceps duntaxat præstandum annuntiaret. Cùm enim hæc loquebatur Salvator, non deerant ex Apostolis & Discipulis, qui in ipsū crederent, adeòque & in Calviniano sensu carnem ejus manducarent spiritualiter. Imò hanc isto sensu manduca-

* *I. Cor. 10.*

ducaverant Judæi sub antiqua Lege: * *Omnes enim eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt; bibebant autem de spirituali consequente eos perra; petra autem erat Christus,* 2do. Spondet eo loci Christus duo quædam, quorum aliud habere se debeat per modum cibi, aliud per modum potûs: atqui si de usu tantùm spirituali loqueretur, inanis foret ea cibi potusque distinctio cum in usu spirituali nihil cibum inter & potum sit discriminis; 3tio. Constat non tantùm Judæos, sed & plures ex Christi discipulis offensos fuisse, quòd is carnem suam in cibum, &c. promitteret; v. 53. *Litigabant judœi ad invicem, dicentes: Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* v. 61. *Multi ergo audientes ex d scipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo,* &c. v. 67. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrorsum;* ergo constat discipulos ipsos verba Christi intellexisse, non metaphorico spiritualis manducationis sensu, qui nihil stupendi efferret, sed ipso veræ manducationis sensu, qui animos audientium novitate sua, sua & incomprehensibilitate turbaverit: atqui postrema hæc intelligendi ratio vera erat: 1mo. Quia alioqui pro summa sua bonitate obstitisset Christus, nè verba sua in sensu tam alieno à veritate acciperentur: neque qui parabolas multò faciliores conceptu exposuit, parabolam manducationis hujus exponere omisisset; 2do. & magis, quia nedum hanc Discipulorum opinationem removerit Christus, quin & difficultatem ex ipsa in eorum animis natam aggravavit. *Hoc,* inquit, *vos scandalisat,* nec concipere potestis qui futurum sit ut carnem meam vobis præbeam in cibum; quid *ergo* cogitabitis deinceps, cùm *videritis Filium hominis ascendentem* in cælum *ubi erat priùs?* Quòd enim vivens in terris homo hominis alteriùs in terris positi carnem manducare possit, concipi utcumque potest; quòd autem hominis in cœlum reversi caro manducari queat in terris, longè difficilius est intellectu. Unde sic: Manducatio de qua loquitur Christus difficilior futura erat post ejusdem Christi ascensionem, quàm antea: atqui si manducatio hæc esset tantùm spiritualis & per fidem, haud utique difficilior esset post ascensionem quàm antè; quia tam facile est credere in Christum post ascensionem, quàm dum ille in terris exinanitus, sub forma servi conversaretur; ergo.

Prob. 2do. Quia sic ubi ambigua est Scriptura, hanc eo necessum est exponi sensu, quem tradidêre SS. Ecclesiæ Doctores, utique qu a sibi traditum ab Apostolis, sicut Apostolis traditum à Christo: atqui SS. PP. citata Joannis verba literali sensu interpretati sunt. Sic S. Hilarius L. 8. de Trinit. n. 13.

* *I. Cor.* 10.

Ipse

Ipſe Chriſtus *ait, Caro mea, verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus* - - - *de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus*· S. Cyril· Alexand. vel potiùs Patres Alexandrini Concilii, in Ep. ad Neſtorium, quæ approbata eſt à Concilio generali Epheſino Act. 5. *Quod dicit* Chriſtus *Joan.* 6. *Niſi manducaveritis carnem & biberitis*, &c. *neutiquam communem carnem* - - - - *exiſtimare debemus, ſed verè illius propriam, qui noſtri cauſa, Filius hominis factus & apellatus eſt.* S. Aug. Tract. 27. in hunc locum: *O Domine! quomodo caro non prodeſt quidquam, cùm tu dixeris, Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam;*

Confirm. Viguit ad 12mum uſque ſæculum pluribus in Eccleſiis conſuetudo Euchariſtiam dandi infantibus: atqui conſuetudo hæc omnino nixa his Chriſti verbis: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* prout diſertè docent Aug, Innoc. I. Gelaſius, &c· ergo.

Obj. 1mo. Ut ex adducto Joannis textu nihil colligi queat, ſufficit ut in eo ſermo ſit de manducatione ſpirituali, non autem de Euchariſtia: atqui res ità ſe habet. Manducatio enim de qua loquitur Chriſtus, tres habet characteres: 1mo. Dat *vitam æternam*; 2do. Ità dat vitam, ut hæc citra illam à nemine obtineri poſſit, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis*; 3tio. Dat vitam independenter ab inſtitutione Euchariſtiæ; dabat enim vitam, quo tempore loquebatur Chriſtus, ut indicat tùm id dictum in præſenti: *Qui manducat hunc panem*, &c. tùm & expreſſius iſtud: *Niſi manducaveritis*, &c. tunc porrò necdum inſtituta erat Euchariſtia: Atqui manducatio triplici hoc charactere veſtita, eſt neceſſariò ſpiritualis, ſeu in apprehenſione fidei poſita. Siquidem manducatio Euchariſtica & oralis, neque dat certò vitam; cùm multi Euchariſtiam recipiendo, judicium ſibi manducent; neque neceſſaria eſt ad vitam, cùm pueri, & adulti plures citra Euchariſtiæ ſubſidium vitam æternam obtineant; neque independenter ab Euchariſtiæ inſtitutione vitam largiri poteſt, uti per ſe patet; ergo.

R. ad 1 neg. min. ad 1. 2. diſt. Manducatio de qua loquitur Chriſtus, dat vitam poſitis ponendis, C. ſecùs, N. Quemadmodum igitur non omnis qui invocat nomen Domini, ſalvus eſt, licèt generatim ſcriptum ſit; *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*; ſic nec omnis qui cœleſtem, de quo Chriſtus loquitur panem manducat, vitam habet: quia ſicut ad invocationis effectum requiruntur pietas & perſeverantia ex aliis Scripturæ textibus, ſic ad effectum panis cœleſtis magnæ

requiruntur dispositiones, præsertim autem ut *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* *

Ad 2. 2. neg. maj. Nihil est enim, ut suo loco videbimus, in textu Christi unde inferri queat panem, de quo ibidem sermo est, vel pueris, vel adultis quocumque in casu necessarium esse.

Ad 3. 2. neg. ant. ejusque probationem. In hoc enim versûs 57. textu: *Qui manducat meam carnem,* supplendum est istud versûs 52. quam *ego dabo*; proindeque uterque textus pari modo respicit futurum, non præsens; cùm actu manducari non possit, quod in futuro duntaxat dandum sit. Certe textus: *Nisi manducaveritis,* &c. non magis actualem manducandæ Christi carnis necessitatem probabat pro Judæis, quàm id Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. actualem Baptismi suscipiendi necessitatem probaverat pro Nicodemo & aliis.

Inst. Manducatio quæ ipsam Christi carnem attingeret, prodesset non solùm ratione spiritûs, sed & ratione corporis: atqui manducatio de qua Christus, prodest tantùm ratione spiritûs, &c. secundùm id v. 64. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Caro non prodest quidquam, id est, carnale ingenium divina mysteria non assequitur, proindeque errant Capharnaitæ, qui verba mea conceptu suo metiri volunt, C. caro sumpta pro corpore Filii hominis non prodest, subd. Caro sejuncta à spiritu vivificante, prout in opinione Capharnaitarum contigisset, C. secùs, N. Itaque, ait Maldonatus, Quotiescumque in sacris Literis nomen carnis opponitur nomini spiritûs, accipitur illud non pro substantia carnis, sed pro hominis infirmitate, ut cùm dicitur Matth. 26. *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Istud igitur: *Caro non prodest quidquam,* non de ipsa Christi carne intelligendum est, sed de carnali Capharnaitarum ingenio, quô dum Christi verba scrutari nitebantur, absurda absurdis cumulabant. Ità exponunt Tertul. Origenes, Cyrillus Hierosf. & Chrysost. Homil. 46. in Joan. ubi hæc habet: *Quomodo ait* Christus, *Caro non prodest quidquam? Non de sua carne dicit, absit; sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur,* ut accipiebant Capharnaitæ. Quo in textu notanda vox, *Absit,* quia nonnisi falsò dici possit Christi carnem non prodesse, cùm indubiè profuerit crucifixa, & pari jure prodesse possit sacramentaliter manducata.

Quòd si objecta verba interpretari velis de Christi carne; sensus erit eam non prodesse, si à spiritu vivificante sejungatur,

* *1. Cor. 11.*

tur, & tractetur ut alimentum commune. Audiatur ea de re Aug. Tract. 27. in Joan. *Quid eſt, caro non prodeſt quidquam? ſed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe intellexerunt quomodò in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur.* Et infra: *Caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro: accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

Inſt. Auguſtinus ipſe realis manducationis ſenſum à Chriſti verbis prorſus excludit Tract. 25. in Joan. *Hoc eſt,* ait, *manducare cibum qui non perit,* nempe credere in Chriſtum. *Ut quid ergo paras dentes & ventrem? Crede, & manducaſti.* Et Tract. 26. ad id v. 50. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens,* &c. *Quod,* inquit, *pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non premit dente.* Unde ſic: Manducatio realis pertinet ad viſibile Sacramentum, nec intus tantùm fit, ſed foris & dente: atqui manducatio de qua Chriſtus, non eſt hujuſmodi juxta Auguſt. ergo. R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. & dico verba iſta: *Ut quid paras dentes,* &c. iſthæc quoque: *Credere in eum, hoc eſt manducare* cibum, qui non perit, ab Auguſtino dicta eſſe non de Sacramento, ſed de fide in Chriſtum incarnatum habenda, eaque non ad Chriſtianos dirigi, ſed ad Judæos, qui pridiè multiplicatis manibus ſatiati, iidem de novo ſatiari peroptabant. Et verò necdum, cùm hæc ſcriberet Aug. pervenerat ad locum Evangelii, ubi agitur de Sacramento. Unde Albertinus locum hunc, licèt à Pleſſæo Mornæo, aliiſque Sacramentariis millies objectum, in erroris ſui patrocinium adducere auſus non eſt.

Illud autem: *Qui manducat corde, non qui premit dente,* dixit quidem Aug. cùm de Sacramento loqueretur; ſed ut ſignificaret eum ſolùm verè refici hoc cibo, qui manducat corde, non qui premit dente ſolo: non autem ut excluderet corporalem eſum; cùm ibidem dicat Judam comediſſe ſolo corpore.

Inſt. 2do. ex Aug. L. 3. de Doctr. Chr. c. 16. *Si Scripturæ locutio flagitium aut facinus videtur jubere, figurata eſt:* atqui, pergit S. Doctor, iſtud Chriſti, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis,* &c. *facinus vel flagitium videtur jubere; figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum,* &c. Subſumo: atqui is S. Aug. diſcurſus realem carnis Chriſti manducationem excludit. Ubi enim non remanet niſi manducatio figurata, ibi tollitur realis quæcumque & oralis manducatio: atqui, &c. R. ad 1. diſt. min. Aug. diſcurſus ex-

cludit realem manducationem sensu Capharnaitarum, C. sensu Sacramentali, N. eam enim solùm manducationem excludit Aug. quæ facinus importaret: porrò facinus quidem importat manducatio Capharnaïtica, per quam caro Christi in frustra immaniter concideretur, prout fit apud Antropophagos; non verò ea per quam caro Christi sumitur invisibiliter & sinè ulla sui læsione.

Ad 2. neg. min. ait quidem Aug. *Figura est*, sed non aït; *Figura tantùm est.* Porrò potest quid esse figura, nec esse duntaxat figura. Sic teste Aug. eod. Lib. 3. c. 12. *Unctio, quâ mulier unxit pedes Christi, & matrimonium quod Oseas contraxit cum muliere fornicaria, figuræ erant rerum aliarum*, atque interim suam dubio procul habebant realitatem. Pari ergo ratione in his Christi verbis, *Nisi manducaveritis*, est, juxta S. Doctorem, aliquid quod figuratè seu non literalîter accipiendum sit, quia si juxta vim verborum, & vulgarem manducandæ carnis rationem intelligatur, facinus sonet, nempe cruentam carnis Domini comestionem. Verùm exclusâ hâc, quæ occideret, literâ, servant prædicta verba realitatem suam, quam licèt eo loci non expresserit Aug. haud tamen exclusit, sed è contra, ut patebit ex infra dicendis.

Conclusio II. Realis præsentia efficaciter probatur ex verbis institutionis: *Hoc est corpus meum.* &c.

Prob. Verba institutionis propriè & literaliter intellecta, præsentiam realem apertè indicant: atqui eadem verba propriè & literaliter intelligi debent, non figuratè, uti accipiuntur à Zuinglianis; Calvinianis, &c. Ut enim verba iustitutionis figurativo hoc Novatorum sensu accipi non debeant, sufficiunt duo, 1mo. ut sensus ille metaphoricus impendio obscurus sit; 2do. Ut abstrusus ille sensus à Christi verbis procul esse debeat: atqui utrumque constat.

Primum quidem. Ille enim sensus abstrusus est & difficilis, qui nemini aut penè nemini se offert; qui statim ac proponitur cuipiam sanæ & piæ mentis, illicò rejicitur? qui demum nec iis probari potest, qui hunc admittere enixè peroptarent: atqui talis est figuratus adversariorum sensus: 1mo. nemini se offert; cùm nec Græci, nec Latini, licèt aliqui & quæritandis allegoriis intenti essent, & verba Christi quotidiè legerent & interpretarentur, ad Scotum usque Erigenam, sensum hunc fuerint subodorati. Certè testatur Zuinglius se, cùm jam defecisset á Catholicis sensum hunc per annos quatuor quæsiisse, nec reperisse nisi, in Hunnii Epistola, quæ argumentum hoc pertractabat; 2do. Sensus ille statim ac proponitur, illicò rejicitur à quocumque piæ & sanæ mentis, cùm, statim ut ex eodem Scoto

Be-

Berengarius & ex utroque Calviniani ſensûs metaphorici ſyſtema ediderunt, adverſantem ſibi undecumque in Oriente & in Occidente Eccleſiam ſenſerint; 3tio. Demum nec iis probatur, qui in eum toto mentis impetu propendebant; quod manifeſtum eſt exemplô Lutheri, qui cùm, ut Papam ageret in rabiem, ſenſum hunc adoptare ardenter exoptaret, veritate tamen & evidentia ſuperatus, nuſquam eò venire potuit, ut ipſum amplecteretur; ergo ſtat 1mo. ſenſum hunc abſtruſum eſſe & difficilem, nedum planus & obvius cenſeri poſſit.

Secundum non minùs evidens eſt. Obſcurus enim & difficilis ſenſus ab iis procul verbis abeſſe debet, quæ omnium apertiſſima eſſe poſtulant, tùm materia de qua ſermo eſt, tùm perſonæ quas alloquebatur Chriſtus, tùm & circumſtantiæ loci & temporis in quibus loquebatur: atqui verba Chriſti apertiſſima eſſe poſtulabant, 1mo. materia de qua ſermonem habebat Chriſtus. Hæc enim materia erat Sacramentum & Teſtamentum: atqui duo hæc claris & apertis locutionibus declarari debuerunt. Conſtat enim 1mo. nulla in veteri vel nova Lege inſtituta fuiſſe Sacramenta niſi verbis intellectu facillimis, ut patet ex Geneſ. 17. ubi circumciſio, ex Exodi 12. ubi Agnus Paſchalis, ex toto Levitico, ubi multiplex Sacrificiorum genus, ac demum ex Matthæi & Marci ultimo ubi Baptiſmus inſtituitur. Quis ergo credat Chriſtum in inſtituendo primario Religionis noſtræ Sacramento, tam ambiguè, tam obſcurè loqui voluîſſe, ut ambigi meritò poſſit panemne an corpus ſuum Diſcipulis ſuis dare intenderit. Conſtat 2do. ipſam Teſtamenti condititionem exigere, ut illud verbîs, quantùm fieri poteſt, propriis & perſpicuis condatur; nè hæredibus detur occaſio litigandi. Hinc Exodi 24. ubi inſtituitur Teſtamentum vetus, nihil eſt quod non propriiſſimis verbis explicetur. Hinc Jacob Geneſ. 49. etſi variîs, cùm prophetat, utitur figurîs, prout exigit conditio prophetiæ, verbîs tamen utitur clariſſimîs ubi Teſtamentum ſuum condit v. 29. Eandem dictionis ſimplicitatem reperire eſt in Teſtamentis David III. Reg. 2. Tobiæ ſenioris Tob. 4. &c. ergo extra omnem veri ſpeciem eſt Chriſtum Dominum, in quo erant *theſauri omnes ſapientiæ Dei*, aliîs quàm propriîs perſpicuîſque verbîs condidiſſe Teſtamentũ ſuum, in quo de ſingulari æternæ hæreditatis medio agitur.

2do. Idem exigebant tùm conditio perſonarum quas alloquebatur Salvator, tùm circumſtantia temporis in quo loquebatur. Scilicet loquebatur amantiſſimus Pater ad Filios, quibus *datum* erat *noſſe myſteria regni cœlorum*, qui proin noſſe debebant naturam Sacramenti, quod & ipſi mox recepturi erant, & aliis deinceps annuntiaturi. Loquebatur inſuper quo tem-

* *Matth.* 13.

 pore

pore tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, atque ideo quo tempore impleri, ſi uſquam, debebat promiſſum iſtud: * *Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis.* Demum loquebatur, ut qui *dilexiſſet ſuos, in finem eos* diligere intelligeretur atqui nulla eſt ex his circumſtantiis, quæ à verbis Chriſti obſcuram, ambiguam & tropicam locutionem non excludat; ut vel minimum attendenti patet; ergo.

Confirm. Supponi non poteſt Chriſtum in occaſione graviſſimi momenti locutum fuiſſe contra receptas ſermonis leges, adeò ut vel non intelligeretur, vel periculosè intelligeretur: atqui ſi per *Hoc eſt corpus meum,* intellexerit Chriſtus, *Hic panis eſt ſignum corporis mei,* indubiè locutus fuit contra receptas ſermonis leges, &c. Ille enim contra ſolitas ſermonis leges loquitur, qui humanum corpus ſignificat per aliquid, quod nec ex natura rei, nec ex inſtitutione quæ ſub auditoris conceptum cedat, idem corpus ſignificare idoneum ſit: atqui in hypotheſi Calviniana Chriſtus corpus ſuum ſignificabat per panem, qui neque ex natura rei ſignum eſt humani corporis, ut liquet; neque ex inſtitutione libera ejuſdem corporis figura reputari poteſt ſinè prævia figurantis monitione: porrò nulla in cunctis ſermonibus Chriſti præceſſerat monitio, quæ Apoſtolorum mentes inclinaret ad credendum ejuſdem Chriſti corpus per panem ſignificari; ergo ſi inſtitutionis verba figuratè intelligenda fuerint; tam ineptè, tam contra ſolitas ſermonis leges locutus eſt, quàm qui ſinè monitione ulla diceret, *Hæc quercus* eſt *Imperator.* Imò ineptè magis, magiſque periculosè locutus eſſet Chriſtus: quia qui diceret: *Hæc quercus* eſt *Imperator,* vel delirare intelligeretur, vel ſub obſcuris & impoſſibilibus neſcio quid myſterii involvere: at verò in Chriſti verbis nec delirum quid ſuſpicari erat, propter ſummam ejus ſapientiam, nec obſcurum quidpiam propter circumſtantias & promiſſa de quibus ſtatim, nec impoſſibile aliquid, propter notam iis ad quos loquebatur ejus omnipotentiam.

Obj. 1mo. Panis nonniſi per figuram dici poteſt corpus Chriſti: atqui in iſta propoſitione, *Hoc eſt corpus meum,* pronomen *Hoc,* ſolum panem demonſtrat. Neque enim demonſtrat vel corpus Chriſti; quia prolata ſolùm voce, *Hoc,* nondum erat, juxtà nos, corpus Chriſti: vel ſpecies, quia ubi ſunt ſolæ ſpecies, ibi jam facta eſt interioris ſubſtantiæ converſio: hæc verò juxta Catholicos non fit niſi jam prolata tota propoſitione; ergo ſupereſt ut demonſtret panem.

Confirm. Chriſtus per pronomen *Hoc,* id demonſtrabat, quod acceperat, quod tenebat manu, quod deinceps benedixit, quod fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: *Accipite & comedite,*

* *Joan. 16.*

&c. atqui quod acceperat Christus, quod tenebat manu, &c. merus panis erat; unde I. Corinth. 10. & 11. vocatur simpliciter panis. *Quicumque manducaverit panem hunc*, &c. ergo.

R. ad 1. dist. min. in propositione Christi pronomen *Hoc* demonstrat panem, sed qui vi propositionis ipsius convertendus sit in corpus Christi, C. panem, qui remansurus sit panis, N. Ut intelligatur solutio, supponendum est propositiones vel esse speculativas, quæ objectum suum supponunt, non autem faciunt, qualis est ista, *Sol licet*; vel practicas, quæ id faciunt quod significant, ut ista *Fiat lux*. Postremæ istæ nisi aliter constituerit Deus, non operantur nisi cùm completè prolatæ sunt: unde in iis res quæ in aliam vertenda est, priorem suam naturam & denominationem servat, donec tota propositio absoluta fuerit. Cùm ergo propositio ista: *Hoc est corpus meum*, sit practica, pronomen, *Hoc*, aliud significat cùm pronuntiatur, aliud postquam finita est propositio, nempè primò panem, & in fine corpus Christi: unde hic occurrit propositio virtualiter duplex, nempè: *Hoc quod in præsenti est panis*, *est nunc corpus meum.*

R. ad 2. dico, vocem, *Hoc*, neque panem, neque species simpliciter, neque corpus Christi, neque substantiam ullam distinctè demonstrare, sed confusè & indeterminatè substantiam præsentem. Ratio est, quia propositio Christi est practica, seu efficiens, ut res Apostolis danda, sit aliquid quod anteà non erat: atqui in his proposi[illegible]ibus, pronomen, *Hoc*, nonnisi confusam & indeterminatam significationem habere potest; quia convenire debet rei & mutandæ & mutatæ. Sic Deus lutum initiô mundi in hominem compingens, dixisset, *Hoc est homo*: aut vertens aquam in vinum dixisset, *Hoc est vinum*, pronomen *Hoc*, nec præcisè & distinctè lutũ subsistens significasset, cùm lutum non sit homo; neque hominem, cùm pronuntiato simpliciter pronomine, *Hoc*, necdum esset homo; ergo idem pronomen confusè & veluti vagè rem præsentem significasset; aut si quid aliud, assignent Calviniani, quodque illi responderint, & nos in facto Eucharistiæ respondebimus.

Ad confirm. dist. maj. Christus per pronomen *Hôc*, id demonstrabat quod acceperat, &c. demonstrabat, inquam, per modum alicujus transitorii, seu in aliud convertendi, C. per modũ rei in esse suo permanentis, N. Hæc solutio ab ipsis Novatoribus admittenda est; si enim ut panem Eucharisticum, merum esse panem, non autem sacramentale quid ostendam, sic disputem: *Christus non dedit Discipulis nisi id quod acceperat: atqui nonnisi communem panem, non autem qui gratiæ productivus esset, acceperat; ergo nonnisi communem panem dedit*

dit Discipulis, indubie respondebunt, id quod primò panis fuit communis, panem sacramentalem evasisse. Ultra progredimur Catholici prævis Scriptura & Traditione, idque quod initio merus panis erat, in fine corpus Christi fuisse contendimus.

Ad id quod additur ex 1. Corint. 10. dico Eucharistiam appellari panem, 1mo. quia ex pane in ipsam conversio facta est: sic Exodi 7. serpens à Moyse productus appellatur virga, quia ex virga in eum conversa factus erat; 2do. & præcipuè, quia est cibus hominis: generatim autem Hebraica phrasi cibus omnis nomine panis exprimitur: unde Sap. 16. & alibi manna vocatur panis; 3tio. quia retinet accidentia panis: unde etiam Angeli sæpius in Scripturis vocantur viri, quia sub virili specie apparebant.

Inst. si vox *Hoc* in fine propositionis sit idem ac corpus Christi, propositio ejusdem Christi erit identica & nugatoria; perinde enim erit ac si dixisset: *Corpus meum est corpus meum*? atqui &c. R. neg. maj. non enim identica vocatur propositio cujus subjectum est idem re cum attributo; alioqui identica foret omnis definitio, ut ista: *Homo est animal rationale*: sed cujus attributum nullam omnino novam notionem addit subjecto, ut si dicas, Gladius est gladius: porrò in propositione Christi, attributum quod est, *corpus meum*, novam subjecto *hoc* addit notionem. *Hoc* enim confusè tantùm significat quod clariùs evolvit nomen *corporis*. Certè si identica sit propositio institutionis, eandem ob causam & magis identica erit propositio ista Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus*, aliæque ejusdem conditionis innumerabiles.

Obj. 2do. Ut in propositione Christi verbum *est* idem sit ac *significat*, duo sufficiunt, 1mo. ut acceptio hæc in aliis pluribus Scripturæ locis frequens sit; 2do. Ut eædem in propositione Christi rationes acceptionem illam adstruant, quæ in his Scripturæ locis: atqui utrumque constat. Primùm quidem, 1mo. ex Genes 17. ubi circumcisio vocatur *fædus*, id est, *signum fæderis*, 2do. ex ejusdem Libri c. 41. ubi *septem boves pulchræ*, & *septem spicæ plenæ*, quas vidit Pharao, *septem ubertatis anni sunt*, id est significant; 3tio. ex Exodi 12. v. 11. ubi Agnus Paschalis *est Phase*, id est, *transitus Domini*, nempe quia erat signum transitûs. Secundum non minus evidens est. Ideo enim in prædictis Scripturæ locis verba figuratè accipiuntur, quia id exigunt circumstantiæ seu temporis, seu personarum à quibus vel ad quas dirigebatur sermo, &c. atqui eædem circumstantiæ exigunt ut Christi verba figuratè intelligantur. Hæc enim prolata sunt à Christo Sacramentum instituente: atqui

eò

eò ipſò figuratè intelligi debuerunt: cùm Sacramentum ut ſic ſignum ſit ſeu figura rei ſacræ; ergo.

R. ad 1. neg. min. quam non probant objecti Scripturæ textus. Non 1. ſiquidem Geneſ. 17. circumciſio non dicitur eſſe pactum ſeu fœdus, ſed conditio pacti ineundi, ejuſdemque initi ſignum. *Hoc eſt*, ait Deus v. 10. *pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos - - - - circumcidetur in vobis omne maſculinum.* Et v. 11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Adducant porrò adverſarii aliquod Scripturæ teſtimonium in quo panis dicatur ſignum corporis Chriſti.

Non 2. nam Geneſ. 41. quærit Pharao interpretationem ſomnii, proindeque quærit quid ſignificent boves & ſpicæ quas vidit per ſomnum. Reſpondet Joſeph, *ſeptem boves pulchras eſſe ſeptem fertilitatis annos*; ergo cùm reſponſio ſit ad mentem interrogantis ſtatim intelligitur ſeptem annos per ſeptem boves ſignificari. Quis, niſi Zuinglianos oculos habens, ſimile quid detegat in his verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Et verò ubicumque eſt viſio prophetica, ac proinde præſaga futuri, ibi neceſſariò quod actu objicitur menti, rei alterius imago & figura eſſe intelligitur.

Non. 3. Siquidem Exod. 12. *vox eſt* non ſumitur pro *ſignificat*, ſed in ſenſu reali, adeò ut, *Agnus eſt phaſe*, ſeu Paſcha, vel tranſitus, idem ſit ac, *Agnus eſt victima tranſitûs.* Nempè verò Hebraicæ linguæ familiare eſt ſacrificia denominare à rebus pro quibus offeruntur. Sic Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, quia comedunt victimas pro peccato oblatas; ſic juxta Apoſtolum Chriſtus *pro nobis peccatum* factus eſt, quia factus ſit victima pro peccatis noſtris; ſic Luc. 22. *neceſſe erat occidi Paſcha*, id eſt, victimam paſchalem. Ergo non *albus*, ſed *ater* & imperitus erat ille *neſcio quis*, qui Zuinglium monuit, ut citatum Exodi locum arriperet, &c. præſertim cùm ibidem ſibi interpres Scriptura id quod primò tranſitum vocavit, deinceps appellet *victimam tranſitûs*.

Nec eſt quod objiciant ea Evangelii loca in quibus Chriſtus ſe vitim, oſtium, aut ſimile quid eſſe declarat; hæc enim nihil commune habent cum verbis inſtitutionis. Qui enim dixit, *Hoc eſt corpus meum*, non dixit vite, vel oſtio in particulari demonſtratis, *Ego ſum hæc vitis*; *hoc oſtium &c.* & multo minus, *qui oſtium hoc frangit, frangit corpus meum.* Adde quòd quidquid in his figuratum eſt, à Chriſto expoſitum ſit: *Ego*, inquit, *ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, &c. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites! ſicut palmes non po-*

test ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, &c.

Quanquam si verbum *est* in objectis locis idem foret ac, *significat*: nihil hinc inferre possent Zuingliani: quia sicut absurda est hæc ratiocinatio: Multa animalia sunt asini: atqui Petrus est animal; ergo Petrus est asinus; sic & absurda est isthæc: Verbum *est*, in pluribus locis sumitur significativè: atqui in textu institutionis occurrit verbum, *est*; ergo, &c. quia utrobique concluditur ex particularibus, quod insigniter vitiosum est. Et verò quis longè tutiùs hunc in modum cum Catholicis non discurrat: E ducentis millibus Scripturæ locis vix decem sunt ubi *est*, sumatur pro *significat*; ergo longè probabilius est; idem verbum haud sumi *significativé* in textu Christi.

Ad 2. neg. min. Imò Apostoli statim ut senserunt à Christo institui Sacramentum illud, quod tanta cum solemnitate spoponderat Joan. 6. quod ibidem non obstante Discipulorum quorumdam scandalo confirmaverat; quod desiderio desideraverat instituere; quod demum actu instituebat ut perenne monumentum tenerrimæ in *suos* dilectionis; statim, inquam intelligere debuerunt haud porrigi sibi vacuam & inanem rei absentis figuram, sed signum sub quo verè & plenè delitesceret corpus Christi. Neque enim ubicumque est signum rei, hic statim deest realitas. Sic & columba quæ in Christū descendit, & igneæ quæ in Apostolis die Pentecostes illapsæ sunt linguæ, signum fuêre Spiritûs sancti non absentis, sed præsentissimi.

At, inquit Calvinus, propositio Christi est sacramentalis: atqui propositio sacramentalis est necessariò significativa: ergo. Verùm errat Novator. Siquidem sacramentalis propositio, ut rei absentis, sic & præsentis significativa esse potest. Erit autem indubiè significativa rei præsentis, si rem præsentem indicet: porrò verba institutionis corpus Christi præsens indicant; ergo non eo sensu figurativa sunt, quòd realitatem excludant.

Obj. 3. Verba institutionis, nisi metaphoricè intelligantur, pugnant cum aliis Scripturæ textibus; & 1mo. contra id Math. 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Siquidem corpus Christi in secessum emitti non potest; ac proinde nec in os intrare realiter; 2do. contra istud ibid. c. 24. *Si quis vobis dixerit, Ecce hìc est Christus, aut illic, nolite credere.* Ergo fallunt Catholici, cùm aiunt: Ecce est Christus in hoc vel illo altari; 3tio. contra hoc ejusdem c. 26. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis:* porrò si Christus in Eucharisti a realiter præsens

esset

esset, eum semper habuissent Apostoli; 4to. contra hæc Marci ult. *Assumptus est in cœlum; & sedet á dextris Dei:* &c.

R. neg. ant. Sicut enim Sociniano objicienti, verba quibus astruitur personarum Trinitas, aliis adversari Scripturæ textibus qui unitatem commendant. respondet Calvianianus reipsa non adversari, quæ prima fronte oppositi quidqiam habere videntur: sic & idem in præsenti casu respondendum est Calviniano. Regeret is quidem multùm esse inter utramque causam discriminis: at idem dabit responsum quisquis Novator esse volet, cùm vix ulla sit fidei veritas, quæ ex nonnullis Scripturæ textibus impugnari non possit.

Ad 1. dist. maj. Quod in os intrat ad nutriendũ corpus, & ut cibus communis de quo loquitur Christus, in secessum emittitur, C. quod in os intrat ad nutriendam animam, N. Absit enim ut panis vitæ, panis, quem qui manducaverit non morietur, panis Angelorum, inter usuarios panes censeri possit; ergo Eucharistia cæterorum ciborum sorti obnoxia non est. Unde si quid hic accidat corruptionis, recidit id totum in species, non in ipsum Christum, qui sicut incipit esse sub speciebus post consecrationem, ità & sub his esse definit post ipsarum corruptionem, sinè ulla ex parte sui læsione & detrimento.

Ad 2. neg. conseq. Siquidem Pseudochristi, quibus Salvator in Objecto textu credi vetat, annuntiandi erant ab impostoribus, 1mo. ut absconditi *in deserto & in penetralibus*; 2do. Ut humano more tractantes cum hominibus; 3tio. Ut operantes miracula, quibus, nisi breviarentur dies, ipsi in errorem inducerenrur electi: atqui Christus Eucharistus nec latet in deserto, sed palàm mediis in urbibus triumphat; nec humano more tractat cum mortalibus, sed occisi & immolati agni speciem habet; nec facit miracula propter quæ breviati sint dies: cum crebra & continua operetur.

Ad 3. dist. maj. Apostoli haud semper habituri erant Christũ secundùm statũ in quo utilitatis quidpiam ab hominibus recipere posset, C. secundùm alium quemcumque statum, N. Vindicat hic Christus factum Magdalenæ, quæ nardi pretiosi copiã effuderat in caput ipsius, non ad honorem tantùm, sed & ad utilitatem, nempe ut fatigata ejus membra refocillaret; ergo cùm verba Christi hic ut & alibi pro subjecta materia intelligi debeant, prænuntiat quidem se haud semper futurum cum Apostolis in statu in quo similia charitatis obsequia recipere possit; sed non ideo negat se cum iis in ullo prorsus statum futurum esse. Hunc esse objecti loci sensum manifestè indicat antithesis à Christo facta: sic enim loquitur Marci 14.

Pau-

Pauperes ſemper habetis vobiſcum, ET CUM VOLUERITIS, POTERITIS ILLIS BENEFACERE; *me autem non ſemper habebitis,* utique cui in eodem genere benefacere poſſitis. Hic obiter not. in textu Joannis non legi, *Me non ſemper habebitis,* benè verò me *Non ſemper habetis,* unde culpata verſio Montenſis quæ cum Genevenſi vertit;

Ad 4. neg. min. Stat enim & Chriſtum aſcendiſſe in cœlos, ibique ad uſque judicii diem manſurum in ſtatu connaturali, & eundem inviſibilî modô præſentem fieri in Euchariſtia; neque ad id neceſſe eſt ut deſerat cœlum, aut inde locali motu deſcendat: ſicut etiam ut appareret Paulo. Act. 9. non deſeruit cœlum, ſed ſolùm ſe conſtituit ubi voluit, & quomodo voluit.

Obj. 4to. Quod eſt genimen vitis, non poteſt eſſe ſanguis Chriſti: atqui ex Chriſto ipſo Matth. 26. poſt conſecrationem non erat in calice niſi genimen vitis. R. neg. maj. ut enim corpus Chriſti aptè poſt conſecrationem vocatur panis, ſic & ſanguis ejus poteſt vocari genimen vitis, ob rationes ſuprà allatas.

Obj. 5to. Quod inſtitutum eſt in memoriam rei, ejuſdem rei abſentiam ſupponit: atqui Euchariſtia in memoriam Chriſti inſtituta eſt; Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo.

R. 1. neg. maj. 1mo. Quia memoria rei non opponitur ejuſdem præſentiæ, ſed ſolùm oblivioni; cùm fieri poſſit ut rerum maximè præſentium obliviſcamur, Dei v. g. in quo tamen *vivimus, movemur & ſumus*; 2do. Quia Chriſtus eſt quidem præſens in Euchariſtia, ſed modo prorſus inſenſibili; ergo neceſſum eſt ut præſentia ejus per aliquid revocetur in mentem, & quaſi ſuppleatur.

R. 2do. diſt. min. Euchariſtia eſt commemoratio Chriſti ut patientis & morientis, ſecundùm id 1. Corint. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* &c. C. Chriſti ſimpliciter & præciſè, N. porrò mors & paſſio Chriſti jam pridem tranſierunt; ergo earum memoria fieri poteſt in Euchariſtia, licèt ibi Chriſtus realiter & ſubſtantialiter exiſtat.

Obj. 6to. ex 1. Corint. 10. *Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt*: atqui non manducaverunt carnem Chriſti niſi ſola fide aut in figura; ergo neque nos aliter eam manducamus.

R. diſt. maj. Patres noſtri eandem eſcam manducaverunt inter ſe, C. eandem nobiſcum, N. Hebræi tam boni quàm mali idem inter ſe manna comederunt, ut & mare tranſierunt, &c.

at nullibi eandem nobiscum escam manducasse perhibentur, nisi fortè in figura, quatenus corpus quo in Eucharistia vescimur, figurabatur per manna, ut per maris transitum Baptismus noster. Itá S. Aug. L. 2, contra Lit. Petiliani c. 37.

Conclusio III. Patres priorum Ecclesiæ sæculorum præsentiam realem admiserunt.

Prob. 1mo. de Patribus sæculi II. S. Ignatius in Epist. ad Smyrnæos de quibusdam temporis sui hæreticis sic loquitur: * *Ab Eucharistia & oblatione abstinent, eò quòd non confitentur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri J. C. quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.* Ex iis sic: *Eadem est, juxta Ignatium, in Eucharistia caro quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Deus suscitavit; idque soli negebant hæretici tempore S. Martyris: atqui caro quæ passa est pro peccatis nostris, &c. haud mera figura erat; ergo.

S. Justinus ex Philosopho Gentili Christianus & Martyr in Apologia vulgò 2. Imperatorem Titum Antonium, & Senatum Romanum sic compellat: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum* Eucharistiam *sumimus: sed quemadmodum Servator noster, carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Unde sic 1mo. eo modo juxta S. Justinum, panis & vinum per verba à Christo instituta fiunt corpus & sanguinis Christi, quomodo homo factus est servator noster J. C. atqui in Incarnatione Servator noster, non metaphoricè & in figura, sed verè & substantialiter factus est homo; ergo. 2do. Justini verba in sensu obvio & naturali realitem exprimunt: atqui eadem verba in sensu obvio & naturali intelligi debent. Sic eni[m] proposita fuère Imperatoribus & Senatui Romano; non autem in metaphorico Zuinglianorum sensu. Neque enim Imperator & Senatus ab *atro* Zuinglii *spiritu* dedicerant, verbum *est* metaphoricè sumi & detortè; ergo.

Prob. 2do. de Patribus sæculi III. Tertul. Lib. de Idololatria c. 7. insurgens adversùs idolorum artifices, qui manibus eo scelere contaminatis ad Eucharistiam accedebant: *Audent;* inquit, *eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpore conferunt - - - Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt: isti quotidiè corpus ejus lacessunt: O manus præcidendæ.* Unde sic: Comparat eo loci Tertullianus crimen eorum qui impura manu corpus Christi contrectant, cum crimine Judæorum, qui violentas in idem corpus manus intulerunt:

* *Obiit an. 108. Obiit an. 161.*

runt: atqui exigit comparatio hæc ut idem utrobique corpus violatum sit. Quæ enim proportio ſceleris in quo læditur ipſa Regis perſona, ad ſcelus quo ſola ejuſdem Regis imago impetitur? Nulla, præſertim cùm abeſt, ut aberat in iis quos impetit Tertullianus, intentio lædendi exemplar in imagine ipſius; ergo.

Idem L. de reſurr. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur - - - - caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*: atqui caro nec veſcitur corpore Chriſti per fidem apprehenſo, cùm hujus apprehenſionis ſit incapax: nec eodem veſcitur tanquam veri corporis Chriſti, ſymbolo; cùm alioqui Iſraëlitæ, manna vel Agnum Paſchalem manducando, quæ totidem Chriſti corporis ſymbola erant, Chriſti corpore nutriti fuiſſent; ergo eo ſenſu vera caro vero Chriſti corpore veſcitur, quòd ipſum oraliter & realiter percipiat.

Cyprianus ſplendidum ævo ſuo Africæ, ſeu magis totius Eccleſiæ lumen, Lib. de lapſis, ſcelus eorum, qui ab idolorum cultu recentes, necdumque ſatis pœnitentia purgati, accedebant ad Euchariſtiam, nervosè inſequitur: *Corpus Domini invadunt - - - vis infertur corpori ejus & ſanguini: & plus modò in Deum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt*. Refert deinde S. Martyr quatuor ultionis miracula adversùs eos, qui indignis manibus corpus Domini tractare voluerunt. Jam verò concipi non poteſt, leviùs peccare eum, qui coram perſecutore Chriſtum negat, quàm qui cum conſcientia mortalis peccati aliquam Chriſti figuram, puta Evangelii Librum, aut imaginem crucifixi contrectat; ergo neceſſum eſt ut in Euchariſtia extet aliquid mera figura longè præſtantius.

Obj. 1mo. Tertull. ut contra Marcionem probet Chriſtum non fuiſſe adverſarium Creatoris mundi, ſic loquitur L. 1. c. 14. *Uſque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit - - - - nec panem in quo ipſum corpus ſuum repræſentat.* Unde ſic, Si Chriſtus in Euchariſtiâ præſens eſſet, jam non repræſentaret corpus ſuum in pane, ſed ſublato pane præſens faceret; atqui tamen ex Tertull. R. neg. maj. Namque in phraſi Tertullianâ *repræſentare*, idem ſepius eſt, ac præſens ſiſtere. Sic 1mò. L. de reſurrect carnis, c. 14. ait Tertullianus, carnem in ultimo judicio *repræſentandam* eſſe, id eſt, futuram præſentem. Sic in ipſo contra Marcionem Opere, Lib. 4. c. 22. ait Deū Patrem *repreſentaſſe* Filium ſuum in monte Thabor, utique non in ſigno aut figura, ſed in propriâ ſpecie.

Inſt. Tertull. ibid. hæc habet: *Acceptum panem & diſtributum* Di-

* *Obiit an. circiter 259.*

Discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Unde sic: Qui verba, *Hoc est corpus meum*, vult idem prorsus esse cum istis, *Hoc est figura corporis mei*, ille in Eucharistia meram agnovit figuram, nec proinde realitatem: atqui Tertul. &c.

Ut argumento in speciem difficili satisfiat, notandum particulam explicativam; *Id est, figura corporis mei*, construi & conjungi posse, vel cum subjecto propositionis, cui accedat ut explicatio; vel quod naturale magis videtur, Cum attributo propositionis ejusdem. Priori modo is est propositionis sensus: *Hoc, id est panis, qui in veteri Lege fuit figura corporis mei, est corpus meum in Eucharistia.* Posteriore autem modo is erit sensus: *Hoc est corpus meum, id est figura,* seu plena, seu vacua, corporis mei.* Posterior iste sensus Calvinianis favere potest: prior nonnisi Catholicos juvare: atqui prior ille sensus omnino retineri debet. Ad id enim sufficiunt duo, 1mo. ut sensum hunc requirat orationis series, & Tertulliani propositum; 2do. Ut transpositio, quæ tunc in Tertulliani phrasim invehitur, stylo ejus mirè congruat: atqui utrumque verum est: & quidem ut à secundo exordium ducamus, certum est hyberbata seu transpositiones apud Tertullianum crebro reperiri. Sic Lib. contra Praxeam *Christus mortuus est, id est unctus*; ubi vox, *unctus*, explicat subjectum *Christus*, non autem attributum, ut per se patet, statimque, & quidem per aliud hyberbaton indicat Tertullianus, sic pergens, *Id quod est unctum, mortuum ostendit, id est carnem.* Nec minùs constat, scopum Tertulliani, ejusque orationis seriem, sensum hunc requirere. Nempe 1mo. pugnat ut probet, panem ab antiquo fuisse figuram corporis Christi, quam is in Eucharistia impleverit; ergo vox *figura*, non ad corpus referenda est, sed ad panem; 2do. Conceptis terminis addit, *veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam: Venite conjiciamus lignum in panem ejus*, &c. ergo non in Eucharistia, sed apud Jeremiam fecit Christus panem corporis sui figuram; 3tio. Persequitur Tertullianus, celebrem hanc explicans prophetiam Jacob Genes. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*; & postquam carnem Christi per stolam, ejus verò sanguinem per vinum demonstrari dixit, subjungit continenter: *Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.* Unde sic: Eodem modo loquitur Tertul. de pane ac de vino: atqui dum dicit vinum esse, vel potiùs fuisse figuram sanguinis Christi, loquitur de veteri figura, quæ futurum aliquando in vino sanguinem Christi jam à tem-

po-

poribus Patriarchæ Jacob designaverit; ergo cùm loquitur de figura corporis sui, loquitur de veteri figura. His præmissis.

R. neg. min. ut enim Tertull. dicat panem esse figuram corporis Christi, necessum est, ut voces istæ: *id est figura corporis*, &c. cadant in attributum propositionis, non autem in subjectum: atqui è contrario cadunt in subjectum, ut patet ex dictis; ergo. Atqui hinc Tertulliani textus Catholicum dogma luculentè confirmat, dum explicatissimè asserit, quod Christus acceptum panem fecerit corpus suum.

Prob. 3. de PP. sæculi IV. Et 1mo. Patres Nicæni can. 18. sic perstringunt Diaconos, qui eò devenerant temeritatis ut Eucharistiam darent ipsis Sacerdotibus? *Neque Canon, neque Consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi*; ergo quod in Eucharistia datur, est corpus Christi simpliciter & sinè addito, ac proinde non in figura solùm.

2do. Eusebius Cæsariensis apud Damascen. L. 3. parellel. c. 15. *Spiritus S. consecrat dona proposita, panisque sit pretiosum corpus Domini nostri, & potus, pretiosus ejus sanguis.* Hæc si Romanam fidem non adstruunt, nescit ipsa fidem suam adstruere R. Ecclesia, quæ terminos clariores ignorat.

Cyrillus Hierosol.* catech. 4. *Cùm igitur*, inquit, *Christus pronuntiaverit & dixerit de pane, Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? & cùm ipse asseveraverit, & dixerit, Hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galileæ transmutavit, & eum parum dignum existimabimus cui credamus, cùm vinum in sanguinem transmutavit? --- Quare cum omni persuasione tanquam corpus & sanguinem Christi* illa *sumamus. Nam in figura* seu specie *panis datur tibi corpus, & in figura vini datur tibi sanguis, ut cùm sumpseris corpus & sanguinem Christi, concorporeus & consanguineus ipsi efficiaris: sic etenim Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus & sanguine.* Unde sic: Verba S. Cyrilli literaliter & ut sonant, intelligi debent: atqui eadem verba intellecta literaliter præsentiam realem disertè adstruunt. Major constat, tùm quia Sacea Doctor catechisticam fidei expositionem facit, quæ summam in sensu ut in verbis simplicitatem postulat; tùm quia alloquitur recèns baptisatos omnis ætatis, conditionis & sexûs, qui cùm pro more vulgi, per partem maximâ rudes essent, aut certè assueti erant subtilitatibus illis, quas tanto animi ac vultûs sudore commenti sunt Calviniani. Prob, itaque minor. Ubi est transmutatio ei similis, quâ aqua in vinum conversa est; transmutatio per quam sub

* *Obiit. an. 136.*

sub figura & specie panis datur corpus Christi; transmutatio vi cujus distribuitur in membra nostra corpus & sanguis Christi, adeò ut eidem concorporei & consangues efficiamur, transmutatio circa quam haud habenda est fides sensibus, qui deciperent, sed verbis Christi qui verè asseverat quidquid asseverat; ubi, inquam, hæc omnia concurrunt, ibi realem præsentiam haberi necessum est: atqui ex S. Cyrillo, &c.

Ambrosius L. de mysteriis c. 8. n. 48. *Considera*, inquit, *utrùm præstantior sit panis Angelorum*, manna; *an caro Christi - - - -* sanè *potior est lux quàm umbra, veritas quàm figura, corpus autoris cœli, quàm manna de cœlo. Fortè dicas: Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quòd corpus Christi accipiam - - - - - Probemus* igitur *hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim benedictionis esse, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur.* Tùm adductis parium mutationum exemplis, ut virgæ in serpentem, serpentis in virgam, fluvialis aquæ in sanguinem, sic prosequitur: *Si tantùm valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini operantur?* An *non valebit Christi sermo, ut species,* naturas *mutet elementorum? - - - -* An *sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?* Hic à capite ad calcem traditur & probatur dogma Catholicum.

Obj. 1mo. Hæc Eusebii verba è L. 1. Demonstrat. Evangel. c. 10. *Quemadmodum Melchisedech solo pane & vino Abraham benedixit; ità & nos - - - - pane & vino mysteria corporis ac pretiosi sanguinis exprimimus*; ergo, ait Patrum tortor Albertin. ut solum panem, solumque vinum obtulit Melchisedech, sic & solus à nobis in Eucharistia panis offertur. R. neg. conseq. Non enim dicit Eusebius solum à Christianis offerri panem, ut solus oblatus est à Melchisedech, sed pane & vino exprimi mysteria corporis & sanguinis Christi; quod verissimum est: cùm mysteria hæc & conficiantur ex pane & vino, & sub panis & vini speciebus involvantur.

Inst. Eusebius ibid. L. 8. *Ipse*, Christus, inquit *divinæ œconomiæ symbola discipulis suis tradidit, jubens eos proprii corporis imaginem facere.* Unde sic: Imago non idem est cum eo, cujus imago est: atqui quod Christus Discipulos suos facere jussit in Eucharistia per consecrationem, est proprii ejus corporis imago. R. dist. maj. imago non est idem cum re, cujus est imago, sed sub ea quandoque includi potest, C. & non potest sub ea includi, N. quemadmodum igitur columbæ in Christum descendenti, quæ Spiritûs S. imago erat, inexistebat verè Spiritus S.

sic & speciebus Eucharisticis, quæ typus sunt & imago corporis Christi, idem Christi corpus inexistere potest; nec contrarium ex Eusebio probabunt Albertiniani, quod nobis sufficit; quia cadit objectio; statim ac non est *cogens*; non est autem *cogens*, seu demonstrativa, quæ probabiliter elidi potest.

Obj. 2do. Non magis ex eò quòd Cyrillus moneat Neophytos, ne ad panem eucharisticum tanquam ad vulgatum panem accedant, inferri potest panem hunc mutari substantialiter, quàm inferri queat aquam Baptismi mutari substantialiter, quia monet idem S. Pater non esse ad hanc accedendum ut ad rem communem: atqui, &c. R. ad 1. Conc. totum: non enim eò præcisè ex Cyrillo realitatem probamus, quia is panem consecratum neget esse jam communem panem; sed quia docet panem hunc fieri corpus Christi, prout aqua olim apud Canam facta est vinum; quòd cùm idem S. Doctor de Baptismali aqua nusquàm dixerit, certò constat admissam ab eo fuisse in Eucharistia mutationem, quàm alibi nusquam admiserit.

Obj. 3tio. Ambros. L. 1. de officiis c. 48. *Umbra est in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus - - - Hic offertur Christus in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intercedit*: atqui oblatio in imagine, cùm opponitur oblationi in veritate, nihil esse potest quàm oblatio in signo & figura; ergo. R. neg. min. oblatio enim in imagine est oblatio sub aliena specie facta; hæc autem non cuicumque veritati opponitur sed veritati sub propria specie manifestatæ, quæ nonnisi in cœlestibus habitat. Unde ibid. S. Ambrosius: *Antè agnus offerebatur - - - - nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo recipiens passionem.*

Inst. Ex Ambr. L. de initiandis c. 9. *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem corpus Christi significatur.* Unde sic: Ubi est significatio mera corporis Christi, ibi non potest alia esse oblatio, quàm meræ imaginis: atqui ex Ambrosio mera est in Eucharistia significatio corporis Christi, &c.

R. neg. min. Vox enim, *significatur*, idem est ac *appellatur*, ut demonstrant similia hæc ibid. verba: *Ante consecrationem aliud dicitur*, nempe vinum,; *post consecrationem sanguis nuncupatur.* Unde Ambrosii sensus est: Si quis interroget nos, quid sit in altari, ante consecrationem, respondemus panem, post consecrationem, corpus & sanguinem Domini; ergo.

Prob. 4to. de Patribus sæculi V. Chrysost. Hom. 83. in Matth. ubi institutionis verba ex professo explicat, hæc habet: *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi*

tioni nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, nam verba ejus fallere non possunt; sensus verò noster deceptu facillimus est - - *Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus* - - - - *O quot modò dicunt, Vellem formam & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa videre? Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus videre desideras, ipse verò seipsum tibi tradit, non ut videas solùm, verùm etiam ut tangas, & in te habeas.* Et paulò post: *Cogita quanta indignatione adversùs proditorem, adversùs eos qui crucifixêre ipsum, movearis; & cave nè tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè sacrosanctum corpus trucidârunt: tu sordida suscipis anima?* - - - - *Ea & nos alimur* carne, *quam Angeli videntes tremunt* - - - - *Quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Non sunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc ea confecit, nunc quoque operatur. Ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.*

Homil. 24. in c. 10. I. Corint. ad hæc verba: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne corporis Christi est? Hoc est*, ait S. Doctor, *quod dicit* Apostolus. *Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere & illius sumus participes. Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lanceâ percussum* - - - - *Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt Magi* - - - - *Tu autem non in præsepi vides, sed in altari*, &c. Ex iis, quæ qui cum Albertino solvere nituntur, Tridentinos, si Chrysostomi tempore conditi essent, de realitate canones, pari successu solverant; ex iis, inquam, sic disputo: Qui in Eucharistia non tantùm penes accidentalia, sed in se ipso recipitur; qui ab indignè communicantibus in eo læditur corpore, à quo & à proditore, & à cruxifixoribus suis læsus est; qui ea nos alit carne, quam nonnisi trementes vident Angeli; qui proprio nos pascit sanguine, eô nimirum qui è latere fluxit; qui ut tanta hæc miracula, quæ nisi præstò sit fides, rationi perinde & sensibus absurda erunt, operetur, terrenam oblationem sanctificat, atque transmutat; ille utique est in Eucharistia substantialiter præsentissimus: atqui ex S. Chrys. nisi iis verbis abuti perpetuò voluit, Christus, &c. ergo.

Obj. 1mo. Chrysost. Hom. 51. nunc 50. in Math. n. 3. de Christo hæc loquitur: *Qui id quod majus erat dedit; hoc est seipsum: multò magis dignabitur suum tibi tradere corpus?* Unde sic: Ex Chrys. dat Christus in Eucharistia minus aliquid quàm dederit in passione: atqui si se ipsum substantialiter daret in Eucharistia, non daret quid minus, &c.

R. dist. maj. Dat Christus minus aliquid quoad modum &

circumstantias, C. quoad substantiam, N. Qui in passione dedit corpus saturandum opprobriis, spinis coronandum, affigendum cruci, majus quid quoad circumstantias dilectionis dedit, quàm in Eucharistia: quia majorem hâc nemo dilectionem habet, quàm ut animam suam pro amicis, & pro inimicis ponat: sed non dat majus quid quò ad substantiam doni; quia utrobique res eadem datur. Unde sic pergit S. Doctor: *Sacras nobis carnes suas comedendas dedit, seipsum apposuit immolatum. Quæ igitur nobis excusatio erit, cùm agnum comedentes, lupi efficiamur; cùm ovem manducantes, instar leonum rapimus!*

Inst. Chrysost. mentem suam tam disertè explicat in Epist. ad Cæsarium Monachum, ut cœcutire oporteat eum, qui negatam ab eo realitatem neget. Sic ille: *Sicut antequam sanctificetur panis; panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permansit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus: sic & hîc divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque fecerunt.* Unde sic: Id in quo manet natura panis, merus omnino panis est post consecrationem, atqui ex S. Chrysost. in Eucharistia manet natura panis, &c.

R. 1mo. Quidquid in contrarium juret Albertinus, prædictam Epistolam non Chrysostomi, sed ignoti alicujus, qui post exortas Nestorii & Eutychetis hæreses scripsit, quique, cùm ex iis quæ de Deitatis passibilitate dixit, non nihil adversæ suspicionis inducat, haud multùm negotii facessere debet. Spuriam porrò esse Epistolam hanc, probatur 1mo. quia à nemine ante Leontium laudata est: etsi perspicua adversùs Eutychianos & Monothelitas loca habeat, quæ, qui prædictos hæreticos impugnarunt, non omisissent; quia turget ea locutionibus circa duplicem Christi naturam, quæ non nisi post Cyrilli Alex. ætatem usu fuerunt; 3tio. quia inscriptio & subscriptio hujus Epistolæ, quibus eò quod Chrysostomi nomen præferunt, præcipuè nituntur adversarii, apocrypham hanc esse suadent; cùm ex 252. & eo ampliùs Epistolis, quas in exilio suo scripsit S. Doctor, ne una quidem est quæ pari modo inscribatur & subscribatur; 4to. Quia ut notat peritus hujus rei judex Bernadus de Montfoucon, stylus Epistolæ ad Cæsarium, à Chrysostomi dicendi genere adeò alienus est, ut qui ex aliis ejus scriptis & Epistolis ad hanc se conferat, in alium se Orbem translatum putet; ergo.

R. 2do. dist. min. in Eucharistia manet natura panis, sumpta pro congerie qualitatum naturalium quæ sensus afficiunt, C. sumpta pro intima rei seu panis substantia, N. Ad solutionis veri-

veritatem duo sufficiunt, 1mo. ut per naturam rei nihil plerumque aliud apud Patres intelligatur, quàm naturales ejusdem rei proprietates, quæ sensus movent; 2do. Ut hoc sensu intellectam à prædicto Authore hanc naturæ vocem suadeant circumstantiæ omnes ex quibus ambigui loci sensus determinari possit: atqui utrumque constat. Primum patet: sic enim Chrysostomus ipse Homil. 12. in Genes. cùm de igne fornacis Babylonicæ ageret, *Dominus*, inquit, *prout vult, unum quodque elementorum in contrariam convertit essentiam*; neque tamen vult contra Scripturæ testimonium suam igni ademptam esse naturam, sed solùm urendi qualitatem. Sic, quod gravius est, Alexander Episcopus Alex. in Ep. ad Alexand. C. P. duas Patris & Filii naturas dicere non veretur, quia Filius quà Filius, alius est à Patre. Sic Tertul. Lib. de anima cap. 22. *Aliud est substantia, aliud natura substantiæ - - - - Suscipe exemplum: Substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis & ferri, natura substantiæ est*; Ubi natura rei idem est quòd ejus qualitas.

Secundum non minùs liquet: namque de dubio Authoris textu judicandum est, tùm ex constanti fide eorum quorum tempore scripsit; tùm ex ejus intento: atqui dubia hæc, laudati Scriptoris verba catholicè intelligi jubent: 1mo. Enim scripsit quo tempore è Græcis Patribus alii miraculum Eucharistiæ explicabant per *mutationem & transelementationem*, ut Gregorius Nyss. alii per *transformationem*, ut Chrysost. alii per *conversionem*, ut Cyrillus Hieros. 2do. id patitur, nec plus exigit Authoris intentum. Hic enim impugnat Eutychianorum hæresim, qui humanæ naturæ proprietates in Christo non perseverasse, sed in divinas omnino conversas esse contendebant; quia cæteroqui duo in eodem Christo filii esse viderentur contra verò contendit Author, has naturæ humanæ proprietates non magis obfuturas unitati Filii, quàm residuæ post consecrationem panis proprietates officiant corporis in Eucharistia unitati; ergo ad propositum ejus satis erat, ut solùm de proprietatibus externis ageret, non de ipsis substantiæ visceribus.

Inst. 2do. Ex eodem Authore panis Eucharisticus honoratur nomine corporis Dominici: atqui nihil honoratur nomine ejus quod reipsa est; sic qui Ludov. XV. appellaverit nomine Regis, haud dicetur eum Regis nomine honorare; ergo.

R. neg. min. Utique nimium generalis sit: licèt enim id quod à natura est tale quid, homo v. g. non dicatur suo, putà hominis, nomine honorari: id tamen quod contra primævam sui conditionem fit aliquid, quod non erat, hujus nomine honorari meritò dicitur: porrò panis non nisi contra primæ-

vam naturæ suæ conditionem fit & vocatur corpus Dominicum.

Inst. 3tio. Comparat Author panem qui in Eucharistia remanet cum natura humana quæ post unionem remanet in Incarnatione: atqui in Incarnatione remanet humana natura intrinsecè & secundùm se totam, non autem quo ad solas quasdam proprietates; ergo & panis in Eucharistia manet intrinsecè. R. dist. maj. Comparat quantùm ad aliquid, C. quantùm ad omnia, N. Itaque sicut superstites panis species non impediunt quominus unum sit in Eucharistia corpus, nempe Christi, sic in Incarnatione, licèt permaneat humana natura, unus tamen est Dei filius, unaque persona; quia sicut panis in Eucharistia propriam substantiam amittit, sic homo in Incarnatione propriam amittit subsistentiam. Jam de aliis Patribus.

Hieron. Ep. ad Hedibiam, q. 2. *Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque Discipulis, esse corpus Domini.* Et infrà: *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comeditur.* Unde sic: Quod est simpliciter corpus Domini, ità ut eô comestô comedatur ipse Christus, non est metaphoricè tantùm Domini corpus, re autem ipsa merus panis: atqui ex Hieron. panis Eucharisticus, &c.

Obj. Hieron. Lib. 2. adv. Jovinian. hunc sic inducit loquentem, nec tamen reprehendit: *Dominus in typo sanguinis sui non obtulit aquam, sed vinum:* atqui quod est typus sanguinis, non est ipse sanguis. R. dist. min. quod est typus vacuus, ut in antiqua Lege, non est sanguis, C. quod est typus, rei per typum expressæ conjunctus, N. Cùm Joviniani verba non valeant nisi quatenus ab Hieron. haud reprehensa fuisse supponuntur, videndum an juxta S. Doctorem id quod in Eucharistia typus est, seu symbolum sanguinis, vacuum sit & inane, an secùs: porrò inane & vacuum dici non potest: alioqui Christus in sacra Cœna fuisset quidem conviva, sed non convivium; comedens, sed non qui comederetur; quod S. Doctori disertè repugnat.

Inst. Hieron. in c. 26. Matth. scribit Christum post Cœnam assumpsisse panem, *ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem corporis sui & sanguinis repræsentaret;* sed ubi est mera repræsentatio veri corporis & sanguinis Christi, non est ipsamet utriusque veritas. R. *repræsentare* in texu Hieron. idem esse ac præsens sistere: 1mo. Quia hæc est propria & naturalis verbi hujus significatio, ut invictè probat Peronius, sic enim apud jurisperitos *repræsentare pecuniam & repræsentare se ad judicium*, idem est solvere præsenti pecunia,

&

& personaliter, comparere in judicio; 2do. Quia sensum hunc non modo patitur, quod in ambiguis sufficeret, sed & exigit series contextus: opponit enim S. Doctor typicum cœnæ legalis, pascha vero paschæ Sacramento: atqui futilis est oppositio isthæc, si novæ paschæ Sacramentum merus sit typus; neque enim typus simplex typo ritè opponitur, & multo minus opponitur ut verum typico! ergo.

Idem realis præsentiæ dogma disertim adstruit S. Aug. L. 9. confes. 13. ubi sic de matre sua: *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit - - - - unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum peccati*: atqui victima sancta, qua deletum est chirographum peccati, est ipsa Christi Caro; ergo Christi Caro in altari dispensatur.

Idem concione 1. in Psal. 33. n. 10. explanans illud de Davide scriptum juxta versionem 70. Interpretum: *Et ferebatur in manibus suis:* hæc loquitur: *Quis portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus: in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum; ferebat enim illud in manibus suis.* Unde sic: Qui proprium corpus suum, non autem typicum ferebat in Eucharistia, proprium corpus, non autem typicum in Eucharistia consecravit: atqui, ex Aug. ferebat Christus proprium corpus; ferebat enim *ipsum corpus suum*, ferebat corpus *secundùm literam*, ferebat & ferendo faciebat, quod nemo hominum facere possit: quis porrò corporis sui typum seu imaginem ferre non valeat? quis *ipsum suum corpus*, ferre dicatur, quando ejus effigiem prætulerit.

Obj. 1mo. Aug. in sermone ac recèns baptisatos, quos perspicuè erudiri oportebat, exponit quid sentiendum sit de Eucharistia, ut indicant isthæc ejus verba: *Hoc quod videtis in altari - - - - quid esset, quam magnæ rei Sacramentum contineret nondum audistis*: atqui id exponendo, 1mo. nè voculam quidem habet de reali præsentia; cùm totus, ut Sacramentarii faciunt, hæreat in figuris & allegoricis interpretationibus: *Corpus ergo Christi si vis intelligere*, inquit, *Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi*, secundum id Apost. *Unus panis, unum corpus multi sumus:* 2do. clarè hic realitati contradicit August. quærit enim quomodo Christus *qui sedet ad dexteram Patris*, possit corpus suum in Eucharistia præbere? En ipsa Calvinianorum difficultas: eam porrò cùm ipsis solvit, ad spiritualem intelligentiam recurrendo. *Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia aliud in his videtur, aliud*

intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritalem.

R. 1mo. Falsò supponunt Ministri, infantes quos hic alloquitur Aug. indiguisse, ut sibi intimum Eucharistiæ dogma aperiretur: quandoquidem ipsi jam sacra mysteria receperant, ut patet ex Serm. 227. similis omninò argumenti. Quis porrò credat Dominicæ mensæ participes factos fuisse, qui mysticas tantùm quas ibi affert Aug. rationes cognovissent. Certè ne Ministri quidem ad Cœnam suam eum admitterent, qui de ea id tantùm sciret quod in isto Sermone docet Aug.

R. 2do. ad 1. dist. maj. exponit Aug. quid de Eucharistia sciendum sit quò ad morales sensùs, C. quò ad intimam mysterii substantiam, N. Exponit S. Doctor non quid sit intimè panis Eucharisticus, sed cur Eucharistia in pane celebretur; ut clarè demonstrant hæc ejus verba: *Quare ergo in pane?* Respondet autem id fieri, ut commendaretur unitatis dilectio: *Quia igitur*, inquit, *panis non fit de uno grano sed de multis - - - estote quod videtis: & accipite quod estis*, id est, estote unum inter vos, sicut unum sunt multa grana ex quibus conficitur materia Eucharistiæ: atqui mysticæ eæ interpretationes, quæ Eucharistiam non spectant nisi ut imaginem corporis mystici Christi, nullatenus intimam ejusdem naturam tangunt: ergo hæc non ex isto Aug. loco, sed ex aliis illius Scriptis desumenda est; ergo illudunt Calviniani, cùm prædicta S. Doctoris verba velut sua prorsus objiciunt.

Ad 2. neg. ant. & dico dubium quod sibi proponit Aug. non fundari in Ascensione Christi sola, sed etiam in ejus nativitate, vita, morte, &c. adeoque in dissimilitudine inter formam quam Christus in toto vitæ decursu habuit, & eam quam nunc habet in Eucharistia. Porrò si dubium illud non in Ascensione, sed in sola formarum dissimilitudine fundetur, jam non impetit realitatem. Alioqui dici quoque posset per eandem formæ dissimilitudinem impeti ipsam Sacramenti rationem qualis à Sacramentariis admittitur. Potest enim quis sic intra se ratiocinari: Sacramentum, utpotè signum, debet, ex Aug. ipso, aliquam cum re cujus est Sacramentum habere similitudinem: atqui nulla est panis similitudo cum corpore Christi, quocunque in statu á puncto nativitatis ad ascensionem usque consideretur; ergo panis nè nudum quidem corporis Christi signum & Sacramentum esse potest; ergo ut contra nos, sic & contra Calvinianos dubium movere potest Augustinus. Hoc porrò dubium non potest excuti per Aug. responsionem, quæ tota mysticitatis plena est; ergo ex aliis ejusdem locis resolvi debet.

Obj.

Obj. 2do. Aug. Ep. 98. ad Bonifacium, Episcopo huic interroganti, cur in Baptismo fidejussores nomine infantis dicant *Credo*, etsi infans per ætatem credere non potest, sic respondet: *Sicut secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & Sacramentum sanguinis Christi est, ità Sacramentum fidei fides est*, &c. Ex iis sic: Quod non nisi secundùm aliquem modum est corpus Christi, non est propriè corpus Christi: atqui ex S. Aug. Sacramentum corporis Christi, nonnisi secundùm aliquem modum est corpus Christi. R. dist. min. Sacramentum secundùm speciem externam, non est corpus, &c. C. Sacramentum, id est, Eucharistia secundùm se totam spectata, N. Itaque externæ Sacramenti species non raro appellantur Christi corpus, quia ejus signum sunt ac veluti involucrum. Sic dicimus corpus Christi conculcatum fuisse pedibûs, vel divisum in partes ut daretur pluribus: etsi hæc non cadant nisi in species. Fatemur porrò species, seu Sacramentum hoc sensu, non esse corpus Christi, nisi impropriè, & juxta aliquem modum, neque nobis adversatur Aug. si nihil ultra intenderit. Porrò S. Doctorem de solis speciebus, seu, ut passim loquuntur Catholici, de Sacramento, non autem de re Sacramenti locutum esse credimus, 1mo. Quia id sufficit ad Aug. scopum. Is enim est ut ostendat Sacramentum fidei posse dici fidem, sicut Sacramentum corporis Christi dicitur corpus Christi, ex eo quòd non raro rei significatæ nomen tribuatur signo ejus; ergo non sumit hic Sacramentum nisi secundùm partem externam: an autem ea pars includat vel excludat corpus Christi nè attingit quidem. Includere verò alibi testatur disertissimè, ut Serm. 67. de verbis Evang. n. 4. ubi de Judæis à Petro conversis verba faciens: *Conversi sunt*, inquit, *baptisati sunt, ad mensam Domini accesserunt, & sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt*; 2do. Quia hæc Aug. locutio, *secundùm aliquem modum*, rei veritatem non raro includit, nedum excludat. Sic Epist. 137. aliàs 3. n. 12. aït, *Verbum divinum voluisse* cum homine *uniri quodam modo*: & tamen de neganda vera & hypostatica Verbi unione, nequidem cogitavit S. Doctor; ergo à pari,

Inst. Eo modo, juxta Aug. habet se Sacramentum corporis Christi ad idem corpus, quo habet se Sacramentum fidei ad ipsam fidem: atqui Sacramentum fidei nulla ex parte est fides; ergo.

R. 1mo. Conc. totum. Sacramentum corporis Christi sumptum pro solis speciebus, seu prout à Catholicis dicitur *Sacramentum tantùm*, nulla ex parte est corpus Christi: quid tum?

R. 1. dist. maj. Eo modo quantùm ad aliquid, C. eo modo quantùm ad omnia, N. Ad id solùm urgeri debet Aug. comparatio, ad quod ab eodem instituta est: atqui ad id tantùm instituta est, ut probet signa seu Sacramenta sæpe earum rerum nominibus appellari, quarum signa sunt; ergo ad nihil ultra detorqueri debet.

Denique realem præsentiam admisit Theodoretus. Sic ille in cap. 11. I. Corint. *In memoriam illis revocat* Paulus *sanctissimam illam noctem, in qua Dominus typico paschati finem imposuit, & typi archetypum ostendit, & non solùm undecim Apostolis, sed & proditori pretiosum corpus & sanguinem dedit.* Unde sic 1mo. Dedit Christus archetypum loco Paschalis agni, qui merus typus erat: atqui non archetypum, sed novum typum dedit, si Eucharistia merus typus, meraque figura est; ergo. 2do. Dedit Christus Judæ pretiosum suum corpus & sanguinem, quæ proinde recepit impius proditor: atqui non hæc recepit per fidem; ergo.

Obj. 1mo. Theodoretus Dialog. 1. cui titulus, *Immutabilis*, post adducta hæc Genes. 49. Jacobi verba: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium* suum; sic pergit: *Sicut nos mysticum vitis fructum post sanctificationem sanguinem Domini nominamus; sic veræ vitis sanguinem, uvæ sanguinem nominavit - - - Salvator autem noster nomina permutavit, & corpori quidem symboli nomen imposuit, & symbolo nomen corporis. Sic cùm se vitem nominâsset, symbolum sanguinem appellavit.* Unde sic: Eo modo, juxta Theodor. vinum post consecrationem appellamus sanguinem Christi, quô Jacob sanguinem uvæ, id est vinum, Christi sanguinem appellavit: atqui metaphorico tantùm sensu Jacob vinum appellavit sanguinem Christi; ergo à pari, &c.

R. neg. maj. Habet enim & apertè habet textus Theodoreti quædam quæ figuratè, quædam itèm quæ sensu reali intelligenda sunt. Neque magis ex eo quòd vox *sanguinis* figuratè sumatur in prophetia Jacob, inferri potest eam in Eucharistia figuratè sumi, quàm inferri possit figuratè accipiendam, cùm agitur de eo quod è Christi * *veræ vitis, latere manavit.* Postremum hoc rejicient adversarii: quare porrò? quia & comparationes vix unquam adæquatæ sunt, & aliunde constat, verum, non symbolicum sanguinem de Christi latere fluxisse: atqui pariter ex Theodoreto ipso constat, non merè symbolicum esse Eucharistiæ sanguinem, 1mo. enim id indicant textus in probationibus adducti; 2do. Id etiam evincunt ipsa objecti Dialogi verba, ut statim videbimus.

Inst. 1mo. Ille tam in Eucharistia, quàm in prophetia Jacob

* *Theodor. ibid.*

cob non nisi metaphoricum sanguinem, ac proin vinum simplex admisit, juxta quem Christus panis tantùm & vini nomina commutavit: atqui - - - - Minor patet ex citatis verbis: *Salvator nomina permutavit*, &c. R. neg. min. & dico hanc nominum commutationem, ex mente Theodoret. reali substantiarum conversioni annexam fuisse. Sic enim pergit Theodoret. Eran. *Credis te percipere corpus & sanguinem Christi?* Orthod. *Ità credo - - - - intelliguntur* enim *ea esse quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa sunt, quæ creduntur.* Unde sic: Symbola jam non sunt id quod anteà erant, si aliud quid per sanctificationem facta sint: atqui aliud facta sunt, nempe corpus & sanguis Christi, adeò ut iis receptîs, & fide recipi credatur sanguis Christi, & ut talis adoretur; ergo.

Inst. 2do. ex Theodoreto: *Christus symbola nomine corporis honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ addens.* Sed ubi eadem quæ priùs manet natura panis, ibi nulla est substantiæ panis conversio. R. dist. min. In Eucharistia manet natura panis, sumpto naturæ nomine pro panis proprietatibus, quæ sensus afficiunt, C. sumpto naturæ nomine pro intima panis essentia, N. jam suprà, ubi de Pseudo-Chrisostomi Epistola, probavimus naturæ nomen frequenter sumi pro solis rei proprietatibus, atque id *non ex Hilario tantùm & Tertulliano, sed & ex aliis quamplurimis*, nempe 24. testimoniis probat Albertinus ipse; ergo & eo sensu apud Theodoretum accipi potest, si acceptionem hanc multa persuadeant: atqui res sic se habet. Nam 1mo. confitetur ibidem Theodoretus substantiam panis in Christi corpus converti; cùm apertè dicat symbola intelligi id esse quod facta sunt, taliaque credi & adorari; atqui si ipsa panis substantia in corpus Christi conversa sit, fieri non potest ut eadem maneat quæ priùs; 2do. Eutychiano, quem refellit Theodoretus, persuasum erat symbola verè mutari in corpus Christi; cùm ex hac eorum mutatione tanquam indubiè præsupposita nitatur probare Christi corpus *post ascensionem* in divinitatem conversum fuisse: unde hodiedum (nota bene) puram de reali præsentia fidem servant Eutichiani. Jam verò hanc Eutichiani sui suppositionem non impugnat Theodoretus, sed potiùs adstruit, cùm symbola vult credi id esse quod facta sunt, id est, corpus & sanguinem Salvatoris; ergo.

Atque hinc colliges per *gratiam* quam *nuturæ* addi docet Theodoretus, haud intelligi fictitiam illam efficaciæ virtutem quæ á Calvinianis pani Eucharistico affingitur; sed aut vim illam mirabilem quâ symbola fiunt id quod post sanctificatio-

nem esse dicuntur; vel ipsum Christi corpus, quod *gratiam* dici tot exemplis demonstratum est à Perronio, ut hanc nominis gratiæ acceptionem non inusitatam esse confessus sit idem Albertinus. De cæteris quæ hic prosequi non possumus, adi fusiorem nostram Theologiam.

Quæres an non via paulò breviori probari ex Patribus possit præsentia realis?

R. Posse in hunc modum: Illi præsentiam realem docuêre, qui docuêre panem Eucharisticum post consecrationem jam non esse panem, sed corpus Christi, & quidem corpus Christi, natum de Maria, passum pro nobis & à morte suscitatum; qui consequenter in Eucharistia non nudam corporis hujus imaginem, sed veritatem ipsam confessi sunt; qui ut id persuaderent, fideles contra rationis & sensuum testimonia firmaverunt, solamque fidem & Dei omnipotentiam, ut in re omnium maximè incomprehensibili consuli voluerunt; qui demum ex suis eo de mysterio principiis id collegêre, quod de solo Christi corpore dici aut cogitari queat, putà quòd adorandum sit, quòd nobiscum maneat in altari, quòd sollicitè cavendum sit nè quid ejus in terram decidat, quòd verè à nobis contrectetur, manducetur, &c. atqui hæc omnia docuêre SS. PP.

1mo. Quidem docuêre panem, ubi semel sanctificatus est jam non esse panem, sed corpus Christi. Ità Justin. suprá p. 354. Tertull. ibid.

2do. Et id corpus docuerunt idem esse quod ex Maria natum est, & passum pro nobis. Ità S. Ignatius suprà p. 353. Ambrosius passim &c. Unde in formula cui an. 1079. subscribere jussus est Berengarius, apertè traditur *post consecrationem esse* in Eucharistia *verum Christi corpus quod natum est de Virgine*, &c.

3tio. Docuêre, non meram in Sacramento exhiberi Dominici corporis imaginem, sed ipsam ejus realitatem. Ità S. Chrysostomus suprà p. 362. Damascenus Lib. 3. de fide Orthod. cap. 13.

4to. De mysterio hoc locuti sunt Patres tanquam de re, quæ, utpotè omnium maximè imcomprehensibilis, haud credi possit, nisi contra rationem & sensus pugnetur. Ità Cyrillus Hierosf. sup. p. 358. Chrysost. p. 362.

5to. Demum ex sua de altaris Sacramento fide ea concluserunt Patres, quæ quantum repugnant figuræ, tantùm soli vero Dei corpori conveniunt, ut 1mo. quòd adorandum sit. Ità Chrysost. Theodoret. Cyrillus Hierosf. 2do. quòd nobiscum maneat in Altari. *Quid est Altare*, ait S. Optat. Milevit. L. 6. n. 1. *nisi sedes corporis & sanguinis Christi*? 3tio. quò enixè

ca-

cavendum sit ne tanti doni quidpiam in terram decidat. Itâ Tertull. Origenes, Cyrillus Catech. 5. 4to. quod à nobis contrectetur, manducetur, intra viscera nostra admittatur. Itâ Tertull. de resur. carnis, c. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur*, &c.

Obj. cum Ministro Larroque: Is fuit Patrum usus, 1mo. ut post communionem labia Eucharistico liquore tincta tangerent digito, eodemque digito tangerent oculos, frontem, &c. atque ad id hortatur S. Cyrillus Hierosl. 2do. Ut Eucharistiâ tanquam cataplasmate ad morborum curam uterentur, 3tio. ut diebus jejunii abstinerent ab Eucharistia, nè jejunium solverent, ut patet ex Tertull. Lib. de Orat. c. 14. 4to. ut fidelium cadavera cum Eucharistia tumularentur; 5to. adhibitus est sanguis Eucharisticus, sivè simplex, sivè atramento mixtus, ut hæretici Pyrrhi damnatio subscriberetur: 6to. demum reliquiæ Eucharistiæ post communionem superstites igni tradebantur, uti refert Hesichius, atqui indubiè nemo tale quid facere ausus esset, de re quam habuisset pro Christi corpore.

R. 1mo. Id quod forsitan ab uno aut altero Patre factitatum sit, indefinitè Patrum praxim appellari non posse. Unde valere hic potest istud Aug. Lib. 2. de Civ. c. 23. *Non quærimus utrùm factum sit, sed utrùm faciendum: sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est*, præsertim cùm exempla hæc improbat suprema Ecclesiæ authoritas, ut penè contigit in præsenti.

R. 2do. ad 1. Etsi insoliti quidpiam habet id ad quod hortatur S. Cyrill. habet tamen aliquid quod singularem fiduciam indicet. Annon si Christus hodieque nobiscum ut olim conversaretur, sanctissimas, ejusdem manus oculis nostris & fronti admovere niteremur. Quid mirum igitur si idem aliquando fecerint fideles de sanguine ipsius?

Ad 2. Eadem est responsio; cui addere juvat, esse ergo Eucharistiam aliquid post usum permanens.

Ad 3. constat ex Tertull. eos, qui timebant nè accepto Christi corpore jejunium solverent, fuisse imfimi subsellii homines, è quorum proinde facto argumentum peti non possit. Unde idem Tertull. breviter quidem, sed tamen nervosè hunc ipsorum errorem his convellit verbis: *Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit?*

His addiderim hodiernos Græcos esurialibûs diebûs abstinere ab Eucharistia, ut illo qualicunque alimento quod præbere possunt species, sese privent: atqui tamen Græci realem præsentiam totis viribus tuentur; ergo & illi tueri poterant quos impugnat Tertullianus.

Ad 4. praxis mortuos cum Eucharistia sepeliendi, si propiùs

piùs inspiciatur, fidei plurimum habet & fiduciæ. *Quod sanctus panis*, aït Theod. Balsamon in can. 83. Conc. Trull. *Antistitibus*, proinque non cæteris passim, *tradatur, & sic sepeliantur, existimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & ut per ipsum tanquam viaticum deducantur ad cœlum.* Quin & praxim illam confirmare visus est Deus, cùm imposita jussu S. Benedicti Eucharistia super pectus pueruli Monachi, quem semel & iterum è sinu suo ejecerat terra, *hæc susceptum ejus corpus tenuit, nec ultra projecit.* Fatendum tamen miracula non esse exempla: Unde usum hunc prohibuêre Concilia Carthag. III. can. 6. Trullanum can. 83. &c.

Ad 5. incerta planè sunt quæ hic objiciuntur. Interim hæc si vera sint, Calvinistas confodiunt: annon enim ludicrum fuisset atramento merum vinum addere, quò irrevocabilis atque æterna Pyrrhi depositio significaretur?

Ad 6. intellligenda sunt hæc de speciebus corruptis; ità his verbis Yvo: *Ut omne sacrificium sordida vetustate corruptum igne comburatur; & cineres juxta altare sepeliantur.*

Sed quia nos ad antiquam Ecclesiæ praxim revocare audent Protestantes, placet hanc contra ipsos retorquere: 1mo. Itaque mos Ecclesiæ fuit ut qui *in phrænesim versus* erat, hujus *ori infunderetur Eucharistia*, ità Conc. Carthag. IV. can. 76. 2do. ut eadem infantibus recèns baptisatis traderetur, ità Aug. passim; 3tio. ut utraque panis & vini species in Ecclesia religiosè servaretur, de quo Chrysost. Ep. 1. ad Innoc. 4to. ut Eucharistia in aureis, argenteisve columbis, supra aram ut plurimum suspensa teneretur; 5to. ut fideles vel in ædibus quisque suis, vel in suis terrâ, marìque intineribus corpus Domini deferrent: ut liquet ex Justino Apolog. 2. atqui facta hæc tam certa quám antiqua Calvinianum systema susdeque convellunt. An enim per fidem Eucharistia vescebantur phrenetici & infantes? an religiosè & pretiosè servabatur id quod extra usum merus panis erat? an ut tutum terrâ, marique præsidium gestabantur inutiles simplicis figuræ reliquiæ?

CONCLUSIO IV. Eucharistiæ veritas probari potest viâ præscriptionis.

Not. Duplici viâ demonstrari potest mysterii alicujus veritas, discussionis nimirum & præscriptionis. Via discussionis consistit in examine omnium sigillatim monumentorum quæ pro vel contra afferri possunt: viam hanc, quam huc usque etsi non totam, secuti sumus, operosi admodum laboris esse constat, imò tanti, ut communi fidelium vulgo planè invia sit. Via præscriptionis est exceptio quâ quis ut breviter omnes adversariorum impetus retundat, ostendit hoc vel illud dogma

tali

tali tempore ab omnibus universim Christianis creditum fuisse, non potuisse autem tunc credi, nisi quia hactenus universim creditum fuerat: quia nulla hic innovatio suboriri potuerit. Jam

Prob. Conclusio: Ecclesia tota præsentiam realem credebat, cùm præsentiam hanc sæculo XI. impugnavit Berengarius: atqui Ecclesia tota præsentiam realem sæculo XI. credere non potuit, nisi antea semper crediderit; ergo. Major & minor seorsùm veniunt probandæ.

Prob. itaque major, 1mò. quia statim ut innotuit Berengarii opinio, quod intra annum 1035. & 1040. contigisse videtur, contra eam undecumque reclamârunt Abbates, Monachi, Doctores, Episcopi, R. Pontifices; nulla, nè Diœcesana quidem Synodus partes ejus suscepit: unde applaudentibus quoquoversum Christianis damnatus est adhuc vivens * Berengarius in Conciliis ad minus quindecim.

2do. Quia dum in Conciliis adeò frequentibus Berengarium exagitabant Pontifices, eundem impugnabant Doctores privati ut hominem qui ab Ecclesiæ totius doctrina aberraret. Sic Adelmanus, qui sub Fulberto Carnotensi Berengarii Condiscipulus fuerat, in Epistola, qua ab errore ipsum revocare conatur, exprobrat eidem quòd *se ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ divulserit.* Sic Hugo Lingonensis Antistes in Tract. de corp. & sang. Domini ad Berengarium scripto, objicit quòd *universalem Ecclesiam scandalisset*, additque nisi malè sentiat Berengarius, periisse omnem Christi Ecclesiam, quæ aliud ab ipso sentit, &c. Ad hæc porrò quid, amabo, Berengarius? an Doctoribus coævis Doctores coævos, an Episcopos Episcopis, an Concilis Concilia opponebat? non ità sanè: sed viventes sibi deesse expertus, pro constanti Novatorum more mortuos in suppetias vocabat, ambigua quædam Augustini loca producebat; & ut simul ac semel ab importuno viventium clamore se expediret, totam Christi Ecclesiam periisse effutiebat, ut narrat Lanfrancus c. 23. ergo stat Orbem universum Berengarii ævo pro reali præsentia decertâsse. Jam

Prob. 1mo. minor, nimirum quòd quæ tota præsentiam realem XI. sæculo credebat Ecclesia, hanc anteà semper credere debuerit. Ad id enim sufficit, 1mo. ut Eucharistiæ mysterium ex iis sit quæ distinctâ fide creduntur, saltèm ab Episcopis, à Presbyteris, à Monachis, & à doctioribus inter laïcos; 2do. Ut fides illa ex negante, qualis ante Paschasium Radbertum fuisse supponitur à Calvinianis, in affirmantem, qualis erat Berengarii tempore, mutari non potuerit: atqui utrumque constat.

Et quidem 1mo. fieri non potuit, ut Sacerdotes qui Eucha-

* *Obiit an. 1088.*

ristiam quotidie per verba Christi conficiebant, cæteri quoque quibus dum eadem porrigebatur, dicebat Sacerdos, *Corpus Christi*, quique respondebant *Amen*, seu *ità est in veritate*, fieri, inquam, non potuit, ut ii inter utramque partem, quasi res nullius momenti foret, suspensi, nusquam inquisierint, an id quod corpus Christi dicebatur, verè esset Christi corpus, an solùm ejus imago; ergo necessum est ut hæc & alia verba, quæ circa Eucharistiam utpotè mysterium quotidianum, multò frequentiùs quàm circa aliud quodvis mysterium repetuntur, intellexerint vel præsentiæ realis sensu, vel sensu realis absentiæ.

Jam verò dico 2do. fieri non potuisse ut fides illa ex disertè negante præsentiam realem usque ad Paschasii tempus, mutata fuerit in ejusdem præsentiæ assertricem: vel enim hæc fidei imutatio simul & semel facta est, ut nascuntur fungi; vel sensim ac temporis progressu: atqui neutrum dici potest. Non 1. quis enim credat factum ut qui prima hebdomadis die præsentiam realem rejiciebant Pastores universi cum gregibus suis, hanc labente hebdomada toto nisu tuerentur? Non 2. siquidem in hac suppositione necessum est, ut quod cæteris contra fidem erroribus contigit, id etiam opinioni præsentiæ realis contigerit, nempe 1mo. ut ab uno, putà Paschasio, paucisve ejus asseclis contra unanimem cæterorum sententiam edita sit; 2do. Ut nonnulli in eam descendere cœperint; 3tio. Ut multò plures eidem acquieverint; 4to. ut mediam Orbis & Ecclesiæ partem impietas repleverit; 5to. Ut pars hominum major errori dederit manus; 6to. Ut adeò prævaluerit perversum dogma, nulla ut jam superessent antiquæ fidei vestigia: atqui hæc, quæ sigillatim absurda sunt, tantam collecta absurditatum st.uem exhibent, ut nulla major cogitari possit.

1mo. Enim ea est cujuscumque hæresis conditio, ut ipsa sua novitate Ecclesiasticam Rempublicam perturbet & commoveat. Ad minùs varias in partes scinduntur Episcopi, Monachi Monachis oppositi, in iisdem domibus diversas sentiendi vias ineunt, ipsi etiam laïci suum alii hâc, illâc alii iter arripiunt, consulitur Sedes Apostolica, ventilata quæstio ad Synodos, si quæ sint, imò & ad Principes defertur; neque hic silent mulieres, Garruli pecus, cui, quò plura ignorat, eò altiùs vociferari consuetum est. Hos effectus à novitate produci demonstrat omnium temporum, nostri verò præcipuè historia. Quæ igitur tanta, Paschasii diebùs, spirituum conversio, ut in mysterio, si ita loqui fas est, populari, vix unus est, & alter contra immanem, ut adversariorum plerique volunt, adorati panis idololatriam reclamaverint, iisque nulli Abbates, nulli Episcopi, nulli Rom. Pontifices, nullæ Synodi aures præbuerint. Sic porrò rem

cessisse

cessisse liquet ex omnium ejusdem ævi Scriptorum silentio. Legat qui volet & relegat quæ plura supersunt hujus ætatis monumenta, nihil in iis deteget, quo avitæ fidei immutatio, & qui eam stipare solent turbines, tantisper indicentur; ergo.

2do. Ea est erroris conditio, ut si propter magnum Authoris sui nomen finitimas Regiones pervadat (quod aliàs sine pugna nusquam contigit) haud tamen facilem habeat accessum apud gentes remotas, eas præsertim quæ contra Authoris patriam nationalia odia exercent: atqui si innovavit Paschasius, oportuit errorem ejus, unius ad summum sæculi spatio, non modò Galliam, Angliam, Germaniam, & conterminas Regiones, sed & totum quá patet Orientem pervadere: cùm tunc temporis, & Græci, & Armeni, & alii earumdem Plagarum incolæ, ii etiam qui cæteris Orientalibus immaniter, Occidentalibus verò immanissimè infensi erant, ut Nestoriani & Eutychiani, idem cùm Latinis circa præsentiam realem sensisse deprehendantur. Id porrò si ità est, plus ad propagandam Eucharistici panis idololatriam fecit Paschasius intra annos 80. vel 100 quàm ad subvertendam Gentilitatis idololatriam fecerint cum miraculis suis Apostoli, cum sanguine Martyres, cum scriptis suis Confessores, cum lacrymis & gemitibus Virgines, Ægyptique & Thebaidos Solitarii. Id autem quàm sit absurdum sentient cæteri præter Calvianos.

3tio. Etsi puerulì, qui necdum absentiam aut præsentiam realem edocti erant, supponi possunt non ægrè Paschasianam novitatem arripuisse; haud tamen supponi potest eos qui absentiam realem hactenus edocti fuerant, sinè scrupulo, sinè conscientiæ remorsu, sinè ulla veritatis indagatione ad præsentiæ realis systema illicò fuisse conversos; nec capiet quisquam sanæ mentis id brevi Opusculo obtinuisse Paschasium, quod geminatis exiliis & persecutionibus assequi non potuêre Ariani Principes: atqui tamen novum hoc tam subitæ conversionis miraculum admittere debent Protestantes; idque non in laïcis solùm, sed in Antistitibus, qui absentiam realem placidè edocti, præsentiam realem tranquillè ad alios transmiserint; ergo.

Obj. 1mo. Ut corruat nostrum præscriptionis argumentum, satìs est ut contra Paschasii doctrinam reclamatum fuerit, quantùm tunc remaclari potuit: atqui primo reclamatum est, quandoquidem Paschasium impetiêre Bertramus, Joannes Erigena, aliique teste ipso Paschasio; 2do. Reclamatum est quantùm fieri potuit sæculô IX. & X. cùm istud teste Baronio ad an. 900. *boni sterilitate ferreum, atque inopia scriptorum appellari obscurum* consueverit.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. dist. reclamatum est quo ad

circumstantias quasdam dogmati accidentales, C. quo ad ipsam dogmatis substantiam, subd. reclamatum est à quibusdam obscuri nominis hominibus, & in materia fidei peregrinis, idque non palam, sed occultò, ut ii faciunt, qui sentiunt se nova & audita loqui, transeat; reclamatum est à peritis quibusque, palàm & confidenter, uti fieri solet contra primariorum fidei dogmatum inversores, N. Triplex circa Euchariſtiam mota est difficultas sæculo IX. 1mo. an in eadem Eucharistia sit aliqua species à Christi corpore distincta, annon verò id quod videtur, tangitur, frangitur sit ipsum Christi corpus; 2do. An idem corpus quà sacramentale, proinque ex pane & vino factum, dici possit corpus ex B. Virgine natum; 3tio. An instar cæterorum quæ in os intrant, obnoxium sit secessui. Ex his porro difficultatibus nulla est quæ dogmatis substantiam invadat: secunda enim tota de nomine disputat; prima verò & tertia adeò non nocent Eucharistiæ veritati ut eam extra legitimos fines ferant. At contendo neminem tunc temporis fuisse, verè in rebus fidei peritum, & cujus authoritate moveri possent Fideles, qui palàm & apertè ipsam realem Christi in Eucharistia præsentiam impugnaverit: 1mo. Enim Joan. Erigena stupendæ in rebus fidei erat stoliditatis; ut aït Lugdun. Ecclesia L. 2. de tribus Epist. 2do. Bertramus, Opus suum publici Juris non fecit, prout censet editor ejus, vir Calvinista. Aliunde nec Paschasii sententiam convellere potuit; quia voces suas adeò temperat, ut Catholico dogmati favere videatur. Imò Magdeburgenses Lutherani Librum hunc pro sibi adverso habuerunt; si autem Lutheranis nocet, quì fiat ut Calvinianis opituletur?

Ad 2. Dico non tale fuisse sæculum X. quale id pingit Baronius: 1mo. Enim nulla ætas tot altæ pietatis principes, Reges & Imperatores edidit, uti fusè demonstrat, Author Perpet. fidei; porrò Principes quàm servandæ dogmatis integritati inserviant, seu Novatores, si qui occurrant, procul arcendo; seu totis enitendo viribus, ut sancti Diœcesibus & Monasteriis præficiantur Antistites, nemo est qui ignoret; 2do. Medio illo Paschasium inter & Berengarium tempore floruerunt, fidei, doctrinæque studio pariter insignes, Romæ Stephanus VIII. Leo VII. Marinus, Agapetus II. & alibi passim ejusdem roboris complures; de quibus adi fusiorem nostram Theologiam.

CONCLUSIO V. Fides realis præsentiæ ex omnium Ecclesiarum consensu demonstratur.

Prob. Ut ex omnium mundi Ecclesiarum consensu demonstrari queat veritas realis præsentiæ, sufficiunt duo, 1mo. Ut realem hanc præsentiam Ecclesiæ omnes constanter crediderint

rint à Pseudoreformationis tempore ad tempus nostrum; 2do. Ut eam tunc temporis unanimiter credere omnes non potuerint, nisi quia antea jam & semper crediderant: atqui utrumque certum est.

Et quidem 1mo. constat à Pseudoreformationis tempore ad nostros usque dies constanter creditam fuisse realem præsentiam ab omnibus Ecclesiis: de Latinis non ambigunt Calviniani, cùm ab iis ob eandem negatam, imò & à Lutheranis sæpe sæpius anathemate percussi fuerint. Tota igitur quæstio movetur de Orientalibus: harum porrò fides constat, 1mo. ex responso 1. Jeremiæ CP. Patriarchæ ad Rubigenses Theologos, ubi hæc expressè: * *Statuit Catholica Ecclesia, mutari, consecratione facta, panem quidem in ipsum corpus Christi, vinum verò in ipsum sanguinem ejus*; 2do. Concilio CP. an. 1638. cui interfuêre Cyrillus CP. Patriarcha, Patriarchæ Alexand. & Jerosol. cum tribus supra viginti Orientalibus Episcopis, ac universo Ecclesiæ CP. Clero, qui omnes *anathema* dixerunt *Cyrillo* Lucari, *docenti panem & vinum per Sacerdotis benedictionem & adventum Spiritûs sancti in verum corpus & sanguinem J. C. non converti*; 3tio. Ex *Orthodoxa Ruthenorum* seu Russorum *confessione*, quæ & *transubstantiationem* perspicuè confitetur; & non tantùm maximæ Ruthenorum Ecclesiæ, sed Græcanicæ totius fidem repræsentat: cùm à quatuor Orientalis Ecclesiæ Patriarchis, novemque Præsulibus, & præcipuis magnæ CP. Ecclesiæ administris fuerit ** approbata, ideoque nunc inscribatur *Confessio orthodoxa Ecclesiæ Orientalis*.

Quod de Græcis, idem dicendum 1mo. de Armenis; qui omnes *credunt panis & vini substantiam per consecrationem Sacerdotis verti in corpus & sanguinem Christi*, &c. prout Amstelodami an. 1666. declaravit Uscanus Episcopus Armenus; 2do. de Nestorianis, Jacobitis, Cophtis, &c. qui nec usquam à Latinis Missionariis inter eos degentibus hac in parte postulati sunt erroris; nec, cùm ad R. Ecclesiam redierunt, Berengarianam hæresim ejurare jussi sunt.

2do. Ecclesiæ omnes, Orientales verò potissimum, præsentiam realem non credunt hodie, nisi quia hanc semper credidêre. Alioqui enim, ut jam de Latina fuit, neque est ut eædem Ecclesiæ è non credentibus factæ fuerint credentes: atqui singularis hæc monstroque simillima tot nationum in capite magni momenti immutatio fidem omnem excedit: 1mo. quia mutationis hujus nec epocha, nec causæ ullæ assignari possunt; 2do. Quia cùm plures in Oriente sint sectæ, aliæ aliis capitaliter infensæ, ut Jacobitæ Melchitis, dubio procul quæ ab avita fide discessissent, ab aliis graviter fuissent reprehensæ; nisi, quod

* *An.* 1574. ** *An.* 1645.

absurditatis cumulus est, omnes quasi eadem die à fide ad errorem avolasse supponantur; 3tio. Quia Latini qui XIII. sæculo totam penè Græciam armis occupavêre, quique Græcorum dogmata profundè noverant, eosque non semel per Inquisitores suos ultimis affecêre suppliciis, nullum tamen his circa præsens punctum exprobrarunt errorem; 4to. Quia Græci qui Latinos furiali odio prosequebantur, & contra ipsorum mores & fidem quidquid occurrebat animo evomuêre mali, nihil omnino contra admissam ab illis realitatem scripserunt, etsi hanc utpotè quæ ex Rom. ritibus ad oculum pateat, ignorare non possent; 5to. Quia in Synodo Florent. ubi singula quæ utramque Ecclesiam scindebant capita, ingenti studio discussa sunt, altum utrinque de transubstantiatione habitum est silentium, profectò quia utrinque receptissima.

CONCLUSIO VI. Præsentia realis nulla invicta ratione impugnari potest.

Prob. 1mo. Quia invictæ eæ rationes, eodem modo cæterorum mentes affecissent, quo Calvinianorum; proinque eos & olim deterruissent, & etiamnum deterrerent, seu ab amplectendo, seu saltèm à retinendo præsentiæ realis dogmate: atqui falsum consequens, ut non in Lutheranis tantùm vident Pseudoreformati, sed in myriadibus eorum, qui, ut magnus Turennius, solà urgente conscientia, ad Catholicam Ecclesiam transvolant; ergo.

Prob. 2do. Quia difficultates quæ hodie à Calvinianis proponuntur, senserunt SS. Patres, easque, ad omnipotentiam divinam recurrendo, solverunt, prout in aliis fecêre mysteriis; ergo nihilo plus realem præsentiam, quàm alia fidei nostræ capita, rationi adversari judicarunt: atqui quod judicarunt Patres, idem & nos citra contradictionis periculum judicare possumus; ergo.

Obj. 1mo. Nullum dogma manifestam involvens contradictionem admitti potest, quantumvis perspicuè in verbo Dei revelatum esse videatur: atqui præsentiæ realis dogma - - - - Nempè verò dogma hoc tria hæc importat: 1mo. Destrui substantiam panis, & tamen manere panis species; 2do. Christi corpus totum esse in cœlo, & totum in terris; 3tio. Idem hoc corpus unum esse numero, & tamen totum esse in omnibus hostiæ partibus, quæ sunt sinè numero: atqui hæc contradictionem involvunt. Primum quidem; quia species panis, ipsissima sunt panis substantia, sic & sic modificata: secundùm verò; quià si corpus Christi possit esse in cœlo simul & in terris, poterit esse simul & in sole & in luna, & in cruce, quod negat August. L. 20. contra Faust. c, 11. Tertium denique; quia

quia corpus eſſe unum numero, & non unum numero, manifeſta eſt repugnantia; porrò Chriſti corpus & numero unum eſt Romanis; & tamen, cùm de eo dici poſſit: *Ecce hic eſt*; & *ecce illic*, non poteſt eſſe unum numero.

R. 1mo. majorem, etſi veram in ſe, id tamen haberi periculi, quòd ab omnibus fermè hæreticis avidè arripiatur. Eâ nimirum abutitur Neſtorius, ut B. Virginem nec eſſe, nec poſſe eſſe Dei matrem probet; Socinianus, ut Trinitatem convellat: Pelagianus ut neget originalem noxam, qua, inquit, ſi admittatur, neceſſe erit ut Deum habeamus & bonum, quia bonitas eſt ejus natura; & ſimul pejorem tyrannis, qui propter unius crimen, non civitatem unam, ſed univerſum Orbem, perdere velit.

R. 2do. ad 1. neg. min. ad 1. 2. dico 1mo. Non defuiſſe graves Theologos, qui accidentia Euchariſtica in ipſo Chriſti corpore ſubjectari voluerint. Dico 2do. accidentia abſoluta nihil habere quod repugnet. Accidens enim exigit quidem inhærere; ſed neceſſariò non inhæret: ità vulgò Philoſophi, quorum juris præſens eſt quæſtio. Pro reſponſione ad 2.

Not. 1mo. Præſentiam corporis ejuſdem pluribus in locis tripliciter intelligi poſſe: 1mo. Ità ut corpus idem plures habeat exiſtentias naturales & quantitativas, ſeu, ut pluribus in locis exiſtat circumſcriptivè; 2do. Ut idem corpus plures habeat exiſtentias ſacramentales, ſeu ut ſimul pluribus in locis exiſtat definitivè; 3tio. Ut idem corpus plures habeant exiſtentias, quarum una ſit naturalis, alia vel aliæ ſacramentales.

Not. 2do, Ad hoc ut corpus ſit in loco circumſcriptivè, tria requiri: 1mo. Ut habeat partes extra partes, tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad locum; 2do. ut loco commenſuretur; 3tio. Ut aliud corpus ab eodem loco excludat: quia quod habet partes extenſas, & commenſuratas loco, locum totum replet: quod autem locum replet, corpus aliud in eodem loco ſecum compati non poteſt. Aliud eſt de corpore quod definitivè in loco exiſtat. Iſtud enim ad inſtar ſpirituum & animæ, totum eſt in omnibus loci partibus, & totum in unaquaque loci parte. Unde licèt hujuſmodi corpus habeat partes ſibi debitas, & ſecundùm diſpoſitionem naturalem ordinatas, ità ut pectus ſcapulis, ſcapulæ collo, collum capiti immediatè uniatur, haud tamen habet partes extenſas in ordine ad locum, ſed duntaxat in ordine ad ſe, id eſt aliàs ab aliis diſtinctas. Jam

R. ad 2. 2. neg. ant. etſi enim fortè corpus idem pluribus in locis eſſe non poteſt circumſcriptivè, quod multi negant: quia corpus Chriſti, cùm Paulo apparuit, Act. 9. fuit in cœlo & ſimul in terra, vel in aëre terræ vicino. In cœlo quidem,

ut fatentur Calviniani propter id Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium.* In terra verò, quia alioqui non dubitasset Paulus quis ille esset; constat docuisse SS. PP. rem unam pluribus simul in locis esse, vel esse posse, nedum id contradictorium esse crediderint: Sic Chrysost. Lib. 3. de Sacerd. *O miraculum,* inquit, *qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Sic Greg. Nyss. orat. Catech. c. 37. *Oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo Orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.* Sic Aug. Lib. de cura pro mortuis c. 16. dubitando inquirit, an martyr præsens sit locis omnibus in quibus operatur miracula, an non potiùs ea fiant Angelorum ministerio: porrò si S. Doctori persuasum fuisset non posse rem unam divinitùs multis in locis existere, ridicula fuisset dubitatio ipsius. Hic certè non dubitaret, sed apertè & illicò negaret Calvinista.

Quapropter in objecto textu loquitur Aug. de corpore existente in loco naturaliter, id est secundùm modum naturæ suæ convenientem. Unde eò recidit S. Doctoris argumentatio: Juxta vos, ô Manichæi, corpus Christi est lux quædam expansa per solem, lunam, & omnia quæcumque loca: atqui corpus per tot loca expansum non potest totum esse in locis singulis; ut quid ergo contenditis Christum totum esse in sole, luna & cæteris locis? Jam verò ratiocinatio isthæc, quâ hodieque uteremur Catholici, elidi non poterat objecta existentiæ unius corporis pluribus in locis possibilitate: quia quod possibile est tantùm, non probatur existens nisi probetur miraculum per quod constituatur existens: porrò miraculum quo corpus Christi in sole & luna existens constitueretur, nec probabant, nec probare poterant Manichæi.

Ad 3. 2. neg. min. Corpus enim pluribus existens in locis, numero unum est: quia etsi tunc à se ipso divisum sit, seu potiùs, localiter disjunctum, est tamen indivisum substantialiter, & ab omnibus aliis divisum, quod ad unitatem numericam sufficit. Et verò non magis unitas corporis pendet ab unitate loci, quàm multiplicitas corporis pendeat à multiplicitate loci: atqui illa non pendet ab ista. Alioqui multiplicato corpore multiplicaretur locus, & sic impossibilis esset mutua corporum penetratio, quæ tamen de facto contigit, cùm Christus è Virginis sinu prodiit, aut januis clausis cœnaculum ingressus est.

Obj. 2do. Id S. Aug. *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt.* atqui corpus Christi in Eucharistia, esset sinè spatio. R.

non

non explicat S. Doctor quid divinitùs fieri poſſit, ſed quid ſecundùm conſuetum naturæ ordinem fiat, & quidem in corporibus quæ nobis notiora ſunt. Neque enim negaret Auguſtinus ultimam cœli ſphæram eſſe corpus, & tamen non eſt hæc in ſpatio ſeu loco, ſed in ſe ipſa & in Deo. Et verò ſi locorum ſpatia corporibus neceſſaria eſſe credidit S. Doctor, utique diverſa diverſis: ut quid ergo camelum per foramen acûs tranſire poſſe credidit cum Origene, Hilario, &c.

Obj. 3tio. Nihil habet Religio Chriſti quod divina majeſtate indignum ſit: atqui habet præſentia realis multa Dei majeſtate prorſus indigna: putà quòd Chriſti corpus dejici poſſit in ſordes, trajici in ſtomachum, in ſeceſſum ejici, corrodi à muribus, corrumpi, &c. *Ecce*, aïebat Aug. Lib. 22. de Civ. *qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.* Itaque

R. 1mo. diſt. maj. nihil habet - - - indignum in rei veritate, C. indignum humanæ ſapientiæ judicio, N. imò ſi humanam ſapientiam interroges, erit ei Religio ſcandalum & ſtultitia. At quod hominibus vile & fatuum, id Dei virtus eſt & ſapientia. Unde Aug. Epiſt. 102. *In ipſum Chriſtum non crederemus, ſi fides Chriſtiana cachinnum metueret Paganorum.*

R 2do. neg. min. errant enim Sacramentarii *neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei*: Chriſti enim corpus verè ſumitur, ſed non atteritur; verè comeditur, ſed in ſeceſſum non abit; in terra eſt Sacramentum, etſi in terram projectum ſit, ſed non cadit propriè, ſicut ad corporis caſum non cadit anima; quem tam ſinè ſui injuria animantis corpus ſubire poteſt, quàm idem ſubeat Deus per immenſitatem ſuam: denique nec putreſcit ratione ſui, nec á muribus corroditur.

§. III. *De modo præſentiæ realis.*

Stabilita Chriſti in Sacramento præſentia dicendum de præſentiæ modo: Is autem vel eſt impanatio, vel conſubſtantiatio, vel tranſubſtantiatio. *Impanatio* eſt, ſeu potiùs eſſet Unio hypoſtatica Verbi cum pane: adeò ut phraſis iſta: *Hoc eſt corpus meum*, id ſibi velit: *Hic panis per unionem hypoſtaticam eſt corpus meum.* *Conſubſtantiatio* eſt vel eſſet Conſociatio ſubſtantiæ panis & vini cum ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti: adeò ut is ſit verborum inſtitutionis ſenſus: *Eſt quidem hic corpus meum, & ſanguis meus; ſed non totum hoc eſt corpus meum & ſanguis; cùm ſimul remaneant elementa panis & vini.* *Tranſubſtantiatio* eſt Converſio totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.

Impanationem admisêre Berengariani quidam; Consubstantiationem Lutherani: Transubstantiationem Catholici omnes. Sit

CONCLUSIO. Admittenda est transubstantiatio.

Prob. 1mo. argumentô præscriptionis. Nimirum enim cùm sæculo XVI. consubstantiationis figmentum primò permittere, tùm deinceps inducere voluit Lutherus, tota per Orbem universum Ecclesia transubstantiationem velut dogma Catholicum summa consensione profitebatur; ut ex Græcorum ac Latinorum Liturgiis constat: atqui dogma hoc recens in Ecclesia esse, & contra veterem doctrinam introductum, Adversarii, nè fucatè quidem, ostendere potuerunt; ergo vel hinc erroris convincuntur, quòd opinionem novam obtruserint.

Prob. 2do. Verba hæc Christi: *Hoc est corpus meum*, &c. non in alio quàm præsentiæ realis sensu intelligi possunt, ut fatentur Impanatores: atqui eo ipso impanationis perinde & consubstantiationis systema funditus côvellunt: 1mo. quidem impanationis. Si quidem, juxta defensores ejus, propositio Christi hunc habet sensum: *Hic panis per meam cum ipso unionem est corpus meum*: atqui sensus ille Christi verbis apertè repugnat. Non enim solùm dixit Christus: *Hoc est corpus meum*, sed & addidit, *quod pro vobis traditur*; neque solum dixit: *Hic est sanguis meus*, sed subjunxit: *qui pro vobis fundetur*: atqui nec panaceum corpus pro nobis traditum est, nec vinaceum quid pro nobis effusum fuit: ergo.

Prob. 3tio. Ex Patribus. Nempe verò qui docent post consecrationem non remanere naturâ panis; percipi quidem & renuntiari panem à sensibus, at iis haud quaquam credendum esse; ac demum panem & vinum mutari, transmutari, converti, transire in corpus & sanguinem; hi dubio procul, nisi aliud sentire, aliud loqui voluerint, veram admittunt transubstantiationem: atqui Patres hæc omnia perspicuè docent. Ecquid aliud sibi volunt hæc Cyrilli Hierosol. verba Catech. 4. *Aquam aliquando mutavit* Christus *in vinum, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem suum transmutavit?* Hæc item Ambrosii L. de initiandis c. 9. *Si tantùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? - - - - & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?* Hæc rursus Gregorii Nyss. Orat. Catechet. c. 37. *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est à Verbo: Hoc est corpus meum*; ergo. Atque hinc ubi primùm suborta est ea de re spirituum commotio, non modo realem præsentiam, sed & transubstantiationem definivêre Concilia. Sic 1mo. docuerunt * Patres Synodi Romanæ sub Gregorio

* *An. 1079.*

gorio VII. *panem & vinum substantialiter converti in corpus & sanguinem Christi.* Sic 2do. * Patres Lateranensis Concilii sub Innocentio III. *Credimus*, inquiunt, *ac confitemur, corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, vino in sanguinem potestate divina*, &c.

Obj. 1mo. Ad Sacramentum requiritur elementum visibile & quod certo ritu tractari possit: atqui admissa transsubstantiatione deest S. Cœnæ hujusmodi elementum. Minor patet; quia accidentia panis non sunt elementum corporeum, quod externo ritu tractari possit. Prob. Itaque maj. ex vulgato August. textu: ** *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ità Bechman Lutheranus.

R. ad 1. neg. maj. in sensu Authoris; quia Sacramentum requirit equidem signum sensibile: at non requirit necessariò signum quod substantia sit. Nec contrarium docet Aug. qui vel elementi nomine intelligit id omne quod sensus afficit, vel Sacramentum spectat *in fieri*, quo sensu ipsa etiam Eucharistia substantiale elementum requirit.

Obj. 2do. Illud dogma admitti non debet, quo semel inducto convellitur certitudo canalium, quibus solis Religio advehi potest: atqui per transsubstantiationem convellitur - - - Nimirum canales illi sunt sensus, quorum ope Evangelium exceperunt, ac transmiserunt Apostoli: atqui omnis sensuum certitudo per transsubstantiationem convellitur. Eâ enim positâ credendum est aliud omnino quàm iidem sensus benè dispositi constanter & uniformiter renuntient: cùm uniformiter renuntient in Eucharistia esse panem; qui tamen transsubstantiatione admissa credendus est non adesse.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. sensus sunt canales Religionis amplectendæ, transeat; sufficit enim auditus, nec requiruntur sensus cæteri: sunt canales Religionis semel amplexæ, subd. sunt canales, nisi resistat quæ jam tenetur Religio; C. si resistat, vetando nè sensibus habeatur fides, N. Ut quis ad Religionem adducatur, necesse est ut audiat, esse Deum qui certis ritibus in una solùm Catholica Religione sancitis coli velit. Hic nihil est unde vereri sit nè sensus illudant; nec ulli hactenus in mentem venit Gentili, fieri posse ut non audiat, quæ audit. Jam verò si semel ei Deus aperiat cor, ut Evangelico Præconi credat, non est quod circa Eucharistiam sibi illudi quæratur; quia quidquid hic erroris fingi potest, per prævia Religionis monita emendatur. Imò quandoque sufficere potest subsequens admonitio, qualem solam habuêre, seu eorum plu-

* *An.* 1215. ** *Tract.* 89. *in Joan.*

res quibus in veteri Testamento Angeli sub humana forma apparuerunt, seu Magdalena, cùm vidit Dominum sub hortulani specie.

Inst. Testimonium unius tantùm sensus, cæterorum simul sumptorum testimonio prævalere non debet: atqui si, ut juxta nos est, auditui soli credendum sit, prævalebit sensus unius testimonium, &c. R. dist. maj. testimonium unius sensus præcisè sumpti, non debet prævalere, C. testimonium unius sensus verbo Dei innixum, N. Itaque si solus auditus referret in Eucharistia non esse panem, prævaleret indubiè cæterorum contra sensuum assertio: verùm si auditus testimonium ipso Dei verbo stipatum sit, non magis audiendi sunt sensus alii, quàm contra certa Religionis mysteria audienda sit humana ratio.

Obj. 3tio. Ex dogmate transubstantiationis sequitur 1mo. corpus Christi ex pane quotidie generari per consecrationem; 2do. & proinde corpus Christi in Eucharistia non illud esse quod fuit in utero Virginis & in cruce: corpus enim quod cruci affixum est, ex Virginis substantia, non ex pane factum fuit: atqui hæc totidem sunt absurda.

R. ad 1. neg. maj. nam fit equidem corpus Christi præsens in Sacramento, sed non generatur. Generatio enim fit ex materia, quæ intrinsecè componat id quod ex ipsa genitum est: porrò corpus Christi non coalescit intrinsecè ex pane.

Ad 2. dico Christi corpus non esse ex pane, nisi ut termino *à quo*; porrò quod est à pane ut à termino, esse potest, & revera est ex Virginis substantia ut intrinsecùs componente. Ut quædam & paucis solvantur difficultates.

Quæres 1mo. quanam actione corpus Christi ponatur sub accidentibus panis.

R. 1mo. Non sufficit ad transubstantiationem adductio Scotistica. Aliud est enim transubstantiatio, aliud locatio, seu nova rei in loco ubi non erat positio; cùm prima importet conversionem substantiæ unius in aliam, non secunda: atqui adductio quam admittunt Scotistæ non dicit nisi locationem novam, non verò conversionem. Fieri enim potest ut res adducta, putá corpus Christi, præsens sit sacramentaliter cum pane; sicut & ei præsens esse potest Angelus; ergo adductio præcisè sumpta non facit ut terminus *ad quem*, scilicet Christi corpus, sit incompossibilis cum termino *à quo*, id est pane; ergo nec eadem adductio sufficit ad transubstantiationem.

Confirm. In Eucharistica transubstantiatione verificari debet propositio ista: *Hoc est corpus meum*: atqui per solam novæ præsentiæ localis productionem verificatur solùm isthæc: *Hic est corpus meum.* Adductio enim, utpotè mera locatio, efficit

qui-

quidem ut corpus sit ubi non erat, non autem ut panis fiat id quod non erat; ergo.

R. 2do. Transsubstantiatio Eucharistica melius explicatur per actionem reproductivam corporis Christi, non simpliciter, sed ex alia, quæ in ipsum convertitur, substantia. Prob. Quia hæc rem arduam explicandi ratio magis congruit cum Patribus. Ii enim docent corpus Christi sedentis ad dexteram Patris, per consecrationem fieri, creari, confici ex pane: atqui corpus Christi in Cœlo sedentis ex pane fieri, creari, produci nil est aliud quàm ipsum reproduci ex pane in ipsum converso, adeoque non nisi secundum species permanente; ergo.

Quæres 2do. An panis & vini substantiæ per annihilationem desinant in Eucharistia. R. negat. ex dictis enim vera & totalis sit panis & vini conversio in Eucharistia: atqui conversio ista salvari non potest cum annihilatione: 1mo. Quia id quod annihilatur, non transit in aliud, cùm annihilationis terminus, sit ipsum nihil, non autem ens quodpiam positivum; 2do. Quia in hypothesi annihilatæ panis substantiæ, corpus Christi per aliam actionem distinctam produci deberet: atqui posita duplici illa actione, non salvatur ratio conversionis. Hæc enim eo distinguitur à creatione & annihilatione, quòd duplicem terminum æquè positivum habet: atqui posita duplici actione quam impugnamus, neutra haberet utrumque terminum positivum. Annihilationis enim terminus *ad quem*, esset nihil; idemque nihil esset terminus *à quo* productionis; ergo.

Obj. Id annihilari dicitur, quod ità desinit ut nihil ejus remaneat: atqui panis ità desinit, &c. R. neg. maj. annihilatio enim pro termino habet purum nihil: res autem cujus nihil remanet, non habet semper pro termino purum nihil; quia fieri potest, & reapsè fit in Eucharistia, ut eadem res pro termino aliquid habeat positivi, id nempe in quod convertitur.

Quæres 3tio. An totus & integer Christus sub utraque Sacramenti specie contineatur. R. affirmat. est de fide. Prob. 1mo. Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: atqui illud *me*, Christum totum significat, non partem Christi; ergo cùm Christus non manducetur nisi sub specie panis, necessum est ut ipse totus sub illa specie existat. Hinc Concil. Constantiense Sess. 13. *Firmissimè credendum* est, *integrum Christi corpus & sanguinem, tum sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.*

Obj. Verba consecrationis id unum operantur quod significant: atqui verba ista: *Hic est sanguis meus*, non nisi sanguinem exprimunt. R. cum PP. Trid. Sess. 13. c. 3. *Corpus sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum* consecra-

secrationis existere; *ipsum autem corpus sub specie vini & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem.* Concomitantia qua corpus, sanguis & anima Christi simul sunt, potest dici naturalis; quia eam exigit corporis viventis natura; concomitantia verò quâ his omnibus adjungitur divina Verbi hypostasis à contrario supernaturalis vocari potest.

Quæres 4to. An totus & integer Christus sub qualibet utriusque speciei parte contineatur ante divisionem. Quòd enim ibi sit post divisionem constat ex Trid. Sess. 13. Can. 3. Unde canit Ecclesia: *Fracto demum Sacramento, nè vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum sub toto tegitur.* Et verò qui ex eodem calice biberunt Apostoli omnes, totum indubiè Christum recepêre bibendo. R. affirmat. Christus enim post divisionem totus est sub qualibet utriusque speciei parte; ergo & ante divisionem. Prob. conseq. Quia sola specierum divisio, nec ex se, nec ex institutione Christi nobis manifestata, vim habet totum constituendi Christum, sub iis partibus sub quibus anteà totus non erat. Divisio enim nec corpus Christi attingere potest, nec quidpiam in ipsum operari; aliàs posset Sacerdos, imò & laicus, corpus Christi pro nutu multiplicare, multiplicando divisiones; quin & id brutum posset, quod ridiculum est.

Quæres 5to. Quando corpus Christi desinat esse sub speciebus panis. R. corpus Christi desinit esse sub speciebus, quando desitura esset propria panis & vini substantia. Unde nunquam desinit corpus Christi sub speciebus, nisi alia ipsi succedat substantia à vino & pane diversa: quia nunquam desitura fuisset substantia panis, nisi ei alia successisset.

Quæres 6to. Quoto temporis intervallo indigeant species, ut in stomacho corrumpantur, adeò ut sub iis esse desinat corpus Christi. R. Interrogati ea de re à Lugo Medici, responderunt minorem particulam, qualis laicis datur ad communionem, in minuto, seù 6ta horæ parte alterari in stomacho etiam mediocri; majorem verò qualem sumunt Sacerdotes, unà cum vini speciebus alterari in semiquadrante. Quia tamen regula hæc fallere potest, seu quia non idem præstat stomachus languens, quod robustior; seu, quia robustior credi possit, qui debilior est, cavendum nè laici ante quadrantem, Sacerdos verò ante mediæ horæ tempus ad vomitum se provocent. Nec

nimium

nimium quid erit horæ integræ ſpacium iis qui vel deſidem habent ſtomachum, vel ex pituita, ſeniove languentem.

De ſputis breviter dicam ab iis abſtinendum, ſi dubium ſit an aliqua hoſtiæ particula gingivis aut palato adhæreat: ſi adhæreat re ipſa, nec linguæ ope poſſit exſolvi, exſorbendum erit aliquid aquæ. Si ſputum exigat importuna neceſſitas paulò poſt communionem, erit id emittendum vel in linteum, vel ſaltèm in locum mundum.

Quæres 7mo. An & quo cultu adoranda ſit Euchariſtia. R. ſymbolis deberi eam cultus ſpeciem, quæ rei Chriſtum quadantenùs contingenti debetur; ipſi verò Domini ſubſtantiæ haud minorem quàm latriæ cultum præſtari debere. Ratio eſt, 1mo. quia id docent PP. Aug. in Pſalm. 98. de Euchariſtia loquens: *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat, niſi prius adoraverit*; 2do. Quia, ut bene idem Aug. Ep. 118. *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ità faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*: atqui tota, qua in Occidente vel in Oriente patet Eccleſia Chriſtum adorat in Sacramento: ut conſtat ex utriuſque Liturgiis: 3tio. Quia ex probatis, Chriſtus totus verè & ſubſtantialiter in Euchariſtia continetur: atqui Chriſto ubicumque ſit debetur ſupremus latriæ honos; tum quia in eo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; tùm quia Regi, ubivis & ſub quolibet amictu exiſtat, regii honores impendi debent. Unde Zuinglius ipſe: *Si Chriſtus hic eſt, cur non peccent, qui non adorant - - - Nuſquam eſt Chriſtus, ut iſtic non debeat adorari.*

Obj. Præcipit Trid. Seſſ. 13. c. 5. ut adoretur Sacramentum; id autem impiè præcipitur; quia Sacramentum, ſeu ſignum ſenſibile, nec eſt Chriſtus, nec pars Chriſti. R. præcipit quidem Trid. ut *Fideles latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in venerationem exhibeant*; at cultum hunc non ipſi ſpecierum creaturæ, ſed rei ſpeciebus involutæ exhiberi palam demonſtrant hæc quæ proximè ſequuntur verba: *Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Non nego certam ſpeciebus deberi venerationem, qualis fermè penderetùr veſtimentis Chriſti: verùm hæc à latria planè diſcrepat.

Quæres 8vo. An Chriſti corpus ſit, ubicumque eſt ejus divinitas, ut cenſet Lutherus. R. negat. hæc enim ubiquitatis doctrina tollit Euchariſtiæ myſterium & uſum, adeoque Cœnam Domini, quâ tamen plurimum gloriantur Lutherani. Scilicet enim, juxta ipſos, ponitur corpus Chriſti in pane, & ſic comeditur: atqui poſita ubiquitate neutrum fieri poteſt. Nam po-

ni

ni corpus in pane, est priùs ipsum non fuisse in pane. Rursum, manducari corpus, est illud recipi ore, deglutiri postea, & trajici in stomachum: atqui in hypothesi ubiquitatis, corpus Christi jam erat in pane, jam in ore, in gutture, & in stomacho, quia jam in omni loco; ergo vel Christi corpus manducari nequit sub pane, vel si sub pane manducetur, manducatur etiam in alio, quodcumque finges, alimento.

CAPUT SECUNDUM.

De institutione Eucharistiæ.

INstitutam fuisse à Christo Eucharistiam tam unanimiter docent Mathæus, Marcus, Lucas & Paulus I. Cor. 11. ut nulla esse possit ea de re disceptatio. Verùm de tempore institutionis hujus, an videlicet facta sit post Cœnam paschalem, an pridie quam celebrandum esset Pascha, gravis est quæstio, de qua sit.

CONCLUSIO. Christus pridie mortis legalem agni paschalis Cœnam fecit. Ità vulgò Theologi contra P. Lamy, Calmet, &c.

Prob. 1mo. ex trium Evangelistarum Concordia, Matth. 26. *Prima die azymorum*, Luc. 22. *in qua necesse erat occidi pascha*, Matth. *accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt pascha.* Marc. 14. *Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus & manducantibus, ait Jesus*, Luc. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Ex hoc enim non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*: atqui verba hæc tam plana, tam aperta sunt, ut mirum sit fuisse aliquem qui eorum perspicuitati non cederet. Scilicet enim illud pascha manducavit Christus, quod prima azymorum die immolari necesse erat, quod ipso jubente paraverunt Apostoli, quod promisit Christus se in domo certi cujusdam hominis manducaturum; quod ut manducaret, * *factâ horâ*, seu ** *facto vespere* in ejus domo discubuit; cujus manducationem à se desiderio desideratam fuisse significavit, quia hanc proximè secutura erat mors ipsius, & prævia morti Eucharistiæ institutio: atqui hæc omnia totidem sunt legalis paschatis characteres? ergo istud à Christo comestum fuisse ambigi nequit.

* *Luc.* ** *Matth.*

Prob. 2do. Ab unanimi Ecclesiæ & Patrum sensu recedere non licèt, præsertim in materia minimè indifferenti : atqui id habet contraria nostræ Lamici opinio, quòd & ab unanimi Ecclesiæ sensu recedat, nec ab eo recedat in materia quæ pro indifferenti haberi possit.

Primum patet, 1mo. ex controversia quæ prioribus Ecclesiæ sæculis * habita est cum Ebionitis & Quartodecimanis: hi enim ut suam de celebrando cum Judæis paschate opinionem tuerentur, adducebant exemplum Christi qui pascha die 14ta. fecerat. Id autem etsi negare commodum fuisset, à Catholico nemine pernegatum est; 2do. Ex facto Marcionis, qui cùm quarto sæculo postremum Christi pascha inficiari ausus esset, durè vapulavit à Patribus, præsertim autem ab Epiphanio ; 3tio. Ex his nono sæculo Photii verbis contra Scriptores duos, qui Lamici commento præluserant: *Chrysostomus & Ecclesia aiunt Christum tunc temporis pascha comedisse*; 4to. ex Trid. ubi de hoc capite quasi indubitato hæc habentur Sess. 22. c. 1. *Celebrato veteri pascha* - - - *novum instituit* Christus; quibus verbis hæc disertè approbatur doctrina, quam ex Eucharistico S. Thomæ Officio mutuatam tota usurpat Ecclesia: *Post agnum typicum expletis epulis*, &c.

2do. Quæstio præsens pro indifferenti haberi non potest. Si enim legale pascha fecerit Christus, dubio procul Eucharistiam consecravit in azymo, sicque extra aliam est R. Ecclesiæ praxis. Sin autem, usus est fermentô. Unde verò jam probabimus valere consecrationem in azymis factam? Ex Ecclesiæ primitivæ usu? at eum nobis adversarii contendunt Catholici plures. Ex natura panis, quæ in azymo ut in fermentato tota subsistat; at objiciet ** Græculus schismatis tenax, & substantiam & modum panis à Christo præscripta esse, &c. Solventur hæc quidem à nobis: sed an ità invictè, an ità feliciter, ac in communi celebrati à Christo paschatis sententia? non opinor, nec opinantur viri paris cum Lamico scientiæ.

Obj. 1mo. Si Christus paschalem Cœnam comederit, utique ineunte azymorum festo: atqui ultimam suam Cœnam fecit Christus 1ma die ante azymorum festivitatem. Prob.min. ex eo Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus*, &c. ergo. R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. fecit Christus Cœnam *ante diem festum paschæ*, vulgariter, & civiliter sumptum, C. sumptum legaliter, N. Itaque dies paschæ legaliter & strictè sumptus, sicut & alii festi dies Judæorum, incipiebat ab occasu solis; unde quidquid post solis occasum aut tota nocte fiebat, dici poterat peractum festo die: at idem dies sumptus populari more à media nocte incipiebat, ut & apud nos: unde quid-

* *I. & II. Sæculo.* ** *Tillem.*

quid

quid mediam ante noctem factum erat, ante festum, aut pridie festi peractum censebatur. Si ergo semel constet Judæos Scriptores de festis populariter locutos esse, nulla erit in objecto Joannis textu difficultas. Id autem constat ex variis textibus ubi dies 14ta. etiam post occasum solis exhibetur ut distincta à primo azymorum die, utque hujus pervigilium. Sic Levit. 23. *Decima-quarta die mensis ad vesperam phase Domini erit, & decima-quinta die mensis hujus solemnitas azymorum est,* & tamen quæ hic dicitur decima-quarta dies, si legaliter spectaretur, esset decima-quinta. Sic Num. 33. *Profecti sunt de Ramesse* filii Israel *quinta-decima die mensis primi, altera die phase*: & tamen dies 15ta non erat à comesto paschate altera nisi populariter.

Inst. legitur Joan. 18. *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in Prætorium ut non contaminarentur; sed ut manducarent pascha.* Unde sic: Judæi nondum manducaverant pascha, cùm Christum ad Prætorium Pilati adduxerunt: atqui in expositione nostra pridie ad vesperam pascha manducassent, ut & ipse Christus; ergo.

R. 1mo. neg. min. stando in expositione S. Chrysostomi, juxta quam debuerant quidem Principes Sacerdotum, de quibus præcipuè agitur apud Joannem, pridie pascha manducare cum cæteris: sed distulerunt, nè perdendi Christi occasionem prætermitterent. Hæc autem expositio præterquàm ex ipso suo Authore commendanda est, hinc suaderi possit, quòd non insolitæ forent apud Judæos hujus generis dispensationes. Sic sub Ezechia *Magna pars populi, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non juxta quod scriptum* erat in lege, 2. Paralip. 30.

R. 2do. dist. textum Joannis. Non introierunt in Prætorium, ut manducarent pascha, id est, victimas paschales, quæ azymorum diebus immolabantur, & quibus vesci poterant laici ipsi, modò impolluti essent, C. id est manducarent agnum paschalem, N. Paschatis nomen triplex in Scripturis significatum habet: 1mo. Enim sumitur pro tota paschali solemnitate quæ diebus septem celebrabatur. Sic intelligi solet id Pilati apud Joan. 18. *Est autem consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in pascha*; 2do. Pro agno paschali: sic Matth. 26. *Ubi vis paremus tibi comedere pascha*; 3tio. Pro victimis quæ totâ azymorum septimanâ offerebantur: sic Deuteron. 16. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*, seu ut clariùs adhuc vertit Maimonides: *Immolabis pascha oves & boves.* Pascha enim strictè sumptum non bovis, sed agni mactatione peragebatur. Etsi porrò vox *Pascha*, paschales omnes victimas

ex-

exprimebat, eas tamen exprimebat præcipuè, quæ die 15ta offerebantur, utì olim prout indubium in Harmonia sua agnoverat Lamicus. Has autem victimas nemo nisi mundus poterat comedere, secundùm id Levit. 7. 20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum - - - peribit de populis suis*; ergo possunt Joannis verba de victimis paschalibus intelligi; si autem possunt, jam debent, nè tribus Evangelistis Evangelista alter oppositus existimetur.

Confirm. Quia in ingressu in Prætorium poterat quidem arcere Judæos ab esu victimarum, non autem ab esu agni paschalis: siquidem immunditiæ legales ut plurimùm non durabant nisi ad vesperam; ergo haud diutius durare poterat immunditia, quæ Judæos ab ingressu Prætorii removit; præsertim cùm nullibi vetet Scriptura nè Judæus pagani judicis ædes ingrediatur; ergo immunditia, quam verebantur Judæi, impedire quidem poterat, nè vescerentur victimis, quæ ante noctem offerebantur, non autem nè comederent agnum paschalem, qui non nisi facta nocte, & ideo post vesperam comedebatur.

Inst. 2do. Feria sexta, qua cruci affixus est Christus, *erat parasceve paschæ*, ex Joan. 19. 14. ergo pascha necdum celebratum erat. R. dist. maj. erat parasceve paschæ, id est præparatio ad Sabbatum, quod in hebdomadam paschalem incidebat, C. id est, præparatio ad diem festum Paschæ, N. Hæc solutio patet 1mo. ex Marci 15. ubi sic: *Erat parasceve quod est ante Sabbatum*, græcè, Prosabbaton; Prosabbati autem nomine intelligitur feria sexta quæ sabbatum præcedit; 2do. Ex ipso Joanne, qui mentem suam disertè his exprimit verbis c. 19. *Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent corpora in cruce Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati*, &c. ergo parasceve illud non aliud erat quàm Sabbati; 3tio. Quia pascha non habebat parasceve. Parasceve erat præparatio ciborum, quos die sequenti parare & coquere illicitum erat: nusquam porrò illicitum fuit parare cibos ipso paschatis die. Unde Exod. 12. expresè permittitur prima & septima paschali die quidquid *ad vescendum pertinet*; ergo.

Inst. 3tio. Joan. 13. Cùm *Jesus dixit* Judæ: *Quod facis fac citiùs*, crediderunt quidam, *quod dixisset ei: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum - - - Erat autem nox*. Unde sic: Si dies quâ hæc locutus est Christus, non fuit præparatio ad festum paschale, fuit ipsa prima paschatis dies: atqui non fuit. Qua enim die sic locutus est Christus, licebat mercari & emere, ut patet ex textu mox citato; licebat quoquè ferre arma, ut patet ex facto tùm Petri, Luc. 22. 28. tùm eorum

qui Jesum comprehenderunt, Matth. 26. 27. licebat & Judæo sepelire mortuos; cùm tunc à viris Judæis sepultus fuerit Christus: atqui nihil horum licebat festis diebus; ut docent Josephus & Rabini; ergo.

R. ad 1. & neg. min. nam 1mo. si festis omnibus præter Sabbatum, licuit facere & parare quæ ad victum pertinebant, licuit & ea emere his, qui alioqui carituri essent. Id autem si quo ad usus profanos licitum fuit, quanto plus circa res sacris usibus destinatas? ergo credere potuerunt Apostoli Christum summo mane sacrificia oblaturum, & ideo jam tunc victimas emendas præcipere. 2do. Quia post mortem Christi, * *cùm jam serò factum esset, Joseph ab Arimathæa mercatus est sindonem* ut involveret corpus Jesu: quo etiam tempore mulieres sanctæ ** *paraverunt aromata & unguenta:* atqui tamen tunc festum agebatur à meridie juxta Lamicum; ergo quidquid ille velit, & emere, & quædam, quæ ad victum non attinerent, parare licitum erat.

Ad id quod additur de armorum gestatione: R. Petrum sumpsisse arma ad Magistri sui defensionem, & ipso monente, Luc. 22. 36. atqui arma in hac occasione sumi posse solemniter decreverant Machabæi, idque citatô mox locô confirmaverat Christus.

Quod spectat mortuorum sepulturam, hanc pro pietatis opere, non autem pro opere servili, quod vetitum esset, habitam fuisse probat agendi ratio justi Tobiæ, qui *cùm esset dies festus Domini* - - - occisi Judæi *** *corpus portavit ad domum suam occultè, ut, dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum*; *cautè* inquam non religionis ergo, sed præ metu.

Inst. 4to. Ergo Christus ipsa festa die, omnium maximè solemni, comprehensus est, in judicium vocatus, condemnatus, & affixus cruci: atqui constans est Rabbinorum vox, judicia omnia, & multo magis capitalia, festis diebus fuisse prohibita; ergo. R. tam potuisse Judæos has leges transgredi, quàm potuerint in Christi morte non modò sanctissimas æquitatis, sed & Rabbinicas etiam leges violare, ex quibus tam confidenter argumentatur Lamicus; atqui & istas violavêre. His enim cautum est nè judicia capitalia nocte inchoentur; nè qua inchoata sunt die, eadem absolvantur; nè pridie festi aut Sabbati exerceantur; nè rei duo simul judicentur; nè reus quis antè vesperam morte afficiatur; hæc porrò cuncta violârunt Judæi in Christi judicio; quidni igitur & cætera violaverint?

Obj. 2do. Id Pilati apud Joan. 18. 39. *est autem consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in pascha*: atqui per pascha hic intelligitur dies, quâ immolabatur agnus paschalis; quia vin-

* *Marc.* 15. ** *Luc.* 23. *** *Tob.* 2.

cti dimissio exigeret judicialem strepitum, qui magno azymorum die prohibitus erat. R. neg. min. vox enim *pascha* solemnem azymorum diem significat in Evangelio, secundùm id Luc. 22. *appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Et verò sentiunt non pauci ex adversariis nostris, hanc unius vincti dimissionem à Judæis postulatam esse in memoriam exitus Israel de Ægypto: porrò testatur Scriptura Israelitas die 15ta. mensis Nisan ex Ægypto profectos esse; ergo locus iste, si quibus, nobis certè favet.

CAPUT TERTIUM.

De materia Eucharistiæ.

CUm Christus corpus suum in Eucharistia per modum cibi, sanguinem verò per modum potus dare voluerit, necessum est, ut alia sit materia *ex qua* corpus, alia *ex qua* sanguis conficitur. De utraque dicendum in præsenti Capite.

§. I. *De materia ex qua fit corpus Christi.*

Expendam 1mo. an materia hæc sit panis triticeus; 2do. an ad Sacramenti substantiam perindè sint azymus panis & fermentatus; 3tio. An cuivis alterutrô uti licitum sit; 4to. An uterque quovis tempore promiscuè & æqualiter fuerit in usu. Sit:

Conclusio I. Panis, isque triticeus, necessaria est Eucharistiæ materia.

Prob. 1. pars. Ea est necessaria conficiendi Christi corporis materia, quam Christus usurpavit, quamque ab Apostolis eorumque successoribus usurpari præcepit: atqui 1mo. *accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: Accipite,* &c. Matth. 26. 2do. idem ab Apostolis, quorum in persona futuros deinceps Sacramenti sui Ministros alloquebatur, fieri præcepit: *Hoc facite,* &c.

Prob. 2. pars: 1mo. Christus accepit panem: atqui panis purè & simpliciter dictus, est panis ex tritico seu frumento, sicut aqua simpliciter est aqua elementaris; ergo ut hæc ad baptismi, sic & ille ad Euchatistiæ substantiam necessarius est; 2do. Ex unanimi Ecclesiæ sensu, juxta quam interrogati à Rom. Pontifice Græci, his responderunt verbis Sess. ult. Conc. Florent. *De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, Græci non*

curant, dummodo ex tritico constet. Hinc Rubricæ Missalis: *Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.*

Obj. 1mo. contra 1. part. Ea est legitima conficiendi corporis Christi materia, quam antiquitus ad altare offerre consueverant Fideles: atqui non panem modò, sed & lac, uvas, oleum, mel, &c. offerebant Fideles. R. dist. min. Fideles offerebant lac, &c. in gratiarum actionem, exercitiumve Religionis, aut Clericorum sustentationem, C. ad consecrationem, N. Solutio patet ex Can. 24. Concilii III. Carthag. ubi sic Patres: *Primitiæ verò, seu mel, seu lac, seu alia quæ solent offerri, quamvis in altari, tamen habent propriam benedictionem, & à divinis Sacramentis distinctam.*

Obj 2do. contra 2. part. Vinum quodlibet ad calicis consecrationem sufficit; ergo & quilibet panis. R. neg. conseq. vina enim, seu alba sint, aut rubra, seu Gallica, aut Hispanica, non nisi accidentaliter, nempe penes colorem & vim, differunt: unde de horum singulo quoque dicitur: *Est vinum*, licèt non semper addatur, *generosum*, at verò panes, ut & grana ex quibus conficiuntur, specie discrepant; nec magis de hordeaceo dicitur simpliciter est *panis*: quàm de oleo ex nucibus simpliciter dicatur, *Est oleum.* Atque hinc triticeus panis per se usualis est, licèt per accidens non ubique sit in usu.

Ex dictis colliges 1mo. non id omne quod in aristas surgit, esse conficiendi corporis materiam, unde non valeret consecratio ex milio, lentibus, fabis, itèm ex arborum fructibus, putà castaneis, nucibus, amygdalis; vel ex iis radicibus, vulgò *Cassave*, quibus utuntur Americani; imò nec ex spelta, farre, vel hordeo: quia etsi priora duo aliqualem tritici figuram habent, non tamen naturam ejus; neque ex his confectus panis, simpliciter dicitur panis, sed cum addito, puta farreus, hordaceus, &c.

Gravior est quæstio de siligine, quam S. Thom. idoneam Eucharistiæ materiam censet: sed minùs bene: tùm quia panis ex secali non dicitur panis nisi cum addito; tùm quia constat ex tritico in sequioribus terris nasci etiam lolium & avenam; quod argumento est non quidquid ex alio nascitur, ejusdem cum ipso speciei censendum esse. Unde Rubrica Missalis tit. de defectibus: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* Secùs si grani alterius admixtio modicæ adeò quantitatis sit, ut panis inde exurgens morali hominum æstimatione triticeus reputetur. Quanquam exigit summa quæ Sacramento debetur reverentia, ut ex solo eoque puriori

fru-

frumento conficiatur panis Euchariſticus, ſitque niveæ, ſi poteſt, albedinis.

Ex his inferes, nè in eo quidem caſu, ubi vel plebs Miſſam auditura non ſit, vel æger deceſſurus ſinè viatico, licere uti ſiligineo pane: quia nuſquam materia dubia uti licitum eſt extra caſum extremæ neceſſitatis: porrò haud neceſſum eſt ut audiatur Miſſa, vel recipiatur Viaticum, cùm neutrum fieri poteſt abſque eo quòd Sacramentum nullitatis periculo exponatur.

Colliges 2do. Eum duntaxat ad Euchariſtiam panem adhiberi debere, qui ex aqua naturali, & triticea farina compactus ſit, & igne coctus, quia is ſolus & uſualis ſit, & propriè dicatur panis. Unde ſi aquæ loco adhibeatur lac, mel, butyrum, aliive id genus liquores, exurget placenta, ſed non panis verus, proinque nec conſecratio. Idem erit de maſſa cruda,quia maſſa moraliter ſaltem differt à pane, nec pro tali apud homines habetur. Neque cocta cenſebitur, quæ elixa, vel frixa fuerit; quia non eſt hæc vera & uſualis panem concoquendi ratio.

Colliges 3tio. Nihil ad Euchariſtiæ valorem referre, an conſecrandus panis hujus vel illius figuræ ſit: Eum, quacumque foret figura, antiquitùs conſecratum eſſe indicat Toletana Synodus XVI. c. 6. Subinde formæ fuit rotundæ, eique ob Eccleſiæ legem adhærendum.

CONCLUSIO II. Valet conſecratio, ſeu fiat in azymo pane, ſeu in fermentato: haud tamen utraque ex æquo omnibus licita eſt.

Prob. 1. pars, 1mo. Quia uterque totam panis naturam habet; 2do. Nec uſquam Græcos quia fermantato uterentur, redarguerunt Latini, nec Latinos Græci ante XI. ſæculum, quo miſeram gentem invadere cœpit ſpiritus erroris & ſchiſmatis; 3tio. In Florentina Synodo ubi ſpirabat charitatis aura: *Definimus*, aiunt cum Latinis Græci, *in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici*; 4to. Conſtat ex dictis Chriſtum in azymo conſecrâſſe: atqui non minùs conſtat nullam ab eo ſancitam legem, qua conſecratio aliter facta in irritum duceretur.

Prob. 2. pars: quia peccat graviter Latinus, ſi apud Latinos conſecret in fermentato, ut & Græcus ſi apud Græcos conſecret in azymis: cùm nemini gravem Eccleſiæ ſuæ ritum mutare liceat.

Dixi, *Latinus apud Latinos*, &c. Si enim Latinus apud Græcos iter faciat, aut Græcus apud Latinos, poterit uterque vel Eccleſiæ ſuæ ritum ſequi, prout paſſim videmus factitari à Græ-

cis, qui seu in Italia, seu in Gallia consecrant in fermentato; vel ejus, ad quam devenerit Ecclesiæ morem sequi, secundùm id Aug. Epist. 118. *Nec disciplina ulla est melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit.*

Si autem Græcus Sacerdos mutato domicilio habitet inter Latinos, jam nisi secum à Rom. Pontifice dispensetur, Latinæ Ecclesiæ praxim sequi tenebitur, quia membrum ejus specialiter evaserit. Idem & eadem ex causa dicendum de Latino, qui Ecclesiæ Græcæ membrum fieret. Si verò, vel Latinus in templo Latinorum quod in Græca Provincia reperiatur, vel Græcus in Græcorum templo Latinis in partibus sito celebrare velit, necessum est, habeat se perinde ac si propria in Ecclesia versaretur; proindeque ut in fermento Græcus, Latinus in azymo sacris operetur.

Sed an licebit fermentatô uti nè populus festo die careat Missâ, aut æger viaticô, aut mutilum maneat sacrificium, putà si consecrata in pago utraque specie, detegatur corruptam esse speciem panis, nec alius à fermentato haberi possit.

R. 1mo. Illicitum id esse in utroque priori casu, quia alioqui pares ob causas liceret Sacerdoti sacris vestibus destituto sacrum facere, quod nemo admittit.

R. 2do. Aliter statuendum pro tertio casu; quia sacrificii integritas longè prævalet circumstantiæ accidentali; qua etiam de causa sacrificium à pranso perfici potest: unde non modò insons foret, qui tunc uteretur fermentatô, sed & sons qui non uteretur.

Obj. Is solùm panis Eucharistiæ materia esse potest, qui usualis fuerit; porrò nullibi usualis est panis azymus. R. dist. maj. qui usualis fuerit, id est, quo homines tanquam pane propriè & simpliciter dicto uti possint, C. id est, quo frequentiùs uti consueverint, N. Certè non desunt amplissimæ Regiones ubi rarior sit triticei panis usus, imò ubi vix in usu sit panis quo utuntur Græci & Latini; nec ideo tamen aliô hic uti licet pane quam triticeo. Is ergo panis usualis est, quo per se tanquam vero pane uti possumus, non quo per *accidens* utimur ut suaviori. Quamquam non adeò olim insolens fuit azymorum usus, ac nunc est, iis enim nec raró utebantur Romani, aliique plures, prout animadvertit Card. Bona.

Quæres an primæva Ecclesia in azymis consecraverit. Pro responsione sit

CONCLUSIO III. Frequentior fuit ab initio in Ecclesia Latina, præcipuè verò Romana azymi panis quàm fermentati usus ad consecrationem.

Prob.

Prob. 1mo. Quia interrogati à Constantino imperatore Legati, qui Agathonis nomine Concilio sexto Generali præfuerunt, *qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis D. N. J. C. ordinem teneret.* Responderunt: *In calice Domini non debet offerri solum vinum, sed aqua mixtum - - - Oblatio verò, quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere,* &c. ità refert Humbertus Card. in Resp. ad Nicetam Pectoratum, ubi sic prosequitur: *Tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc Traditio Sedis Apostolicæ.* * Unde jam liquet, 1mo. R. Ecclesiam septimo sæculo in azymis, & quidem solis consecrâsse, proinque convellitur radicitus opinio Sirmondi, qui negat Ecclesiam Latinam azymis ante Photii schisma usum esse. Liquet 2do. hunc azymi usum in eadem Eccelesia constantem fuisse; tùm quia est hæc traditionum suarum Custos sedula; tùm quia non hic recentem aliquam exponunt traditionem Legati, sed antiquam, eique similem, ex qua offerri debet aqua vinô mixta: hæc autem indubiè manavit ab Apostolis.

Prob. 2do. ex S. Leone IX. Ep. 1. ad Michaëlem Cœrularium, ubi azymi panis usus ad B. Petrum refertur. Idem S. Leo Ep. 2. *Qui non stupeat, quòd post tot sanctos & orthodoxos Patres, per 1020. à passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematisans omnes - - - quicumque participarentur Sacramentum in azymis.* Hic habes 1mo. azymorum praxim B. Petri institutione manare; 2do. eandem per decem sæcula in Ecclesia R. viguisse; 3tio. Eandem, si non à Patribus omnibus servatam, ac certè ab eorum nullo reprehensam fuisse. Cui porrò notior esse potuit R. Ecclesiæ usus, quám viro profundæ scientiæ, qui ut eum contra Græcos tueretur, nihil operæ & studii omittere debuit?

Obj. 1mo. Constat ** fideles primævos quotidie per domos fregisse panem, id est Eucharistiam. Constat insuper Sacerdotes, vel conclusos in carceribus, vel in cryptis aut speluncis latitare coactos sacra celebrâsse: atqui vix utrumque alio quàm obvio, proinque fermentato pane præstare potuerunt; ergo R. neg. min. si enim in azymis consecranda fuerit Eucharistia, indubiè solliciti fuêre primi Fideles, nè ea vel sibi deficerent, vel iis qui in carceribus inclusi erant: neque hic difficilius fuit azyma, quàm vinum aut delicatiores cibos invehere. Et verò Sacramenti reverentia utcumque exigebat, ut non communi & quolibet indiscriminatim pane conficeretur, nè hinc faciliùs in contemptum veniret apud Gentiles, & Judæos ad fidem recèns conversos, qui nónnisi selecta & singulari studio præparata in sacrificium offerre consueverant.

* *Baron. Tom. XI.* ** *Act.* 2.

Obj. 2do. Vetus in Ecclesia mos fuit ut Fideles panem & vinum ad sacrificii materiam deferrent: atqui Fideles non alium, quàm quo passim vescerentur, ac proin fermentatum deferebant; ut patet ex S. Ambrosio, qui Lib. 4. de Sacram. c. 4. dubium præsentiæ realis Christianum sic inducit loquentem: *Tu fortè dicis: Meus est panis usitatus? meus*, inquam, quia obtuli; *usitatus*, quia non alio vescor; ergo. R. neg. min. namque Fideles ipso Hincmari Remensis tempore panes ad Eucharistiam offerebant; & tamen offerebant azymos. Quin & morem hunc in Amoricis perseverantem vidit ipse Sirmondus.

Nec obest id quod objicitur ex Ambrosio, 1mo. quia azymorum usus olim, & Mediolani fortè, frequentior erat, quàm nunc sit: unde Humbertus in Responſ. ad Cœrularium: *Azyma*, inquit, *ad communes usus hominum & cæterorum animalium transeunt*; 2do. Quia in objectione contra realem præsentiam, qualem sibi proponit Ambrosius, & quæ cum exageratione quadam proponi debet, panis non tam ratione modi, quàm ratione substantiæ spectatur: porrò usitati panis eadem est quæ azymi materia.

CONCLUSIO IV. Nulla firma ratione probari potest Orientales Ecclesias ab Apostolorum ævo fermentatum consecrâsse.

Prob. ex dictis Christus indubie consecravit in azymo: atqui Orientem totum jam ab initio exemplum Christi neglexisse, res est quæ vix credi queat, nec credenda sit, nisi validissimis probationibus demonstretur, quæ profectò hic desunt, ut in prolixiori nostro Tractatu ostendimus.

§. II. *De materia Calicis.*

Expendam 1mo. an vinum necessaria sit calicis materia; 2do. An ei aquam immisceri oporteat, 3tio. Quo jure; 4to. Qua necessitate; 5to. Qua quantitate; 6to. An aqua hæc convertatur in sanguinem Christi.

CONCLUSIO I. Vinum necessaria est calicis materia.

Prob. 1mo. Quia in Evangelio dicitur Christum accepisse calicem, eumque benedictum dedisse Discipulis: atqui in phrasi Scripturæ & usu consueto, calicis nomine non intelligitur aqua, multoque minùs lac, mel, ut aliqui delirârunt; ergo vinum simpliciter dictum, adeoque vitigineum.

Prob. 2do. ex recensitis supra Patribus, qui omnes docent Christum vinum in sanguinem suum convertisse.

Hinc deduces 1mo. succum qui ex pomis, piris, cerasis, malogranatis exprimitur, non esse materiam calicis: quia etsi ali-

quam

quam vini speciem, imò & quandoque nomen habent, non tamen ejus substantiam; undè non magis dicitur vinum simpliciter, quàm panis ex hordeo confectus, simpliciter dicatur panis.

2do. Nec ejusdem calicis materiam esse liquorem in uvis inclusum, tùm quia nec dicitur vinum, sed botrus vel racemus; tùm quia non se habet per modum potus, sed per modum edulii; unde uvas manducâsse dicimur, non bibisse; tùm quia non potest designari per pronomen *hoc*: neque enim ostenso botro dici magis potest, *Hoc est vinum*, quam ostensa oliva dici possit: *Hoc est oleum*.

3tio. Nec consecrationis materiam esse, seu * defrutum, seu ** agrestum, seu acetum; quia hæc vel à vino specie differunt, vel morali hominum æstimatione non reputantur vinum. Unde quod docet Innocentius III. *Vinum acidum, quod appellatur acetum, si in sacrificium offeratur*, valere ad consecrationem, de vino nondum plenè in acetum verso, sed proximè convertendo intelligi debet.

4to. Valere consecrationem musti, seu vini recèns ex uvis expressi; tùm quia simpliciter dicitur vinum, ut Luc. 5. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres*; tùm quia à meraciori vino non discrepat nisi secundùm magis & minùs, caloris, v. g.

5to. Nihil ad consecrationem interesse an ea fiat in vino hujus vel illius Regionis, saporis, vel pretii: quia tametsi varia vina, ut Hispanum, & Gallicum penes speciem differre supponerentur; horum tamen quodlibet est verum vinum de vite, ejusque essentiam participat.

Sed quid si consecretur vinum constrictum gelu.

R. In primis illud à consecratione jam peracta non excidere; quia non excideret ab intrinseca ratione vini, si consecratum non esset: Tamdiu porrò manet sanguis Christi, quamdiu maneret vinum, nisi consecratum esset: unde præcipit Missale Romanum, ut congelatæ species liquefiant, & à Ministro deinceps sumantur ut consecratæ.

CONCLUSIO II. Vino consecrando aquam admisceri necessum est, non tamen necessitate Sacramenti.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Conciliis Carthag. III. *vinum aquâ mixtum* offerri jubet; Trullanum an. 692. Can. 32. Armenos aquam non miscentes vino expresse damnat; Triburiense an. 885. *Confirmamus*, inquit, *nè ullus sinè commixtione vini & aquæ mysteria sacra perficiat.*

2do. ex Patribus. Justin. in Apol. 2. *Affertur*, inquit, *præcipuo fratri panis & calix aquâ dilutus*, Cypr. Epist. 63.

* Vinum coctum. ** Verjus ex uvis valdè immaturis expressum

A Domino instructi sumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit, offeramus. Chrysostomus in Liturgia: *Facit* Diaconus *commixtionem in calicem mittens vinum & aquam.*

Prob. 2. pars: Ideo aqua ad validam calicis consecrationem necessaria foret, quia vel eâ usus esset Christus, vel eâ utendum præcepisset: atqui neutro ex capite reperi potest prædicta necessitas. Non ex 1. Christus enim & in azymis, & plena jam nocte consecravit, neque tamen necessum est ut alterutro ritu consecretur. Non ex 2. nulla enim præcepti hujus habetur mentio seu in Scriptura, seu in Traditione. Neque verò si extaret divina lex de aquæ usu, hæc continuò consecrationis aliter factæ nullitatem induceret. Utique enim divina lege cautum est né Sacerdos immundus Eucharistiam conficiat; & tamen valet peracta ab impio Sacerdote consecratio. Atque hinc Missalium omnium Rubricæ, aquam, si fortè ante consecrationem omissa est, post consecrationem immisceri vetant, *quia non est de necessitate Sacramenti.*

Obj. contra 2. part. 1mo. id Cyprian. Epist. 63. *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest - - - - quando autem utrumque miscetur, tunc Sacramentum spiritale ac cæleste perficitur: sic verò calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.* Unde sic: Non magis ex Cypriano, vinum solum offerri in calice potest, quàm aqua sola: atqui aqua sola validè offerri non potest.

R. dist. maj. Non magis vinum solum offerri potest, id est, non magis per solum vinum repræsentari potest, id quod per calicis consecrationem repræsentari vult Ecclesia, C. non magis, id est, non magis conficitur sanguis Christi, N. Duo habet Eucharistia, 1mo. quòd corpus & sanguinem Christi significet, & realiter contineat; 2do. Quòd populi fidelis cum Christo unionem repræsentet. Prima significatio est Eucharistiæ essentialis; secunda ad integritatem ejus pertinet, non verô ad essentiam. Sublatô vinô tollitur prior, sublatâ aquâ posterior. Quòd autem tunc posterior sola tollatur, patet tùm ex communi sensu Patrum, à quibus vel non recessit Cyprianus, vel meruit ut à se recedatur; tùm ex ipso Cypriano, juxta quem, *si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse,* licèt non ritè.

Inst. ex Cypriano, Eadem est vini cum aqua miscendi necessitas, quàm farinæ cum aqua miscendæ: atqui posterior hæc

mix-

mixtio necessaria est necessitate Sacramenti; ergo & prior. R. dist. maj. eadem est vini cum aqua miscendi necessitas, ut adæquatæ sint Sacramenti significationes, C. eadem est ut stet Sacramenti essentia, N. Itaque quemadmodum ut grana multa fidelium unitatem significent, necessum est ut mediante aqua totum unum efficiant; sic ut per calicem repræsentetur unio fidelis populi cum Christo, necessum est duos in ipso misceri & confundi liquores. Verùm non ideo par est utriusque conditio. Panis enim qui ex granis pluribus aquâ minimè delibutis constaret, nec verus esset panis, nec proin ad Eucharistiæ consecrationem sufficeret: contrà verò vinum sinè aqua totam habet rationem, & ideò solum consecrari validè potest.

Obj. 2do. In Sacramentis quod est necessarium necessitate præcepti divini; necessarium est necessitate Sacramenti: atqui aquæ mixtio ex divino præcepto necessaria est; prout docent Justinus, Cyprian. &c. R. data, non concessa maj. quia aliud est à Christo quidpiam præcipi, aliud id sub nullitatis pœna præcipi. Sic enim jussit ante doceri gentes, quàm baptisarentur, nec tamen Baptismati indoctis collato suam abstulit validitatem. R. inquam, dist. min. mixtio aquæ necessaria est ex divino præcepto largiùs sumpto, C. sumpto strictiori sensu, N. Itaque quod fecit Christus exemplum dando quòd sequeremur, non ineptè præceptum vocari potest; & sic quadragesimale jejunium à S. Leone *divinæ institutionis* esse dicitur. At hujusmodi præcepta dum etiam obligant sub gravi, non ideò actus contrà facti nullitatem inducunt; secundùm id S. Bernardi Ep. 69. *Aliud est non bene quidpiam fieri, & aliud nec fieri.*

Obj. 3tio. ex citata pluries Aug. regula: *Quod universa tenet Ecclesia*, ut est aquæ mixtio, *nec Conciliis institutum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*: atqui, ait Tertull. *Apostoli à Christo acceperunt, sicut Christus à Deo.* R. dist. min. relativè ad præsentem materiam: Apostoli acceperunt à Christo velut exemplum quod sequi oporteat sub pœna peccati, C. velut legem quæ obliget sub pœna nullitatis, N. Solutionem dant hæc. R. Cathechismi verba, 2. p. n. 7. *Quamvis aquæ miscendæ ità graves rationes sint, ut eam sinè peccato mortali prætermittere non liceat; ea tamen si desit Sacramentum constare potest*: cur porrò? Quia sicut azymi exemplum dedit Christus, nec tamen fermentati usum irritavit, sic à pari.

Quæres 1mo. cujus speciei & quantitatis aquam vino misceri necessum sit.

R. ad 1. aquam hanc debere esse naturalem; tùm quia si quam, ut pro Orientalium more fecisse creditur, vino miscuerit Christus, utique naturalem; tùm quia quam misceri jubent

Conci-

Concilia & Patres, hanc simpliciter aquam vocant: aqua autem simpliciter dicta est elementaris.

R. ad 2. his Eugenii IV. verbis: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admîsceri solet.* Monet tamen P. le Brun, *Scrupuli expertem esse debere, qui tertiam solùm aquæ partem offerendo vino miscuerit*; præsertim cùm generoso vino utitur; nec vereri est, nè in via vel cavea baptisatum fuerit.

Quæres 2do. an materia consecranda, Ministro præsens esse debeat physicè, ità ut manibus, aut saltèm oculis attingi possit; an solùm moraliter; ità ut licèt actu non cadat sub sensum, in eo tamen sit loco, ubi à consecrante demonstrari possit & percipi, si non in se, saltèm in aliquo, vel ipsi conjuncto, vel ad eam continendam ordinato: quemadmodum ostensâ crumenâ, ostendi censetur argentum, quod in ea continetur.

R. 1mo. requiri ut materia præsens sit consecranti. Ratio est, quia id exigit veritas formæ: istæ enim particulæ *hoc* & *hic* demonstrativæ sunt; nihil autem demonstrari potest, nisi formaliter saltèm præsens sit demonstranti.

R. 2do. nec requiri, nec sufficere præsentiam physicam: 1mo. Quidem non requiritur. Consecrari enim validè possunt formulæ quæ vel sub aliorum cumulo latitent; vel in pixide includantur: & eæ tamen cùm nec videri, nec tangi queant, physicè præsentes non sunt; 2do. Nec sufficit. Alioqui enim distans uno milliari panis, qui vel sua quantitate, vel mediis perspiciliis videretur, consecrari posset; quod & absurdum est, & malè cohæret cùm forma, *Hoc est corpus meum*, quæ aliquid longè magis præsens significat. Profectò quæ à nobis tantopere distant, pronomine *illud*, non autem pronomine *hoc* demonstrantur.

R. 3tio. requiri & sufficere præsentiam moralem; cùm enim aliqua requiratur præsentia, ut indicant particulæ *hoc* & *hic*; nec aliunde requiratur aut sufficiat præsentia physica, necessaria est & sufficit præsentia moralis.

Hic autem advertendum, ad moralem præsentiam materiæ non requiri, 1mo. ut verba ad eam physicè perveniant: quandoquidem absque illa vocis diffusione verè & juxta moralem loquendi usum dicitur: *Hoc est corpus meum*; 2do. Ut materia actu aliquo sensu percipiatur; unde valet tùm vini in calice cooperto, tùm hostiæ vel in pixide clausæ*, vel in corporali involutæ; tùm etiam quæ à cæco Sacerdote fit consecratio. Tametsi enim rarum est, & esse debet, ut cæco sacrum fa-

* Monent quidem Rubricæ ut ante Offertorium aperiatur pixis, verùm apertio hæc non est necessaria necessitate Sacramenti, sed præcepti.

facere liceat, id tamen quandoque conceſſum eſt, ut Hincmaro Laupunenſi à Joanne VIII· in Concilio Tricaſſino.

Quæres 3tio. an materia per intentionem conſecrantis determinata eſſe debeat. R. affirmat. 1mo· Quia voces *hoc* & *hic* ex ſe certi quid & fixi demonſtrant: fixum autem eſſe nequit quod indeterminatum eſt; 2do. Quia ſicut non conſecrat Sacerdos niſi conſecrare intendat, ſic nec certam materiam conſecrat, niſi hanc præ alia conſecrare intendat. Alioqui enim omnes quæ ſuper altari, præſertim in Feſto Natalis Chriſti, reponuntur formulas jam à prima Miſſa conſecraret, quod abſurdum eſt.

Hinc non conſecrat, 1mo. qui ex decem hoſtiis præſentibus vult ſolùm conſecrare novem non deſignando quam excludere intendit; 2do. Qui mediam ſolùm, tertiamve hoſtiæ partem conſecrare vult, non determinando quam conſecrare nolit.

Si formulis jam conſecratis miſcerentur non conſecratæ, poſſent eæ conſecrari, ad quod ſatis foret, ut moraliter præſentes eſſent, velletque Sacerdos id totum conſecrare quod nondum conſecratum fuiſſet. Nec obeſt quòd diſtinctè demonſtrari nequeant formulæ conſecrandæ; namque Sacerdos in ſecunda & tertia Natalis Domini Miſſa vinum reliquiis ſanguinis in priori Miſſa conſecrati mixtum conſecrat, nec tamen conſecratas partes à non conſecratis diſcernere valet. Cavendum tamen nè conſecratis miſceantur non conſecratæ. Unde improbanda eorum praxis, qui citra cauſam, ſuperſtitibus in pixide, quàm purificare negligunt, particulis, hoſtias non conſecratas admiſcent.

Cæterùm hic ſufficit determinatio virtualis, quam habet, 1mo. qui ab initio conſecrare voluit formulam, quæ ſibi deinceps inter conſecrandum excidit à memoria; 2do. Qui licèt actu de hac vel illa formula non cogitaverit, id tamen omne conſecrare voluit quod rite ſibi ad conſecrandum offeretur· Quapropter qui duas manu hoſtias tenet, ratus ſe unam tantùm habere; aut qui ſex ſibi oblatas credit, cùm oblatæ fuerint plures, cunctas validè conſecrat: quia error iſte ſpeculativus non obeſt intentioni practicæ id omne conſecrandi quod rite offeretur ad conſecrationem, ſecundùm id Rubricæ: *Quilibet Sacerdos ſemper intentionem habere debet conſecrandi eas omnes formulas, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.*

Quæres 4to. quid ſentiendum de vini guttis quæ calici à reliquo continuo diviſæ inhærent.

R. 1mo. Eas quæ caſu extra oram calicis fluxêre, non conſecrari; quia id non intendit Miniſter, nec ſinè gravi piaculo intendere poſſet.

R.

R. 2do. Dubium eſſe inter Doctores, an quæ cuppæ interiori adhærent conſecrentur; quia dubium eſt an intendi debeat earum conſecratio; an ejus ſolùm materia quæ in calice ſit per modum continui. De hoc nobis pauca hæc ſtatuenda videntur, 1mo. curare debet Sacerdos, citra ſcrupulum tamen, ut quidquid à continuo diviſum eſt abſtergat: idemque ſervandum erga majores ſaltem hoſtias, quæ levi manu à particulis malè adhærentibus ſolvi debent; 2do. intendi poſſe videtur conſecratio guttæ omnis quæ ante communionem reliquo continuo acceſſura ſit per modum unius; 3tio. aut ſaltèm volendum id quod nos velle vult Chriſtus: cùm autem tunc dubium maneat an eæ particulæ in Chriſti ſanguinem convertantur, cavendum erit Miniſtro nè eas poſt conſecrationem abſtergat, quia fortè Chriſti ſanguinem abſtergeret. Eas igitur cum aliis ſpeciebus indubiè conſecratis ſumet parum ſollicitus de periculo frangendi jejunii naturalis, ſi fortè guttas minimè conſecratas priùs ſumat quàm ſanguinem: cùm in ejuſmodi circumſtantiis, humano modo, non in rigore methaphyſico agendum ſit, reverentiaque guttulis illis probabiliter conſecratis debita magìs conſideranda ſit, quàm ſollicitudo illa.

Quæres 5to. an & quo jure neceſſaria ſit utriuſque ſpeciei conſecratio. R. Eam haud neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, eſſe tamen neceſſariam neceſſitate præcepti divini, in quo Eccleſia diſpenſare non poſſit.

Prob. 1. pars, tùm ex praxi fidelium, qui ante calicis conſecrationem corpus Chriſti adorant; tùm quia verba practica ſtatim operantur ut prolata ſunt, niſi aliter conſtituerit Deus: atqui verba quibus conſecratur panis practica ſunt: neque eorum effectum à ſequentibus verbis Chriſtus pendere voluit.

Prob. 2. pars, quia ex Trid. Seſſ. 22. c. 1. Chriſtus per verba iſthæc: *Hoc facite in meam commemorationem*, id *ab Apoſtolis; eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus* fieri *præcepit* quod ipſe fecerat: ipſe autem ſub utraque ſpecie conſecravit. Sanè ea Eccleſiæ lex adeò urget, ut Sacerdos qui vini loco aquam ſumpſit, vinum reponere, offerre, conſecrare & ſumere jubeatur in Rubricis, quæ integritatis Sacramenti & ſacrificii legem legi jejunii anteponunt.

Prob. 3. pars. Quæ juris ſunt divini relaxari non poſſunt niſi id permiſerit Deus: atqui conſecratio utriuſque ſpeciei ità eſt divini juris ut nec Scriptura nec Traditio ullam hic diſpenſandi facultatem exhibeant, ergo.

Obj. 1mo. Poteſt & debet Sacerdos à conſecrando vino abſtinere, ſi poſt conſecrationem hoſtiæ, ipſum advertat venenatum eſſe, ſibive ob impendentem templi ruinam legitimè ti-

meat; ergo & fieri potest ut in aliquo casu Papa dispensare possit.

R. neg. conseq. ideo enim in assignatis casibus potest Minister mutilum efficere sacrificium, quia secluso religionis contemptu noluit Deus positivæ, ut id genus leges cum vitæ dispendio obligarent: at nullibi legitur voluisse, ut tale quid permitteret Ecclesia ob causas quæ aliarum dispensationum motiva esse solent.

Obj. 2do. Potest Ecclesia, ex Trid. Sess. 21. c. 2. *in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statuere vel mutare, quæ suscipientium utilitati magis expedire* judicaverit: atqui si unica consecraretur species, salva maneret Eucharistia; aliunde verò id moribundo quandoque expediret; ergo. R. dist. salva maneret Eucharistia in ratione Sacramenti, C. sacrificii, N. Porrò sacrificii integritas tantæ est considerationis, ut huic cedere debeat utilitas privata morientis, quæ minoribus aliquando causis cedit, ut in Gallia patet de iis qui ultimo afficiendi sunt supplicio.

Quæres 6to. utrùm aqua vino immixta convertatur in sanguinem. R. affirmat. 1mo. Quia ex Trid. non remanent nisi species vini post consecrationem: atqui falsum id esset si aqua non transubstantiaretur; 2do. Quia Christus universaliter & indistinctè dixit: *Hic est sanguis meus:* atqui propositionis hujus rigorosa veritas exigere videretur, ut sanguis esset quidquid erat in calice; 3tio. Quia id expresse docent Patres. Sic Hieron. in c. 14. Marci: *Format* Christus *sanguinem suum in calice vinô & aquâ mixtis, ut alio purgemur à vitiis, alio redimamur à pœnis:* atqui si maneret aqua, non formaret Christus sanguinem suum ex aqua & vino, sed ex vino solo.

Quæres 7mo. an aqua priùs in vinum convertatur, quam in sanguinem, R. negat. & dico aquam in sanguinem immediatè converti: 1mo. Quia Patres supra passim citati, ut certum quid docent ex *vino & aqua fieri sanguinem:* atqui hoc nec verè satis, nec ut certum docere possent, si aqua prius in vinum convertenda esset; tùm quia in hac hypothesi, non aqua, sed vinum solum fieret sanguis Christi; sicque non magis dici posset ex aqua factum sanguinem, quám dici possit * B. Prudentium in aqua consecrâsse, quia in vino ex aqua Sequanæ per miraculum inter S. Marcelli manus facto consecraverit, tùm quia à consecratione calicis facta seu per Christum, seu per eos qui SS. Jacobi & Basilii Liturgiam sequentes, aquam vino statim ante consecrationem admiscent, haud satis effluxit temporis ut tertia aquæ pars in vini substãtiam cõverteretur: quod hodieque contingit, cùm quis in ipso consecrationis articulo a-

* Offic. Paris. die 3. Nov.

quam miſcet, vel quia tempore Offertorii miſcere oblitus fuerit; vel quia in ipſa calicis ſumptione animadvertit porrectam ſibi in vini loco aquam; cui, denuo conſecraturus vinum cum aqua ſubſtituêre debet. Atqui tamen in his caſibus unanimis fidelium opinio pro conſecrato habet quidquid continetur in calice; neque unquam docuêre Patres rem aliquando eſſe, aliquando non; ergo deciſionem tam firmam ab incerta admodum aquæ in vinum converſionis opinione, non repetierunt, ſed à duplici hoc principio, videlicet & Chriſtum cum vino aquam fudiſſe in calicem, & de eo omni quod in calice contineretur, dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus.*

2do. Quia aquæ in vinum converſionem Phyſici, Chymici, Medici, nedum naturaliter poſſibilem fateantur, repugnare uno calculo contendunt. Docent ſcilicet elementa, quæcumque tandem eorum fiat in metallis, ſalibuſve aut liquoribus attritio, mixtio & reſolutio, nunquam in ſe ſe invicem tranſmutari. Et verò unumquodque ex iis conſtat, in quæ reſolvitur: atqui mixta quæcumque, ut vinum limphatum, in aquam & vinum reſolvuntur. Aqua enim, tametſi diu permixta vino, in eoque concocta & macerata, ab ipſo ſeparari poteſt, & reipſa ſeparatur: atque ad id ſolâ opus eſt junci medullâ, ſpongiave oleo delibuta, vel vaſe ex hedera confecto, cujus è poris aqua, vino ſolo remanente, quaſi ad oculum guttatim effluêre conſpicitur.

Obj. 1mo. Illud ſolùm in ſanguinem immediatè converti poteſt, quod eſt materia calicis: atqui ſolum vinum - - - Prob. min. ex Flor. ubi *materia calicis eſt vinum de vite.* Addit quidem, *cui aqua admiſceri debet*, at per hoc oſtendit aquam non eſſe materiam, ſed aliquid quod ad cæremoniam admiſcetur materiæ; alias materiam dixiſſet eſſe vinum & aquam, ſicut Confirmationis materiam dixit eſſe oleum & balſamum. Et verò Trid. expreſsè tradens materiam calicis, de vino tantùm loquitur, de aqua nè obiter quidem.

R. ad 1. diſt. min. vinum ſolum eſt calicis materia, quia in vino ſolo conſecrari validè poteſt, C. quia aqua non poteſt per ſe conſecrari cum vino, N.

Nec nocet id quod additur ex Flor. ſi enim non expreſsè aſſeruit aquam verti in ſanguinem, non etiam id negavit, imò nec potuiſſet negare, niſi contradicendo Patribus bene multis, qui ex aqua fieri ſanguinem aſſeruêre. Neque neceſſum fuit ut materiam calicis diceret *in recto* vinum eſſe & aquam; imò fuiſſet id nonnihil periculoſum; quia ſic reprobari credita eſſet quo ad ſubſtantiam conſecratio Armenorum, qui vinum hactenus aqua non temperaverant.

Ad

Ad 1. confirm. non ſiluit de aqua Tridentinum, quia hanc in ſanguinem immediatè verti non crediderit, ſed quia, omiſſis Scholaſticorum diſceptationibus, eam ſolùm materiam definire voluit, quæ & ſufficiens ſit & omnino neceſſaria.

Obj. 2do. Non poteſt Eccleſia facere materiam Sacramenti: atqui ſi aqua ſit cum vino materia calicis, fecit Eccleſia materiam Sacramenti. Chriſtus enim, juxta nos, nec aquam calicis materiam fecit, nec præcepit neceſſariò adhibendam; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Chriſtus enim pro conſecrationis materia inſtituit vinum uſuale: atqui vinum uſuale tam poteſt aquâ temperatum eſſe, quàm purum; ergo Chriſtus ipſe aquam fecit materiam calicis; materiam dico, non quæ eſſentialiter requiratur, ſed quæ verè conſecrari poſſit.

CAPUT QUARTUM.

De forma Euchariſtiæ.

PRima quæ hic obſervetur difficultas in eo eſt, an Chriſtus per verba: *Hoc eſt corpus meum*, &c. Euchariſtiam conſecravit. Negaverunt antiqui plures, quorum alii eum ſolo voluntatis nutu; alii ſola exteriori panis benedictione conſecrâſſe volunt: adeò ut formam quidem tradiderit, quâ conſecrarent Miniſtri ejus, ſed ſinè qua ipſe conſecraverit. Aliter paſſim cenſent Theologi; quia aliter ſenſiſſe videntur PP. Sic Tertull. L. 4. contra Marcion. *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo.* Chryſ. Homil. 2. in 2. Timoth. *Quemadmodum verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ Sacerdotes nunc quoquè pronuntiant, itâ & oblatio eadem eſt.* Ubi manifeſtè ſupponit S. Præſul, conſecrationem eodem ritu á Chriſto factam eſſe, quo nunc fit à Sacerdotibus: ac proinde *per verba quæ locutus eſt.* S. Joannes Damaſc. L. 4. de fide, c. 14. *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem, itâ dicendo: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.*

At, inquies, Chriſtus panem benedicendo nulla protulit verba, atqui Chriſtus panem benedicendo conſecravit; neque enim ſterilis & otioſa fuit benedictio ipſius: ergo Chriſtus non per verba, ſed per benedictionem ſolam conſecravit. R. neg. min. citati enim Patres Chriſtum per verba benedictione poſteriora conſecrâſſe docent. Neque ideo inanis fuit benedictio verbis prævia: hæc enim vel fuit indicium orationis, per quam

Christus Patris potentiam invocaverit, prout facere consueverat, quoties insignis cujusdam miraculi perpetrationem meditabatur; vel erat prævia panis & vini destinatio ad mox futuram Sacramenti conditionem; cujusmodi ea est, quæ aquæ impendi solet antequàm ad Baptismi usum assumatur: atqui neutro sensu sterilis esse potuit; sicut nec sterilis fuit oratio supra Lazarum fusa, etsi is per eam suscitatus non est, sed tantum per efficax istud mandatum: *Lazare, veni foras.*

Insistes: Verba rei jam præsentis assertoria, illam non producunt, sed supponunt productam: atqui Christi verba, *Hoc est*, &c. assertoria sunt corporis jam præsentis; ergo. R. dist. maj. verba assertoria speculativè, C. practicè, N. porrò Christi verba practicè assertoria fuisse liquet, tùm ex Patribus, qui panem in corpus Christi per ea conversum fuisse docent; tùm ex ipsa Sacramentorum constitutione, in quibus verba id quod significant operantur. Et certè hæc Christi verba, seu ad Regulum, Joan. 4. *Filius tuus vivit*, seu ad Paralyticum, Marci 2. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua*, dubio procul assertoria erant: atqui tamen utraque id fecerunt, quod enuntiabant; ergo à pari.

Quod objiciunt aliqui, Christum verè consecrâsse apud Emaus, cùm *accepit panem & benedixit, ac fregit*; nec ulla tamen protulisse verba; nullius est momenti, 1mo. quia Christus non sic verborum legi à se constitutæ alligatus erat, ut ab ea eximere se non posset. Potuit ergo quandoque cum verbis, quantoque autem sinè verbis consecrare; 2do. Quia multo probabilius est, Christum iisdem in consecrando apud Emaus pane usum esse verbis, quibus paulò ante in instituenda Eucharistia usus erat; id autem à Luca prætermissum fuisse, quia satis colligebatur ex iis quæ dixerat cap. 21. ubi fusè recensetur Sacramenti nostri institutio. Responsionem hanc insigniter confirmat id quod ibidem scribit Evangelista, nimirum apertos fuisse Discipulorum oculos *in fractione panis*. Enim verò si acceptum panem nulla proferendo verba benedixisset, fregisset, ac porrexisset, nihil præter solitum Judæorum morem egisset, nec proin seipsum manifestâsset Discipulis. His præmissis videndum jam quæ sit tùm panis, tùm vini consecrandi forma.

§. I. *De forma panis consecrandi.*

Duplex hic occurrit difficultas, altera quæ vini perinde ac panis consecrationem respicit; altera, quæ nonnisi ad panem spectat.

Ut intelligitur prima, revocandum est in mentem, apud Latinos ante verba hæc: *Qui pridie quàm pateretur*, &c. fundi à

Sa-

Sacerdote orationem hanc: *Ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui D. N. J. C.* Eandem hanc orationem, quam deinceps brevitatis causa designabimus *invocationis* nomine, aliis paulò verbis habent Orientales Ecclesiæ; at eam nonnisi post pronuntiata, satis longo anteà tempore, consecrationis, ut loqui consvevimus, verba, recitant: unde sequi videtur, institutionis verba ad consecrationem per se sola non sufficere. Et id reipsa docent Christoph. à Capite Fontium, Ambr. Catharinus, & præ cæteris R. P. Petrus le Brun, à Congreg. Oratorii; quem vividè sed & urbanè confutavit R. P. G. H. Bourgeant S. J. Opere cui titulus: *Réfution de la Dissertation du R. P. le Brun*, ubi & subindicat Brunii opinionem malè congruere fidei. Notam hanc durè tulit Brunius; unde opinionis suæ defensionem à Parisiensibus Doctoribus 37. quos inter primas tenet doctiss. Tournelyus, approbari curavit. Ab hac difficultate facilè se expediunt Calviniani plures, qui cum Bucero nullis ad consecrationem verbis opus esse contendunt; quia jusserit Dominus panem frangi & manducari, non autem super eum dici: *Hoc est corpus meum*; sed malè, ut statim patebit. Sit

CONCLUSIO I. Ad Eucharistiæ consecrationem certa verba requiruntur.

Prob. Quia ubique semper in Ecclesia retentum est, nec ab ullo institutum Concilio, ut certis verbis conficeretur Eucharistia. Unde Aug. L. 20. contra Faustum. c. 13. *Panis & calix certa consecratione mysticus fit nobis*, quatenus scilicet *accedit verbum ad elemenentum, & fit Sacramentum*, ut tradit idem S. Doctor. Concinunt cæteri Patres, quos passim in Operis decursu citavimus. Sic Gregorius Nyss. in Orat. Catech. *Panis statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est à Ver o: Hoc est corpus meum.* Sic Chrysost. suprà p. 362. &c.

At, inquies, nullibi scriptum est à Sacerdotibus pronuntianda esse verba ista: *Hoc est corpus meum*; ergo sufficit panem benedici & frangi. R. neg. ant. 1mo. enim istud Christi: *Hoc facite*, præcepit ut totam ejus actionem imitemur: atqui Christus non tantùm panem benedixit & fregit, sed & certa super ipsum verba pronuntiavit; ergo. 2do. verba hæc pronuntianda esse docent, semperque docuerunt in Liturgiis suis, in Conciliis item, & in Patrum Scriptis Ecclesiæ omnes. Quod autem ubique gentium pro necessario habitum est, quis in fide Buceri superfluum judicet?

CONCLUSIO II. Consecratio soli Christi verbis peragitur: unde invocatio haud necessaria est necessitate Sacramenti. Est contra Græcos, eorumque vindicem Brunium.

Prob. 1mo. Verba quibus consecravit Christus, ad conse-

crationem etiamnum ſufficere debent, niſi conſtet præcepiſſe Chriſtum, ut iis neceſſariò adderetur oratio invocativa: atqui & Chriſtus per ſola Evangelica verba conſecravit, ut cum Latinis penè omnibus fatentur ipſi paſſim Græci; & nullibi unquam præcepit ut verbis ſuis deinceps adderetur invocatio, multoque minus ut adderetur tanquam ad Sacramenti validitatem neceſſaria: ergo.

Prob. 2do. Verba Chriſti id efficiunt per ſe ſola, quod per ſe ſola plenè ſignificant; alioqui falſa eſſent: atqui verba Chriſti per ſe ſola plenè & apertè actualem corporis & ſanguinis præſentiam ſignificant; ergo eam per ſe ſola efficiunt. Porrò non efficerent præſentiam actualem in ſyſtemate Græcorum, ſed neceſſariò ſuſpenſam, donec prolata fuerit, quæ diu poſt profertur invocatio; ergo.

Prob. 3tio. Ex Patribus. Juſtinus Apolog. 2. docet confici *Euchariſtiam per preces ab ipſo Verbo Dei profectas*: atqui preces per quas orat Sacerdos ut *fiat*, vel *nobis fiat* Corpus Chriſti, humanæ ſunt & Eccleſiaſticæ, non autem ab ipſo Dei Verbo profectæ; præſertim autem in ſenſu Juſtini, qui per preces á Verbo Dei profectas, ea ibidem intelligit verba, quæ *Apoſtoli in Commentariis à ſe ſcriptis præcepiſſe ſibi Jeſum* tradiderunt; cùm *pane accepto* & actis gratiis dixit: *Hoc eſt corpus meum*, &c.

S. Irenæus L. 5. adv. hæreſ. c. 5. *Quando*, inquit, *& mixtus calix; & factus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti*: atqui nullum aliud in Euchariſtiæ confectione occurrit Dei verbum, quàm iſtud: *Hoc*, vel *Hic eſt*, &c.

S. Chryſ. Hom. de proditione Judæ: *Sacerdos dicit*, *Hoc eſt corpus meum*; *hoc verbo propoſita dona conſecrantur*: ſi *hoc verbo*; ergo non humana prece.

Prob. 4to ex iis quæ in Florent. Concilio geſta fuêre, quæque, quia ſummi ſunt in præſenti controverſia ponderis, paulò fuſius enucleanda ſunt. Itaque cùm id unum Eugenio IV. eſſet in votis, ut definita tandem proceſſione Spiritus S. à Filio, diſcuterentur, reſidua controverſiæ capita de Rom. Pontificis primatu, de purgatorio, de azymis, & de conſecrandæ Euchariſtiæ forma: interrogati deputati à Græcis Præſules, reſponderunt: *Nos Pater Sanctiſſime, nullam habemus reſpondendi facultatem*: *tamen ex nobis ipſis* propriam ſententiam *proferemus*. Hanc porrò circa præſens formæ conſecratoriæ caput ſic aperit Cariophilus: *De divino Sacrificio quæſitum eſt à Latinis, quomodo prolatis Chriſti verbis*: Accipite, &c. *& ſacris donis* PER HÆC VERBA *ſanctificatis, vos Græci, hanc poſtea* oratio-

orationem additis: Et fac panem hunc, &c. *porrò hoc ità diſſolutum eſt*: *Pateri nos diximus* PER HAEC *Chriſti* VERBA *tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri corpus Chriſti; ſed poſtea quemadmodum & ipſi* Latini *dicitis:* Jube hæc præferri per manus ſancti Angeli tui ad ſublime altare tuum, *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus ſanctus deſcendat* SUPER NOS, & efficiat IN NOBIS *panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, tranſmutetque ipſa Spiritu ſancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum.*

Erant hæc dubio procul quæ Latinis omnino ſatisfacerent; ſed quia præmonuerant Deputati, ſe ſuo tantùm, non autem aliorum Græciæ Præſulum nomine loquendi facultatem accepiſſe, inſtitit Eugenius apud Ruthenum, Nicænum & Mytilenenſem Epiſcopos, ut quò fieret *unio* SINE ULLO SCANDALO, *firma & ſtabilis*, explanarentur Articuli *de azymo, de purgatorio* - - - *de materiæ ſacramentalis conſecratione*; quod quidem diu, quo ad poſtrema duo capita, Græci renuerunt, quia verebantur, uti ſatis probabile eſt, nè ſi ſemel cum Latinis definiiſſent, conſecrationem ſolis Domini verbis peragi: Liturgias ſuas emendare rogarentur. Unde congregatis Epiſcopis ſuis Græcus Imperator Joannes Palæologus, de azymo quidem, de primatu Papæ, & de additione particulæ *Filioque* diſputari permiſit, ſed ità, ut de * *purgatorio, & conſecratione munerum nihil omnino diceretur.* Id ubi audierunt Latini ab Eugenio deputati ab imperatorem, *reſtiterunt dicentes*: *impoſſibile eſt uniri Eccleſiam, niſi hæ duæ controverſiæ addantur de Purgatorio & confectione ſacrificii.*

Annuit ægrè, ſed tandem annuit Imperator: unde in pleno Latinorum Græcorumque Conventu, Joannes de Turrecremata, exinde Cardinalis, celebrem hanc materiam pertractavit, non ut privatus Doctor, qui privatos ſuos ſenſus efferat, ſed ut Concilii Theologus, qui Papæ, Latinorumque omnium ſentententiam promat & declaret. Is itaque agitata azymorum quæſtione: ** *Venio*, inquit, *ad particulam, ubi tangitur forma conſecrationis* - - - - *Pauca dicam, quia* NEMINEM CREDO VIRUM SAPIENTEM, *qui non debeat ſuſcipere hæc verba plena fide*, nimirum per ipſa Chriſti verba confici Euchariſtiam. *Tangam authoritatem ad probandum, quòd* PER SOLA VERBA *Salvatoris conficiatur corpus Chriſti*, &c. *His dictis Papa his verbis uſus eſt: Audiviſtis quæ dicta ſunt ad complacentiam veſtram, vobis morem gerendo, non autem ut* [quaſi] *credamus vos omnes non ea tenere, ut nos, ſpecialiter in conſecratione corporis D. N. J. C. quod perficitur verbis Chriſti* - - - *Viri ſan-*

* *Cariophil.* * *Lab. T.* 13. *p.* 1143. *A.*

sanctissimi - - - - omnes tenuerunt, quòd SOLIS VERBIS Domini conficeretur - - - - Et ideo rogamus charitates vestras, ut hanc cedulam, (quâ quid de hac re tenendum sit, continetur) *placeat* vobis *acceptare.*

Biduo post, id est die 20. Junii rursus eadem mota est quæstio: tumque post multas hinc & inde disceptationes, *non puto,* ait Papa: * *quòd aliquis sit ITA PARUM INTELLIGENS, quòd credat: quòd possit confici corpus Christi aliter quàm per verba Salvatoris nostri. Rogo charitates vestras ut videatis has rationes, & velitis conferre cum Imperatore, & dare conclusionem huic sanctæ unioni.*

Die 26. Junii Papa, cùm tempus inutiliter teri videret, sex ex utraque parte deputatos convenire & de controversis capitibus disserere curavit. Hujus porrò colloquii exitum sic renuntiavit postridie Julianus Cardinalis sanctæ Sabinæ: ** *Fuit exorta alia difficultas, quæ quasi perturbavit totum opus - - - - Nam nuntiato Domino nostro* Eugenio, *quòd Græci in confectione Sacramenti certis aliis orationibus uterentur, visum est Sanctitati suæ, ut sciretur - - - - an tenerent illas orationes esse de substantia consecrationis, & confessi sunt auditis rationibus nostris, quòd semper tenuerunt quòd solis verbis Dominicis conficeretur, & quòd putarent ANATHEMA qui aliud crederet. Fuit institutum ut hoc poneretur in definitione; dixerunt, quòd hoc non erat necessarium, imò si poneretur, Ecclesia ipsorum reciperet confusionem.* Et infrà *dixerunt Græci: Ad hoc ut sitis certi de credulitate nostra, videatis Joannem Chrysostomum, qui hoc clarè ponit, & sumus parati PUBLICE CONFITERI, quòd nos tenemus, sicut vos, quòd in SOLIS verbis Dominicis conficitur.* Nihil deest isti Græcorum confessioni; eique multò minùs defuit, cùm *** *Imperator eligit decem primarios Archipræsules, cum quatuor crucigeris,* qui Græcorum sententiam in publica Sessione renuntiarent. Hi *Papam* invenerunt *sedentem cum Cardinalibus, circumfundente* eum *tota Synodo Latinorum - - - - ac ut primùm os aperuit Nicænus* Metropolita, exinde Cardinalis Bessarion, *Julianus* Cardinalis sanctæ Sabinæ *altè vociferavit: Pronotarie scribe.* Scripsit ergo Pronotarius *diligenter.* En porrò Nicæni verba, non prout à Syropulo mendaciter & contradictoriè, sed prout in Actis Concilii referuntur, Edit. Lab. pag. 1163.

Beatissime & sanctissime Pater - - - - quoniam ab omnibus SS. Doctoribus, maximè ab illo B. J. Chrysost. nos audivimus, verba Dominica esse quæ mutant & transsubstantiant panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem; & quod divina illa verba

* *Cariophil.* ** *Lab. T. 13. p, 1100. &c.* *** *Syrop.*

ba Salvatoris OMNEM VIRTUTEM *tranſubſtantiationis habent, de neceſſitate ipſum Doctorem, & eandem ſuam ſententiam ſequimur.*

Ex iis, quæ, quia á P. *le Brun* haud parum permixta & turbata fuerant, latius referenda duxi, ſic in forma diſputo, gravis ſanè judicata eſt cauſa, non autem mera Scholæ opinio, propter quàm penè corruit deſideratiſſima Latinorum cum Græcis unio; quæque ſemper eodem repoſita eſt ordine cum articulo de primatu R. Pontificis, atqui ob controverſiam de qua agimus, penè corruit unionis negotium; nec id demum abſolvi potuit, donec palàm & nitidè profeſſi ſint Orientales, conſecrationem ipſis Domini verbis confici; ergo.

Obj. 1mo. Ea opinio admitti non poteſt, cujus oppoſitam per 12. ſæcula unanimiter docuêre Patres: atqui opinionem aſſertioni noſtræ contrariam - - - - Prob. min. 1mo. ex S. Irenæo L. 4. c. 34. *Panis*, inquit, *percipiens invocationem Dei, eſt Euchariſtia*; 2do. ex S. Cyril. Hieroſ. Catech. 21. *Panis Euchariſtiæ poſt invocationem S. Spiritûs non eſt communis panis, ſed corpus Chriſti*; 3tio. ex S. Baſil. L. de Spir. S. c. 27. *Invocationis verba in confectione panis Euchariſtici, & benedictione calicis, quis Sanctorum nobis reliquit* ſcripto? *Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus aut Evangelium mentionem facit; ſed ante & poſt dicimus alia, velut magnam vim ad myſterium habentia, quæ & doctrina ſcripto non tradita accepimus.*

R. ad 1. neg. min. Nam quì fieri potuit ut Scholaſtici, qui certè Patrum Opera terebant, ut ex illorum Scriptis liquet, nullibi deprehenderint, id quod ubique deprehendit Brunius? quì factum eſt ut veræ fidei ſcientia nonniſi apud Græcos ſchiſmaticos, demptis Catholicis quibuſdam, ut Catharino, & Capite Frontio permanſerit? hæc profectò voratu difficilia ſunt.

Ad 2. Admiſſis textibus nego conſeq. & dico apud antiquos Patres per invocationem aut benedictionem nihil aliud penè ſemper intelligi, quàm ipſa Domini verba, quibus conficitur Sacramentum, etiamſi verba hæc nihil veræ orationis habeant. Sic Irenæus id quod ſemel vocat invocationem, alibi nec ſemel vocat *verbum Dei*; ſic Cyril. Hieroſ. Catech. 3. de Bapt. *Diſcendis quidem in aquam ferens peccata, ſed gratiæ* INVOCATIO *animam obſignans, non te permittit ab immani ſorberi dracone*: ubi vox *invocationis* exprimit Baptiſmi formam, quæ Græcis perinde ac Latinis abſoluta eſt; ſic Aug. L. 6. de Bapt. c. 20. *Quomodo exaudit homicidam* DEPRECANTEM, *vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam*: ubi deprecari ſuper aquam, eſt formam Baptiſmi proferre, &c.

Inst. Basilius invocationem prout ab Evangelicis verbis distinctam requirit, &c. R. dist. requirit ut quid valdè utile ad mysterium, idque non eodem sensu ac adversarii, C. ut ipsam consecrationis formam partialem, N. Fateor itaque preces ex quibus conficitur Liturgia, *vim magnam* habere ad mysterium; eæ enim ad sacrificii majestatem, Sacerdotis ac populi amorem inflammandum, ejusque utilitatem non parum conducunt. Imò, juxta non paucos, sunt conditiones sinè quibus non consecraret Sacerdos, quia noluit Christus elementa transmutari, nisi á Ministro debitè sacris operante; quique & suam Ecclesiæ intentionem certo ritu declararet. At nego in mente Basilii easdem preces habere se per modum formæ etiam partialis: 1mo. Quia, juxta Brunium, eæ duntaxat preces ad consecrationis substantiam pertinent apud Græcos, per quas, post prolata Christi verba, precatur Sacerdos ut dona fiant corpus & sanguis Christi; atqui non de his tantùm precibus loquitur S. Doctor, sed & de iis etiam quæ præcedunt: ergo. 2do. Quia preces illas, seu, ut loquitur Basilius, *Prolegomena,* & *Epilegomena,* comparat idem S. Pater cum aliis pluribus in Sacramentorum confectione adhiberi consuetis, qualia sunt baptismalis aquæ benedictio, unctio olei, quô ungitur baptisatus, exorcismi varii, crucis signum, aliaque id genus: atqui hæc licèt vim suam habeant, nec perperam adhibeantur, haud tamen essentialia sunt Baptismo; ergo à pari.

Obj. 2do. In iis verbis nōn cōsistit Eucharistiæ forma, quibus prolatis nondum facta est transubstantiatio: atqui prolatis à Sacerdote verbis: *Hoc est,* &c. Prob. min. ex omnibus Orientalium Liturgiis, quæ post prolata hæc verba, precem hanc fundunt: *Fac panem hunc, pretiosum corpus Christi.*

R. ad 1. neg. min. ad 2. R. 1mo. neg. conseq. non enim sufficit ut Orientalium Liturgiæ omnes id habeant, quod objicitur, nisi & id habeant Liturgiæ omnino omnes Catholicæ. Si enim desit vel uni invocatio, perspicuum est, eam non esse de necessitate Sacramenti: atqui constat invocationem in omnibus omnino Liturgiis non reperiri. Deest enim in pluribus Missis Liturgiæ Gallic. quæ per octo sæcula viguit. Quin sanciunt Missalium omnium Rubricæ, ut *si Sacerdos post consecrationem advertat,* hostiam esse corrumptam aut non triticeam, *etiam post illius sumptionem, posita alia, faciat oblationem ut supra, & à consecratione incipiat, scilicet ab his verbis: Qui pridie quàm pateretur:* atqui si ad consecrationem necessaria foret invocatio de qua loquimur, Sacerdos non ab his tantùm verbis: *Qui pridie,* &c. sed & ab istis saltem, *ut nobis corpus fiat & sanguis,* &c. incipere deberet; ergo.

R. 2do.

R. 2do. dist. ant. Liturgiæ Orientales postulant ut Deus ex pane faciat corpus Christi: faciat inquam, salutare suscipientibus, C. faciat absolutè & simpliciter, quasi necdum existeret, N. Namque 1mo. id saniores quique Græci in Flor. Synodo confessi sunt, ut vidimus; 2do. in Liturgia Æthiopica, statim ac prolata sunt verba Christi, etsi necdum prolata sit invocatio, exclamat populus: *Amen, amen, amen. Credimus & confitemur laudamus te, ô Domine, Deus noster, hoc est verum corpus tuum.*

CONCLUSIO. III. Solæ istæ voces: *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis panis.

Prob. 1mo. Ea verba consecrationis forma esse debent, quæ panis conversionem sufficienter significant, verè & operantur, quia practica sunt: atqui citata verba, &c.

Prob. 2do. Si verba practica haud sufficerent ad conversionem panis, vel requirerentur isthæc: *Qui pridie quàm pateretur*, vel vocula *enim*, vel demum hæc quæ reipsa à Christo pronuntiata sunt, *Accipite & manducate*, istave quæ Christi sermonem concludunt: *Quod pro vobis tradetur*: atqui ex his nulla sunt quæ ad substantiam formæ pertineant. Non hæc *Qui pridie*, &c. ea enim historicam tantùm rei à Christo gestæ narrationem continent, quæ & ab Ecclesia condita est, nullo momento probari potest essentialiter pertinere ad consecrationem. Non vocula, *enim*, quæ & ipsa quoquè ab Ecclesia addita est, deestque in pluribus Liturgiis. Non voces, *Accipite & manducate*, quæ Eucharistiæ usum spectant, non consecrationem. Non demùm istud, *Quæ pro vobis tradetnr*, ut jam suprà probavimus; ergo.

Obj. Ad valorem consecrationis necessum est ut Sacerdos loquatur in persona Christi: atqui omissis istis: Christus *pridie quàm pateretur*, Sacerdos in sua, non in Christi persona loquitur. Qui enim significat illud corpus quod in manibus gerit, suum esse, non alterius cujusvis, ille non sua, non in alterius persona loquitur: atqui Sacerdos, &c.

R. Fuisse qui propter momentum istud senserint cum Scoto, invalidam esse consecrationem, nisi Sacerdos per objecta verba, aut alia similia significet se loqui in persona Christi. Neque hi tamen eadem verba spectabant ut partem formæ, sed ut conditionem ejusdem formæ validitati prærequisitam; quo ferè modo intentio Sacerdotis ad Sacramentorum substantiam necessaria est. Opinio hæc non adeò dissona est, ut omni careat probabilitate. Oppositam tamen tueri solent Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 78. a. 1. Et verò statim ut proferuntur verba supra materiam à Christo institutam, & cum inten-

tione tùm ea proferendi ficut ea protulit Chriftus, tùm per ea efficiendi, id quod ipfe effecit, jam conftat illa non in Sacerdotis, fed in ipfius Chrifti perfona proferri.

§. II. *De forma confecrandi Calicis.*

Græci calicem confecrando his utuntur verbis: *Hic eft fanguis meus novi Teftamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiffionem peccatorum.* Paulò fufiùs loquuntur Latini, ut norunt omnes. Quæritur an legitimè. Sit

CONCLUSIO I. Verba: *Hic eft fanguis meus*, vel *Hic eft calix fanguinis mei* formam calicis adæquatè perficiunt.

Prob. 1mo. Si quæ præter adducta verba ad effentiam calicis pertinerent, vel hæc, *novi & æterni Teftamenti*; vel ifta, *Myfterium fidei*; vel demùm quæ fequuntur: *Qui pro vobis & pro multis*, &c. atqui ex his omnibus nulla funt, quæ ad effentiam confecrandi calicis pertineant. Validè enim confecrant Græci, & cæteri Orientales: neutri enim unquam à Latinis violatæ quo ad fubftantiam formæ incufati funt: atqui ex his alii omittunt: *Novi Teftamenti*; alii *Qui pro vobis effundetur*; omnes verò, *Myfterium fidei*. Ergo.

Prob. 2do. Si quid formæ calicis effentiale foret, maximè hæc verba: *Qui pro vobis effundetur*, quæ à Chrifto prolata funt: atqui verba hæc non magis confecrando calici neceffaria funt, quàm ifthæc confecrando pani: *Quod pro vobis datur*, quæ & à Chrifto non minùs pronuntiata fuêre.

Prob. 3tio. Verba facramentalia, utpotè practica, id ftatim efficiunt, quod fignificant: atqui fola verba: *Hic eft fanguis meus*, antecedenter ad ea quæ fequuntur, fignificant id quod præfens eft, effe fanguinem Chrifti; ergo id ante alia quæcumque verba efficiunt.

Obj. 1mo. Ecclefia in Rubricis præcipit, *ut fi vel unam ex his vocibus contigerit prætermitti, Sacerdos formam ex integro repetat*; ergo fentit nullam non effe neceffariam.

R. 1mo. Retorqueo argumentum: Ecclefia probat confecrationem factam ab Orientalibus, qui multas formæ Latinæ voces omittunt; ergo non credit fingulas ejufdem formæ voces effe de neceffitate Sacramenti.

R. 2do. neg. ant. Id enim folùm habent Rubricæ Rom. & Parif. *Si* Sacerdos *valdè probabiliter dubitat fe aliquid effentiale omififfe, iteret formam faltem fub tacita conditione. Si autem non funt de neceffitate Sacramenti: non refumat, fed procedat ulteriùs*: ubi non id omne quod habet forma, eft de neceffitate Sacramenti.

Obj.

Obj. 2do. Eucharistia, cùm sit sacrificium, non potest confici nisi verbis, quæ sacrificii rationem exprimant: atqui demptis verbis: *Qui pro vobis fundetur*, jam nihil est, quod sacrificii rationem exprimat. Siquidem ad sacrificium requiritur effusio sanguinis, quocumque tandem modo ea fiat: atqui sublatis prædictis vocibus, non exprimitur effusio sanguinis; ergo. R. ad 1. & 2. neg. min. tunc etiam sat exprimitur sanguinis effusio, cùm sanguis à corpore mysticè separatur: atqui statim ut corpus consecratur seorsim à sanguine, is ab illo per gladium verbi separatur, ut infra dicemus; ergo. Ut solvantur aliqua,

Quæres 1mo. Quid significent singulæ voces formæ,

R. 1mo. Per vocem, *Hoc*, & *Hic*, significari, non panem & vinum distinctè, aut utriusque accidentia, sed confusè aliquid accipiendum per modum cibi & potûs: ità sensus sit: *Hic cibus est corpus meum*; *Hic potus est sanguis meus*, in fine scilicet propositionis. Ratio est, quia etsi pronomina hæc non magis de se cibum & potum significant, quàm aliud quodcumque, ad ea tamen demonstranda determinantur, per hæc quæ præcedunt verba: *Comedite*, *Bibite*, &c. quod enim comeditur cibus est, & potus quod bibitur.

R. 2do. Verbum *Est* non tropicè intelligendum, sed propriè prout extremorum identitatem designat; de quo fusè suprà.

R. 3tio. Particulam *enim*, quæ præcedentia jungit cum sequentibus, hìc reponi ut causam quæ ad corporis & sanguinis Christi sumptionem moveat: perinde enim est ac si diceret: confidenter manducate, quia hoc est corpus meum.

R. 4to. *Corpus* eam hic organorum struem significat, ex qua consurgit pars altera compositi humani, ut sunt ossa, nervi, carnes; non tamen directè sanguis, qui cùm repræsentetur ut à corpore separatus per Passionem, nonnisi concomitanter sub specie panis reponitur.

R. 5to. *Sanguis*, eum exprimit humorem, qui vulgato sanguinis nomine intelligi solet. Parvi autem refert, an dicatur *sanguis*, vel *calix sanguinis*: est enim postremum id Metonymia, quâ continens pro contento usurpari consuevit. Sic vas aquæ effundi dicitur, cùm effunditur aqua vasis. Meritò tamen adhita vox calicis; tùm quia per hoc adumbratur Christi passio, calicis nomine non semel designata; tùm quia potus, qualis est fidelibus sanguis Christi, è calice seu vase hauriri debet.

R. 6to. Per *meum* & *meus*, ipsum Christi corpus, ipsum & sanguinem designari; proinque Sacerdotem non in propria, sed

ſed in ſolius Chriſti perſona loqui debere: unde nulla erit conſecratio, ſi dicat: *Hoc eſt corpus Chriſti*, quia tunc non Chriſti perſonam ſuſtineret, ſed ſuam duntaxat.

Quæres 2do. An forma conſecrationis panis, ſuum ante habeat effectum, quàm proferatur forma calicis. R. affirm. tùm quia corpus Chriſti ſtatim & ante prolata formæ calicis verba adoratur; tùm quia alioqui falſa eſſet forma, quæ ut præſens ſignificaret corpus, quod reipſa nondum præſens eſſet.

Quæres 3tio. Quomodo pronuntianda ſint verba conſecrationis. R. pronuntianda eſſe diſtinctè, reverenter continua ſerie, & modo naturali, ut fit in ſermone humano. Unde meritò redarguuntur, ſeu qui tanto niſu ſacra hæc verba efferunt, ut ſingulis adjungant capitis motum, & quamdam trepidationem; ſeu qui veriti ne non totum pronuntient, tanto halitu reddunt voces, ut pro *hoc*, dicant, *hocce*, pro *meum*, *meumme*, &c. Cogitent iſti, quæſo, an Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, caput eo modo qui vel invitis riſum excutiat, agitaverit; aut verba præter naturalem loquendi modum pronuntiaverit. At ſi ob ſcrupulum excuſari poſſunt Sacerdotes, qui in his delinquunt, quo tandem pacto excuſabuntur, qui dum loquuntur nomine Chriſti, haud majorem exhibent reverentiæ ſenſum, quàm ſi profanum quid recitarent.

Quæres 4to. Quid facto iis opus ſit, qui dubitant an ſingula verba pronuntiaverint.

R. 1mo. Vix prudenter dubitari poſſe an omiſſa ſint, quæ dubio procul omitti non ſolent conſecrationis verba; 2do. Si tamen contingat quempiam eſſe animi huc & illuc facilè peregrinantis ut ei eveniebat, qui à *Memento vivorum* ad *Memento mortuorum*, facilè avolabat, videndum erit, an prudens dubitet, num formam totam, aut eſſentiale quid omiſerit, an quid accidentale: tuncque ſequendum erit id, quod paulò antè ex Miſſalis Rubrica recitavimus. Ut ſolvatur difficultas ab initio propoſita. Sit

CONCLUSIO II. Forma, quâ utuntur Latini, prorſus legitima eſt.

Prob. Forma, quæ ex ipſis Chriſti verbis conſtat, paucis ex antiquo & pio Eccleſiæ uſu additis, non poteſt eſſe illegitima: atqui forma calicis, de qua una moveri quæſtio poteſt, 1mo. conſtat ex ipſis Chriſti verbis, ut ſtatim intelliget qui eam cum Evangeliſtarum & D. Pauli textu contulerit; 2do. Quæ pauca huic addita ſunt, ut *æterni Teſtamenti*, & *Myſterium fidei*, vel ſunt ex aliis Scripturæ locis, ut vox *æterni*, quam habet Paulus Hebr. 13. v. 20. vel ex antiquiſſima, adeòque pia traditione; ut voces *Myſterium fidei*, quæ in pervetu-

vetustis quibuscumque Sacramentariis, ne uno quidem dempto, reperiuntur, sicque non immeritò ad Apostolicam Traditionem referri possunt. Et verò cùm in Eucharistia reclament sensus omnes, quidni in ejus consecratione fidem invocet, fideique actum eliciat Sacramenti Minister?

CAPUT QUINTUM.

De Ministro Eucharistiæ.

Minister Eucharistiæ dicitur, qui corpus Christi conficere potest, vel dispensare. Prior consecrationis Minister est, posterior dispensationis. De utroque dicendum.

§. I. *De Ministro consecrationis.*

Multi circa Eucharistiæ Ministrum fuère errores. Ut enim omittam Collyridianos, qui ipsis mulieribus conficiendæ Eucharistiæ potestatem fecerunt; Valdenses qui Eucharistiam à malo Sacerdote consecrari posse negantes, eandem à laico bono ritè confici opinabantur: Lutherus nihil non mali evomere paratus, exertè docuit, Christianum quemlibet ex Baptismo potestatem habere consecrandi Eucharistiam; licèt id officii assumere nemo debeat, nisi qui legitimè vocatus sit, ob nimiam quæ sequeretur confusionem, si quilibet quælibet Sacramenta conficere vellet. Ab his opinionum portentis ità recessit Calvinus, ut in oppositum errorem lapsus sit; is enim non Eucharistiam modò, sed & Baptismum, si ab alio, quàm á publico Ministro conferatur, irritum esse voluit.

Longè aliud, ut illicò patebit, sentiunt Orthodoxi omnes: at disputant eorum aliqui, num olim Diaconi Eucharistiæ consecrandæ potestatem sibi arrogaverint. Unde duplex nobis in præsenti obversatur quæstio, juris altera, altera facti. Sit

Conclusio I. Soli Episcopi & Sacerdotes Eucharistiæ consecrandæ facultatem habent.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde sic: Ut ex iis verbis inferatur potestatem consecrandi solis competere Sacerdotibus, duo sufficiunt, 1mo. ut verba hæc consecrandi præceptum, adeòque & consecrandi potestatem contineant; 2do. Ut eadem verba ad solos Apostolos eorumque in Sacro ministerio successores dirigantur: atqui 1mo. citata verba præceptum, proinque & potestatem consecrandi importan; tum quia nulla alia assignari possunt, qui-

quibus detur & potestas & præceptum conficiendi Eucharistiam; tùm quia vel eadem verba præceptum dant consecrandi, vel præceptum duntaxat recipiendi Eucharistiam: atqui postremum hoc dici non potest. Hæc enim verba solus ex Evangelistis habet S. Lucas: atqui apud eum non referuntur ad actionem solam Eucharistiæ recipiendæ; cùm, providente Deo, non ante dixerit cum aliis: *Accipite & manducate*, sed solùm: *Accepit panem, benedixit, & dedit dicens: Hoc est corpus meum.*

2do. Eadem verba ad solos Apostolos, eorumque in Ministerio successores diriguntur, non ad baptisatos omnes: 1mo. Quia alioqui non tantùm possent, sed & vi præcepti tenerentur fideles omnes Eucharistiam conficere, ac distribuere; quod absurdissimum est, & ab ipsa hæreticorum praxi alienum; 2do. Quia prædictas Christi voces nostro hoc sensu universa semper intellexit Ecclesia. Unde

Prob. 2do. ex Patribus. Justinus Apolog. 2. hæc habet: *Qui fratribus præest - - - - offert Eucharistiam*, juxta illud Domini mandatum: *Hoc facite in mei recordationem*: atqui in ordinatissimis priorum Christianorum conventibus, non præerant fidelibus mulieres, aut Laici, sed Episcopi soli aut Sacerdotes; ergo & hi soli Eucharistiam offerebant.

Author Constit. Apostolic. Lib. 3. c. 10. *Sed nec laicis*, inquit, *permittimus quamlibet Sacerdotum functionem usurpare - - nec enim quisquam sumit sibi honorem. Nam per impositionem manuum Episcopi datur hæc dignitas.* Si *quælibet* Sacerdotum functio laicis interdicta est, quantò plus Eucharistiæ confectio, qua major nulla cogitari potest.

S. Epiphanius Epist. ad Joannem Jerosol. excusat se quòd in ejus Diœcesi, nimirum in S. Hieronymi Monasterio, Presbyterum ordinaverit, *nè multitudo sanctorum Fratrum ibidem degentium sacris privarentur mysteriis, cùm non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent*: atqui excusatio & ratio excusationis absurdæ fuissent, si Laico cuivis, potissimùm autem *SS. Fratribus* licitum fuisset in hoc necessitatis casu sacra conficere, ergo. Hinc S. Doctor hæres. 79. ubi Collyridianos impugnat, ostendit nè B. quidem Virgini, nec Diaconis datam fuisse sacra obeundi facultatem.

Prob. 3tio. ex Trid. Sess. 22. Can. 2. ubi sic: *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit*: atqui doctrinam hanc non tantùm ex Patribus modo adductis hauserant Tridentini Præsules, sed & a Synodo Florentina in Armenorum instructione, ubi *Sacerdos in persona*

Chri-

Christi loquens hoc Sacramentum conficere dicitur. Rursum verò id acceperant Doctores Florentini à Patribus Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. sic sancientibus: *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus.* His demum præluserant Nicæi Patres Can. 18. ubi Diaconos, qui Eucharistiæ Presbyteris ipsis dispensandæ jus sibi arrogaverunt, hac potissimùm ratione comprimunt, quòd *nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab iis qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant.*

Prob. 4to. Si saltem in casu necessitatis possent Laici Eucharistiam conficere, hanc indubiè ex generali Ecclesiæ assensu confecissent in carceribus suis Confessores, in eremis Solitarii, in Regionibus recèns conversis sæculares Apostoli, &c. atqui hujus agendi rationis nulla ubicumque exempla occurrunt, sed prorsus diversa; ergo pro certo tenendum Pseudoreformatorum opinionem antiquitati toti adversam esse.

Obj. 1mo. Iis omnibus competit facultas consecrandi, quibus dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*: atqui id Fidelibus universis dictum est in persona Apostolorum. Nihil enim habent verba hæc, quo cæteri fideles à consecratione magis excludantur, quàm ista: *Docete omnes gentes, baptisantes eos*, &c. habeant unde excludantur Laici à Baptismo saltem in casu necessitatis conferendo: atqui postrema hæc verba, etsi solis Apostolis dicta, nihil tamen habent, quo Diaconi, &c.

R. dist. min. Universis fidelibus dictum est, *Hoc facite*, dictum, inquam, quantùm ad aliquid, nimirum Eucharistiæ perceptionem, C. quantùm ad omnia, N. itaque agnoscunt nobiscum Adversarii in citatis Christi verbis non modò recipiendæ, sed & conficiendæ Eucharistiæ præceptum; alioqui nullam haberent in Scriptura suam Cœnam celebrandi præceptum: atqui præceptum illud, qua parte celebrationem spectat, ad fideles omnes extendi, nec probant nec probare possunt ex Scripturis; unde tamen sua omnia probare tenentur. Non extendi autem supra probavimus.

Ad 2. dist. maj. Nihil habent verba hæc, &c. præcisa à Traditione, & perpetuâ omnium mundi Ecclesiarum praxi, C. nihil habent intellecta prout ubique terrarum semper intellecta sunt à Catholicis, quorum testimonia produximus, N. Cur autem qui Baptismum ab ipsis etiam fæminis: imò ab infidelibus validè conferri voluit, Eucharistiam à solis Sacerdotibus confici voluerit, ratio præcipuè duplex, 1ma. quod longè major sit Baptismi necessitas, quàm Eucharistiæ; 2da. quòd confectio corporis Christi eam exigat sanctitatem, quæ cùm difficile in

Na-

Nazaræis Domino consecratis reperiatur, multò minùs in communi fidelium turba occurreret.

Inst. ex concessis, Sacerdotibus omnibus facta est à Christo consecrandi facultas: atqui fideles universi sunt Sacerdotes, juxta id I. Petri 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* & Apocal. 1. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo*; ergo.

R. dist. min. Sunt Sacerdotes impropriè & metaphoricè, C. verè & propriè N. Fideles cuncti eo sensu sunt Sacerdotes, quòd, ut ibid. ait Apostolus *offerre* debent *spirituales hostias*, id est, interprete cum cæteris Aug.* juge ac fervens orationis sacrificium: at non ideo verum hunc habent Sacerdotii gradum, qui ad obeunda sacra requiritur: 1mo. Quia eodem modo sunt Sacerdotes, quo reges: atqui nonnisi metaphoricè reges sunt, quatenus affectibus suis imperant; 2do. Quia alioqui & infantes, & fœminæ sacris operari possent; quod Luthero quidem, sed & sensato nemini in mentem venire possit.

Obj. 2do. Tertull. Lib. de Exhort. castitatis, secundas nuptias ipsis etiam Laicis interdictas esse probat, eò quia & ipsi Laici sint Sacerdotes; à Sacerdotio autem excludantur bigami: atqui hæc supponunt Laicos esse verè Sacerdotes. R. dist. min. Supponunt Laicos esse Sacerdotes latiori sensu, dispositivè, & quasi in actu primo, C. strictè, propriè & de facto, N. Ut intelligatur solutio, notandum: moris olim fuisse ut haberentur synaxes etiam sine Eucharistiæ celebratione, sive cùm aberat Sacerdos; sivè cùm etsi præsens Eucharistiam conficere non poterat, putà quia jejunus non esset, aut instaret periculum effusionis, ut in navi agitata, eæque Missæ *siccæ*, vel *nauticæ* dicebantur. Deficiente porrò Sacerdote, qui omnia non poterant fideles, id saltem quod poterant, pro pietate sua exequebantur. Legebant nimirum aliquid Scripturæ, fundebant preces, panem offerebant, qui Eucharistiæ loco singulis distribueretur in imaginem & supplementum communionis. Si ergo hujus generis sint oblatio & Sacerdotium de quibus loquitur Tertull. nihil utique à cætera Traditione diversum docet: atqui hunc non modo esse, sed & debere sic intelligi omnino constat, 1mo. quia vox *offerendi*, apud Tertull. ut & alios Scriptores, non semper consecrationem sonat, sed sæpius quamlibet panis oblationem: Sic in Lib. de Monogamia, c. 10. loquens de marito: *& offers*, inquit, *annuis diebus dormitionis ejus*: 2do. Quia sententiam suam ex eo probat Scripturæ loco, ubi Reges ac Sacerdotes dicuntur omnes Christiani: atqui non eo usque desipuit vir sapiens, ut Christianos omnes verè & propriè Reges crediderit; ergo nec eos verè & strictè Sacerdotes esse credidit.

* *Tom. 4. p. 1029.*

Inst.

Inst. Qui monogamiæ onus solis veris Sacerdotibus impositum, ad Laicos omnes extendit, is Laicos omnes pro veris Sacerdotibus habet: atqui Tertullianus, &c. R. neg. maj. non enim eò Tertull. Laicis imponit monogamiæ legem, quia eos actù & de facto pro veris Sacerdotibus habeat, sed quia vult ut sint dispositivè Sacerdotes, seu ut singuli idoneos se reddant, qui in veros Sacerdotes eligi possint. *Nisi*, inquit, *& Laici ea observent per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur.* Et verò si nemo non sit Sacerdos, quare alii dicuntur Laici, alii Sacerdotes? quare rursus tot verba, ut legi monogamiæ subjiciantur, cui, utpotè ex ipsa Baptismi ratione Sacerdotes; jam subjecti erant?

Obj. 3tio. Non is erat Levita Laurentius, qui jus sibi indebitum usurparet: atqui tamen consecrabat S. Laurentius. Sic enim ad S. Sixtum loquitur apud Ambrosium L. de Officiis c. 41. *Cui commisisti Dominici Sanguinis* CONSECRATIONEM, *huic tui sanguinis consortium negas*; ergo sanguinis consecratio Diaconis competebat.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. ant. commissa erat sancto Levitæ Dominici sanguinis consecratio, id est, sanguinis jam consecrati distributio, C. id est, actus ipse consecrandi, subdist. consecrandi cooperando per modum Ministri actioni Sacerdotis, C. verè & efficienter consecrando, N. Itaque consecratio non raro sumitur pro usu rei jam consecratæ: sic in ipso Missæ sacrificio, dum corporis consecrati particula immittitur in calicem, ait Sacerdos: *Hæc - - - - consecratio corporis & sanguinis*, &c. ergo consecrare dicitur, qui quoquo modo utitur consecratis; neque id dictum perperàm; quandoquidem, uti notat Card. Bona sanguis Christi dispensatus, est *consecratio & sanctificatio nostra, & fons atque essentia omnis sanctificationis.* Quanquam & alio sensu proprio, magis consecrant Diaconi, quatenus Sacerdotis actioni, tanquam primarii ejusdem ministri, per modum cujusdam, si ita loqui fas est, concelebrationis coöperantur.

CONCLUSIO II. Nullo certo antiquitatis monumento probari potest Diaconos sibi olim jus Eucharistiam consecrandi arrogâsse.

Prob. Hujus enim Diaconorum usurpationis si quid uspiam extet vestigii, maximè in Concilio Arelatensi I. ubi sic Can. 15. *De Diaconibus quos cognovimus multis* OFFERRE, *placuit minimè fieri debere*: atqui nihil hinc concludi potest. Vox enim, *offerre*, quæ scrupulum injicit, non semper significat *consecrare*, sed idem sæpissime est ac *ministrare, porrigere, distribuere*: quem sensum si habeat in prædicto Canone, eo quidem pro-

hibebitur Diaconis, nè jure quasi proprio, & citra Episcopi, aut Presbyteri licentiam, sacram synaxim distribuant, non autem nè consecrent: atqui per *offerendi* vocem, solam hic Eucharistiæ distributionem significari, multa sunt quæ persuadeant: 1mo. Enim hanc usurpationis speciem alia ejusdem temporis Concilia in Diaconis redarguerant, ut liquet ex Can. 18. Concilii Nicæni I. 2do. Eucharistiæ à Diaconis confectio, immane fuisset crimen: an verò crimen tantùm his duntaxat verbis repressisset Arelatensis Synodus: *Placuit minimè fieri debere.* Non credo, nec facilè crederet qui sanctam hujus temporis severitatem perspectam habuerit. 3tio.Can. 18. permittit Diaconis Urbicis, seu Urbis Romæ, ut id de Presbyterorum consensu faciant, quod cæteris Can. 15. prohibetur: atqui dubio procul non permisit Arelatense Concilium, ut accedente etiam Presbyteri licentia, Urbici Diaconi Eucharistiam conficerent; ergo de hac consecratione neutiquam agitur Canone 15.

Quæres an Neomystæ, seu novi Sacerdotes, cum Episcopo consecrent. R. negat. 1mo. Quia in vetustissimo pontificali præcipiebatur ut Neomystæ omnia dicerent cum Episcopo, *sicut si celebrarent*; ergo non celebrant de facto; 2do. Quia non nisi recitativè alia quædam Canonis verba pronuntiant, putà hæc. *Calicem salutaris accipiam*, &c. *sanguis Domini N. J. C.* &c. 3tio. Quia si formaliter consecrarent cum Episcopo, proinque consecrandi intensionem habere deberent, periculum esset nè eorum plurimi verba proferrent super materiam jam consecratam; cùm sit moraliter impossibile ut omnes formam simul absolvant. Imò periculum esset nè non sacrificaret Episcopus ipse ob inconsideratam aliquorum festinationem; 4to. Quia qui consecrat, debet per utriusque speciei sumptionem sacrificium perficere, idque, juxta non paucos, de jure divino; atqui Neomistæ solam panis speciem recipiunt apud nos.

§. II. *De Ministro Dispensationis.*

Circa legitimum dispensationis Eucharistiæ Ministrum, quæritur 1mo. quis ille sit; 2do. An egeat jurisdictione; 3tio. Quibus, tempore, loco & ritu communio distribuenda sit.

CONCLUSIO I. Episcopus & Presbyter soli sunt jure divino ordinarii Eucharistiæ dispensandæ Ministri.

Prob. 1mo. Quòd utrique sint ordinarii Ministri. Quibus enim concessa est Eucharistiæ conficiendæ facultas his eodem jure concessa est illius administrandæ licentia. Consecratio enim ad distributionem ordinatur; cùm dixerit Christus: *Accipite, & comedite: bibite ex hoc omnes:* atqui Apostolis, eorum-

rumque in Sacerdotio successoribus concessa est Eucharistiæ conficiendæ facultas, ex dictis.

Quod autem iidem & soli sint ordinarii communionis Ministri, patet 1mo. quia eos solos in persona Apostolorum alloquebatur Dominus, cùm diceret, *Hoc facite*, &c. quæ verba & consecrationem, & rei consecratæ usum complectuntur; 2do. Quia eò præcipuè tendunt hæc Apostoli verba, I. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut - - - - dispensatores Mysteriorum Dei*; 3tio. Quia ex Trid. Sess. 13. c. 8. *in Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent - - - qui mos tanquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.* Olim quidem Laici manu sua Eucharistiam ad os deferebant, at receptam de manu Sacerdotis. Unde sicut eleemosynæ minister est, non inops qui eam in pera reponit, sed qui eam erogat inopi; ità similiter in proposito.

CONCLUSIO II. Diaconi ex institutione sua, proindeque ex jure divino sunt Eucharistiæ dispensandæ Ministri, non tamen sinè commissione Episcopi vel sacerdotis: unde Ministri sunt extraordinarii.

Prob. 1. pars: Illi ex institutione sua, communionis dispensandæ ministri sunt, quibus id muneris ab initio Ecclesiæ tam in Oriente quàm in Occidente commissum est: atqui Diaconis - - - Prob. min. de Oriente ex Justino de Apol. 2. ubi sic: *Qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium ut participent eum in quo gratiæ sunt actæ, panem & vinum & aquam, & ad absentes perferunt.* De Occidente verò patet, tùm ex Cypriano Tract. de Lapsis; ubi ait Diaconum præsentibus calicem porrigere; tùm ex Concilio Aquisgranensi an. 816. c. 7. ubi hæc: *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat*, positis tamen ponendis. Unde

Prob. 2. pars, 1mo. ex Conc. Arelat. I. Can. 15. *Diaconus corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat*; 2do. ex Concilio Carthag. IV. Can. 38. * *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam - - - - populo, si necessitas cogat, jussus erroget.* Unde sic: Qui tantùm vel absente Sacerdote, vel eo quidem præsente, sed jussus ob necessitatem, sacram synaxim dispensare potest, is etsi ex institutione sua ad Eucharistiæ dispensationem deputari possit, non est tamen nisi extraordinarius ejus Minister: atqui Diaconus, etsi ex institutione sua, &c.

Obj. Quæ quis ex sola hominis deputatione facit, non facit ex

* *L. 2. Conc. p. 1203.*

ex jure divino: atqui ex concessis Diaconi nonnisi ex hominis commissione, &c.

R. neg. min. Nam indigent quidem Diaconi hominis deputatione: at ex jure divino habent, quòd deputationis hujus solemniter & non ità difficulter exercendæ capaces sint: unde non possunt Clerici inferiores eodem modo, & in iisdem circumstantiis deputari, sicut deputantur Diaconi.

Inst. Iis solùm jure divino Eucharistiam dispensare datum est, quibus dictum fuit: *Hoc facite*, &c. atqui non est illud dictum Diaconis.

R. neg. maj. Quemadmodum enim Diaconi, imò & Laici piè & licitè baptisant, etsi solis Apostolis dictum est: *Baptisate*, ità & Diaconi Eucharistiam licitè porrigunt, etsi unis Sacerdotibus dictum est: *Hoc facite.* Ratio est, quòd aliud sit præceptum & jus commune aliquid faciendi; aliud mera permissio in quibusdam casibus concessa. Porrò verba *Hoc facite*, sicut & *Baptisate*; præceptum & jus commune important; extraordinarios verò casus ut non includunt, sic nec excludunt: unde de iis judicandum est ex Ecclesiæ praxi & Traditione; atqui ex utraque certò colligitur Diaconus ex institutione divina certis in casibus ad Eucharistiæ distributionem deputari posse.

Hinc posset ac proinde teneretur hodieque Diaconus, absente, vel impotente Presbytero, viaticum ad periculosè ægrotantem, etiam Presbyterum deferre. Tunc porrò Diacono curandum erit, 1mo. ut si in certo vel dubio lethalis peccati statu versetur, ipsum sincera contritione diluere conetur; aliàs grave sacrilegium commissurus; 2do. Ut Diaconalem habitum gerat, superpelliceum scilicet cum stola transversa; 3tio. Ut vel pixidem offerat Sacerdoti, qui propria manu sumat Sacramentum, vel illud ipse ori ejus imponat. Utrumque enim ex æquo fieri posse videtur.

CONCLUSIO III. Nemo Clericus Diacono minor synaxim usquam in Ecclesia dispensavit: sæpe tamen Clericis minoribus, imò & Laicis tradita est ad alios deferenda.

Prob. 1. pars, quia nullum dispensationis hujus in antiquioribus monumentis exstat vestigium.

Prob 2. pars, de Clericis minoribus, ex facto * *S. Tharsicii Acolythi & Martyris, quem Sacramenta Domini deferentem Pagani cùm reperissent, cœperunt inquirere quid gereret:* eo autem fustibus mactato, *evoluto ejus corpore sacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore.*

Prob. 3. pars, ex facto pueri, qui à Sacerdote infirmo missus *Eucharistiam propria manu Serapionis ori admovit.* Theod. L.6. c.44

* *Martyrolog.*

CON-

Gonclusio IV. Moris olim fuit ut Laici Eucharistiam reciperent manu, sibique tùm in Ecclesia, tùm privatim impertirent. Verùm id, jam illicitum est in quocumque casu, nisi accedat Pontificia dispensatio.

Prob. 1. pars, ex S. Basilio Epist. ad Cæsariam, ubi sic: *Sacerdos particulam tradit - - - is* autem *qui accepit, ori admovet propria manu.* Id tamen viros inter & mulieres erat discriminis, quòd viri nuda manu, mulieres autem *nitido linteolo*, quod * *Dominicale* dicebatur, Eucharistiam reciperent.

Prob. 2. pars ex universæ jam Ecclesiæ Occidentalis praxi. Apud Græcos verò *populus non ut olim* Eucharistiam *in manus accipit; neque defert ampliùs domum, sed Monachi tantùm idque in itineribus longioribus* ità Arcud. L 3. c. 59.

Prob. 3. pars, quia nequidem minoribus Clericis hodie licitum est vasa sacra contingere; quanto igitur minus corpus Christi?

Prob. 4. pars, quia prohibitio, qua authoritate constituta est, eadem potest auferri. Hinc indulsit Pius V. Mariæ Stuartiæ Scotorum Reginæ, in vinculis ab Elisabetha Anglorum Regina detentæ, ut apud se Eucharistiam servaret, eamque sibi propria manu subministraret.

Quæres 1mo. An possit quis aliquando sibi Eucharistiam administrare.

R. 1mo. cum Trid. Sess. 13, Can. 10. *Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti se ipsum communicare, anathema sit.*

R. 2do. Nè Sacerdos quidem id potest extra Missam, si alterius Sacerdotis copiam habeat; quia cùm Laicorum more communicet, debet eorum morem sequi, aliàs graviter peccaturus.

R. 3tio. Posse & debere Sacerdotem extra Missam in casu periculosæ ægritudinis, ac per modum Viatici sibi ipsi communionem impendere: idque etiamsi præsens sit Diaconus. Quin & censent viri graves, idem extra necessitatis casum, putà diebus solemnioribus, licitum esse Sacerdoti, modò absit scandalum: 1mo. Quia id ipsis olim Diaconibus concessum fuerit à Concilio Nicæno I. Can. 14. 2do. Quia non extat jus in contrarium; 3tio. Quia non adeò rigorosa est Ecclesiæ consuetudo, ut Sacerdotes, qui aliàs potestatem habent in corpus Christi, prædictis in circumstantiis liget.

R. 4to. Quod de Sacerdote pro casu necessitatis, idem de Diacono probabiliter dicendum, 1mo. ob citatam Nicæni legem, quæ in his saltèm rerum angustiis prodesse debet; 2do. Quia si potest Diaconus moribundo alii viaticum præbere, quidni & sibi; 3tio. Quia id nullo, quod sciam, jure prohibitum

* *August.*

tum est. Aliud est de Laicis, uti communiter tradunt Doctores.

Quæres 2do. An ad Eucharistiæ dispensationem requiratur jurisdictio, & quibus ea competat.

R. ad 1. affirmat. Quia Pastorum est oves suas pascere: porrò inter actus spiritualiter pascendi, primas tenet Eucharistiæ dispensatio.

R. ad 2. Jurisdictionem sufficientem competere 1mo. Sacerdoti omni, qui ad sacrum faciendum in aliqua Ecclesia admittitur, nisi Ecclesiæ Rector expressè contradicat: quod extra Paschalem quindenam perrarum est. Certè optat Trid. Sess. 22. c. 6. *ut in singulis Missis Fideles adstantes Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione* communicent; 2do. Cùm ex privilegio in quibusdam Oratoriis conservatur Eucharistia, ibidem distribui potest fidelibus, etiam extra Missæ sacrificium; ad hoc enim præcipuè conservari permittitur. Haud tamen semper etiam intra sacrificii actionem exhiberi potest communio in Sacellis privatis; aut si quibusdam, putà infirmo Domino impendi potest, non ideo potest cæteris: qua de re sedulò interrogare debet Sacerdos omnis, qui prima vice celebrat in hujusmodi Capellis; nè, quod in Burdigalensi territorio accidisse didici, & Capellam interdicto, & semetipsum suspensionis ac irregularitatis periculo exponat. Quanquam hîc excusare potest bona fides: neque verò vir sapiens semper id omne attendit, quod attendi deberet; 3tio. Regulares, etsi per Clementinam 1. *De privileg. speciali Paræcialis Presbyteri licentia* indigent, ut alienis ovibus sacram synaxim præbeant, posterioribus tamen Julii II. Pauli III. & Pauli IV. privilegiis consecuti sunt, ut *omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ - - - quibusvis personis licitè ministrare possint.*

Circa illud Pauli IV. privilegium, quædam notanda, 1mo. in eo quidem non excipi Viaticum; at excipi tamen, tùm expressâ consuetudine & communi etiam Regularium sensu; tùm ex scopo Pontificis, qui id unum intendens ut Parochos cum Regularibus conciliaret, non utique intendit Viatici ad ægrotos deferendi curam, quâ in Pastorali ministerio major nulla fingi potest, Parochis adimere contra expressam Pauli III. legem; unde etiamnum excommunicationem citatâ Clementinam incurrerent Religiosi Viaticum administrantes, * *nisi fortè abessent, aut* injuste prorsus *renuerent illi quorum interest ministrare*; 2do. infantes juxta disciplinam quæ ubique viget, nullibi prima vice ad sacram Mensam admittendos esse sinè proprii Parochi judicio & consensu, quot enim rudes & imparati

* *Habert.*

admit-

admitterentur, cùm experientia constet, plebeios eò solùm ad Catecheseon frequentationem, moresque cautiùs instituendos compelli, quòd nôrint se alioqui à prima communione exclusum iri; 3tio. Eos qui præscripto tempore annuæ communionis legem non impleverint, si ad extraneum in anni decursu accedant, semper ad Parochum esse remittendos; quia urget semper lex tota, proinque legis modus; 4to. Vagos & advenas, ut extrema vitæ Sacramenta, sic & Paschalem Eucharistiam non apud Regulares, sed in ea quam sortiti sunt Parochia recipere debere.

Quæres 3tio. Quo tempore dari possit communio.

R. Si excipiatur tempus interdicti, posse communionem quocumque tempore etiam sanis distribui: quia etsi sacrificii confectio certis horis alligata est, prout infrà dicetur, nòn tamen communionis distributio. Invaluit tamen usus, ut, nec ipsâ Parasceves die, nec diebus cæteris post meridiem præbeatur bene valentibus Eucharistia, extra certos insolitarum solemnitatum casus, in quibus libenter indulget Episcoporum pietas; ut ab usu communi recedatur.

Quæres 4to. Quo loco & ritu danda sit communio.

R. ad 1. Eucharistiam sanis nonnisi in loco per Episcopum approbato, quales sunt Ecclesia, Oratorium, Capellæ plures, conferri debere; infirmis verò ubicumque reperiuntur, si urgeat necessitas, nec ad honestiorem locum transferri queant. Ea enim est Christi benignitas ut aliqualem honoris sibi extrinsecùs debiti jacturam subire malit, quàm languenti Christiano deesse.

R. ad 2. vel communio datur intra Missarum solemnia, vel extra. Si primum, quod utique magìs decet, nisi communicantium multitudo cæteris longiorem moram afferre debeat Sacerdos *post sumptionem sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pixide, vel, si pauci sint communicandi, super patenam, nisi à principio positæ fuerint in pixide, seu alio calice*, tùm prosequatur dicendo, *Domine, non sum dignus*, etiam pro solis feminis, incipiendo à cornu Epistolæ, nullam dando benedictionem, *etiamsi Missa sit pro defunctis, quamvis in fine Missæ non detur:* quæ Quarti verba supponunt in ipsis defunctorum Missis communionem dari posse*; quod & pluribus probat Merati part. 2. tit. 10. n. 28. contra Gavantum.

Si communio extra Missam detur, vel sanis in Ecclesia, vel intra domum infirmis, seu in urbe, seu ruri. Primum nihil difficultatis habet. Secundum hæc requirit, 1mo. Ut Sacerdos Albâ vel superpelliceô cum stola indutus, nudo capite, nisi se-

* *Quarti p. 2. tit. 10.*

cum justa ex causa dispensatum sit, præviis facibûs, cereisve aut saltèm lucerna, si ventus afflet vehementior, Psalmos aut preces Rituali præscriptas recitet; 2do. Ut si fieri potest nusquam gerat Christi corpus, nisi sub umbella, præcedente tintinnabulo, quo Creatorem suum adorare moneantur Fideles; 3tio. Ut duplicem ad minus hostiam ferat, nè suus redeunti Domino cultus desit; 4to. Ut ante curaverit, ægroti cubiculum decenter mundari, instructâ mundô linteô mensâ, cum binis saltèm candelabris & cruxifixi imagine; 5to. Ut infirmi ædem ingressus, exploret an sibi sit animo præsens, annon subsit tussis vomitûsve periculum; itèm amicè interroget, utrum remordeat alicujus peccati conscientia.

Si Viaticum per difficiles vias in pagis deferendum sit, debet Minister pedibus gradiens in bursa collo appensa pixidem, qua una tantûm hostia contineatur, gestare; nè quà, si fortè ceciderit, fiat injuria Sacramento. Nemo autem ministerium istud equitando implere debet, nisi aut aliàs inaccessa sit infirmi domus, aut hunc equi usum justa de causa permiserit Ordinarius. Ne sacras species emovi contigat, modico vino, aut alio liquore juvanda est earum trajectio. Si tamen evomantur, tunc vel satis alterata sunt, ut jam desierit Christus sub iis esse sacramentaliter, vel non. In utroque casu sedulò colligendum est quidquid ejectum fuerit, id est, species cum iis quæ speciebus cohærent. In priori casu, quando vel jam non apparent species, vel prudenter judicantur corruptæ, comburi debet vomitus & * *cineres in sacrarium* mitti: in posteriori autem, vel integræ species *reverenter sumantur, nisi nausea fiat: vel cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & posteà in sacrarium projiciantur.* Neque enim citra sacrilegium species, quandiu sunt integræ, flammis tradi possunt.

Hic quatuor notanda, 1mo. cautè arcendos à communione, de quibus ob frequentem tussim, vel vomitus periculum, vereri est nè quid specierum ejiciant: Alioqui & communicans; & communionis Minister, gravis sacrilegii reos se faciunt, ob gravem quæ inde probabiliter sequi potest irreverentiam: 2do. In uno tantùm casu licere ei, qui à sacra mensa recens est, vomitum ciere, nempe cùm detegit receptas à se species veneno, aliasve simili tabe esse infectas; tunc enim integræ licèt, eo quo possent reverentiori modo expuendæ forent**; ubi animadverte, ea quæ fulmine tacta sunt, prout an. 1749. evenit calici consecrato, venenata censeri; 3tio. Sacerdotem, qui trajectas in stomachum species evomit, nec teneri, nec posse novam

* *Rubr. p. 3. tit. 10. n. 14.* ** *Gawart. ibid. n. 7.*

vam novæ sumptioni materiam consecrare; Tùm quia sacrificium & quo ad substantiam, & quo ad effectum gratiæ, per ipsam trajectionem omnino completum est; Tùm quia vel contingit vomitus, postquam Sacerdos ab altari recessit, vel antè. Si 1. nova ejus consecratio cum priori non conjungeretur ad integrandum unum idemque sacrificium, sed esset actio prorsus distincta: bis porrò eadem die offerri sacrificium non potest. Si 2. recurrit idem vomitus periculum, quia moraliter perseverat eadem indispositio; ergo cum denuò sumi non possit nec denuò consecrari potest Hostia; 4to. Quod diximus de ritu erga evomitus species servando, id dicendum in casu quod vel putruerint, vel ex iis generentur vermes: quod enim ex iis manet integrum, vel reverenter servari debet, donec prorsus alteretur, vel à Sacerdote consumi: cætera verò comburi, ut diximus.

Quæres 5to. Quoties Eucharistiam ministrare teneatur Parochus, & an peste correptis.

R. ad 1. Pastorem Eucharistiam Parochianis debere, quoties eam rationabiliter postulant, solius etiam devotionis causa. Id enim, si quo ad materialem cibum debet proli suæ terrenus pater, debet & pater spiritualis, quo ad eum cibum unde anima spiritualiter crescere possit. Quòd si petant frequentiùs quàm ferat eorum conditio, vel quo tempore Parochus morbo, aliisve justis impedimentis detinetur, poterit is liberam communionem differre; sagaciter tamen & honestè, nè retrahat à Sacramentis.

R. ad 2. constat 1mo. non posse sinè gravi peccato Parochum ab ovibus suis pestis tempore recedere, utì probavimus Tom. I.

Constat 2do. eundem infantibus, vel peste infectis, vel proximè inficiendis, etiam cum certo vitæ periculo Baptismum largiri debere; quod & in ejus defectu præstare tenentur Laici.

3tio. & id etiam moraliter constat, Parochum Pœnitentiam debere non iis tantùm, qui in extrema spirituali necessitate versantur, quales sunt qui fidei mysteria & Pœnitentiæ partes ignorant; sed & iis qui in gravi tantùm necessitate constituti sunt, putà eruditi fatis ut juvante gratia perfectæ contritionis actum elicere possint. Ratio ex parte parochi est, quòd utpotè stipendio conductus, plus ovibus suis debet, quàm extranei, qui tamen in extremæ necessitatis casu temporalem vitam pro spirituali fratrum salute exponere tenentur. Ex parte verò Parochianorum, quòd multi defectu perfectæ contritionis, quæ & in se habitu difficilis est, & plerumque in infirmitatis statu

difficilior, perirent ex iis etiam qui probæ conscientiæ judicantur, & è quibus plures reperias, qui celata hactenus turpia quædam nonnisi instante fato aperiant. Adde quòd necessitas quæ respectu unius alteriusve personæ gravis supponitur, meritò dicatur extrema respectu totius Communitatis; neque enim fieri moraliter potest, quin multi æternum pereant, si tota aliqua multitudo tempore pestis Sacramento Pœnitentiæ destituatur. Nec dubium quin officii hujus prætermissio populum totum graviter offenderet. Unde colliges teneri extraneos Sacerdotes id in præsenti casu exequi, quod à Parocho malè & sacrilegè neglectum fuerit.

Tota igitur quæstio est an Parochus Viaticum pestiferis, per se, si per Vicarium aut alios non possit, ministrare teneatur. Ad id autem, respondeo cum Sylvio Supplem. q. 32. a. 3. *Securior & verisimilior est sententia, Parochum sub mortali peccato teneri administrare Eucharistiam suis parochianis, peste vel alio morbo contagioso infectis, etiam cum propriæ suæ vitæ periculo, nisi per aliquem alium id fiat, & nisi occurrant quædam circumstantiæ propter quas meritò possit excusari.* Ut 1mo. *Si aliqui infirmi essent absque confessione morituri, casu quo Parochus, velit aliis ministrare Viaticum*; quia nemo Parochum pestiferos invisentem apud se admittere volet; 2do. *si periculum vitæ sit valde magnum in Parocho, & necessitas valde parva aut nulla in ægroto, quia paulò ante communicavit, & Pastor moraliter certo novit conscientiam illius esse bonam, utpotè qui sit pius, prudens, doctus & de salute sua sollicitus*; 3tio. *rursum si & grave sit Parocho periculum, & ejus mors futura sit magna populi desolatio & jactura, sicut si ipse solus sit, nec citò, nec facile habendus sit alius qui pestiferis succurrat.* In hoc postremo casu, qui Algerii, aut Tuneti multò faciliùs, quàm in Gallia evenire possit, dubitarem an non ab administratione Viatici abstinere deberet Parochus.

Ei porrò qui peste affectis Pœnitentiæ aut Eucharistiæ Sacramenta ministrat, monita hæc dabat S. Carolus Bor. in Concilio Mediol. V. part. 2. tit. 15. nempe ut eorum *confessionem loco audiat qui aliquantulum à lecto distet: cùm verò sinè magno* ægroti *incommodo id fieri potest, curet ut ad fenestram, aut ostium, aut in porticum, vestibulumve; aut ad impluvium aliumve locum apertum accedat, ut illum confitentem audiat, ut* sic *cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri solet.* Addit Sylvius, cavendum nè Sacerdos statuat se inter ignem & infirmum, utique quia ignis halitum attrahit.

Pergit ibid. S. Carolus, *Eadem cautione* utendum *in SS. Eu-*

Eucharistiæ ministratione - - - - ut dum Sacerdos intra septa curationis publicæ, aut pestiferi domum est, vestes contractiores, aut ita succinctas, quæ infra genua vix protendant, adhibeat -- Sacræ Hostiæ particulam unam, aut plures quæ ad communicantium usum satis erunt, ferre poterit, nec verò aliam præterea, quæ de more reportetur, dum ad Ecclesiam, Capellamve redit.

Cæterum in Gallia & in Belgio nec Eucharistia, nec morientium unctio cruda & immediata manu prædictis in casibus conferuntur. Alii porrò Hostiam chartæ vel linteolo imponunt, unde ab infirmo possit manu apprehendi juxta antiquum Ecclesiæ morem, quod saltèm erga Sacerdotes lue infectos servari possit. Alii longo utuntur Cochleari, saltèm stanneo, quod & factitant Græci; alii Hostiam duas inter formulas haud consecratas, & leviter madefactas includunt, sicque ab ægro, vel ab alio qui totum ægro porrecturus sit, apprehendi curant.

Quæres 6to. Quid facto opus sit, si in mulieris sinum decidat Hostia. R. ex sapienti S. Thomæ * principio: *Ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quòd minùs habet de periculo*: porrò minus est periculi & indecentiæ, ut fœmina per se solam malo huic medeatur. Unde videat 1mo. An non formulam, aut majorem ejus particulam ex vestibus immittere possit in corporale quod super scabellum aut mensam in loco secreto expandatur 2do. An non saltèm eandem ope purificatorii mundi extrahere possit; 3tio. si major requiratur diligentia, quàm in Ecclésia fieri non deceat, recipiat se mulier in domum suam, vel vicinæ alicujus, & inventum fragmentum vel sumat, si haud nimiò turbata sit, vel servet reverenter, ut à Sacerdote secretò ad Ecclesiam deportetur. Ipsa verò, si sacrum tetigit digitis, manum abluat, & lotio in piscinam projiciatur, quia id generaliter præscriptum est in Rubrica.

Si dum Monialibus distribuitur communio, cadat Hostia intra clausuram, censet Quarti, præcipiendum alicui ex Monialibus, ut Hostiam reverenter cum fragmentis, si quæ deciderant, super patenâ elevet, seu mediante palla, vel etiam charta munda, seu si aliter non potest, ipsâ manu, & per eandem fenestellam porrigat Sacerdoti. Addit idem locum signari debere, nè conteratur pedibus; & facta communione radi pavimentum, & in sacrarii piscinam projici.

Quæres 7mo. An liceat vel hostiam grandiorem alicui tradere, vel plures simul formulas. R. id prohibitum esse Decreto S. Congregationis, die Febr. 12. an. 1679. Si tamen è consecratis in altari minoribus aliquæ supersint, satis receptum est,

* *3. p. q. 83. a. 6.*

eſt, ut uni duæ ſimul tribuantur; quod & aliquando fit in pagis, cùm advocati è gemina Parochia Sacerdotes eandem domum unà ingrediuntur: prætertim cùm ob Eccleſiarum diſtantiam, & aſperitatem locorum non niſi ægrè poteſt Sacramentum reportari.

Quæres 8vo. An poſſit Sacerdos Laico communionem petenti, partem hoſtiæ ſuæ dare.

R. id ſinè cauſa non poſſe fieri citra culpam venialem, utpotè Eccleſiæ conſuetudine adverſum. Secùs, ſi juſta ſubſit à trito itinere recedendi cauſa, putà *ad communicandum infirmum, vel etiam perſonam gravem & nobilem, quæ ægrè poſſet diutius expectare*, aut famulos qui conſueto ſervitio deerunt, &c. Sed audivi, reprobatam non ità pridem à ſacra Congregatione ſciſſionem majoris hoſtiæ in gratiam Laicorum: quod ad infirmos extendi non credo.

Quæres 9no. an lethaliter peccet qui lethalis peccati conſcius Euchariſtiam miniſtrat. R. eum qui deficiente Confeſſario non ſatagit pro virili actum contritionis elicere, graviter reum fieri, 1mo. quia ſancta ſanctè non tractat; 2do. Quia ità docent ſaniores Theologi.

Quæres 10mo. an delinquat, qui allatas poſt majoris formulæ oblationem, formulas, ſola mentali earumdem oblatione cõtentus, conſecrat. Aſſerit Paſſerini, qui oblationis vocalis omiſſionem, utpotè contra Rubricas & Pii V. præceptum, à mortali excuſari nõ poſſe cenſet. Aliter ſentiunt Theologi penè omnes, è quibus non pauci, quos ſequi nolim, cauſam minimè gravem requirunt. Certè monet Rubrica, ut *ſi Celebrans ante conſecrationem adverterit Hoſtiam eſſe corruptam, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltèm mente concepta, proſequatur*; ergo non ità urget oblationis vocalis præceptum, ut nulla de cauſa omitti queat. Tutum igitur videri poſſit id quod approbat Merati p. 2. tit. 7. n. 3. eum nempe qui levi de cauſa, putà propter ſolam commoditatem illius qui communicare vult, formulas mentaliter offert ante Canonem, peccare ſolùm venialiter.

CAPUT SEXTUM.

De ſubjecto Euchariſtiæ.

EXpendam 1mo. qui capaces ſint Euchariſtiæ; 2do. Quæ ad ejus receptionem requirantur diſpoſitiones ex parte corporis; 3tio. Quæ ex parte animæ; 4to. Quantum peccet qui iiſce conditionibus deeſt.

§. I.

§. I. *Qui capaces sint Eucharistiæ recipiendæ.*

Constat 1mo. neminem esse qui Eucharistiæ materialiter recipiendæ capax non sit; cùm Ea vel in animalis stomacho recondi possit.

Constat 2do. omnem & solum hominem baptisatum ac viatorem, ejusdem sacramentaliter recipiendæ, non tamen semper cum fructu, capacem esse.

Tota igitur difficultas est, an Hæc dari debeat, 1mo. infantibus, 2do. energumenis, 3tio. surdis & mutis à nativitate, 4to. amentibus & semifatuis, 5to. peccatoribus occultis vel publicis, &c. Sit.

CONCLUSIO I. Dari absolutè potest infantibus Eucharistia: nè autem hodieque detur, obstat præsens & sagax Ecclesiæ disciplina.

Prob. 1. pars: Quod prioribus Ecclesiæ sæculis, & à sanctioribusEpiscopis factum est, etiamnum potest absolutè fieri: atqui olim in more fuit, ut infantibus porrigeretur Eucharistia, prout liquet ex S. Cypriano Tract. de Lapsis, ubi memorabilem refert eventum lactentis puellulæ, quæ vino idolis oblato potata, oblatam sibi sacri vini speciem, toto corpusculo violenter commota, omni nisu respuit, ingestamque reluctanti mox evomuit, &c.

Et verò infantes & Sacramenti capaces sunt, utpotè per Baptismum verè justificati. Quod autem exigit Apostolus I. Cor. 11. ut quis, nè indigne sumat, dijudicet corpus Domini, non cadit in parvulos; qui sicut in Ecclesiæ fide baptisantur, licèt dictum sit: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit.* &c. sic & in ejusdem fide Eucharistiam recipere possunt, etsi dictum est,*Probet autem se ipsum homo*, &c.

Prob. 2. pars, ex Trid. Sess. 21. c. 4. ubi sic: *Sacrosancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligare necessitate ad sacramentalem Eucharistæ communionem. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit aliquando. Ut enim sanctissimi illi Patres probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ità certè eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Huic Concilii doctrinæ præluserat, qui an. 1274. diem clausit S. Thomas 3. p. q. 80. a. 9. ubi negat *pueris recenter natis sacra mysteria danda esse, quamvis quidam Græci contrarium faciant.*

Hujus mutationis ratio triplex potissimúm. Ima. quòd cùm propter effusionis periculum, usus calicis in Occidente sensim

abro-

abrogatus est, abrogata est & praxis dandæ infantibus Eucharistiæ, quæ ipsis sub sola vini specie exhiberi consueverat; IIda. quòd hinc non raró quidpiam eveniret irreverentiæ, dum sacræ species vel in stomachum non trajiciebantur, vel expuebantur ab infante; IIItia. quòd assueti Eucharistiæ ab infantia pueri, eandem necdum plenè rationis usu potiti recipere pergerent, & quidem (deficientibus exemplis pietatis domesticæ, quæ plurimùm refriguerat) velut communem cibum; unde & in consueta irreverentia reliquum vitæ stadium decurrebant. Hinc & meritò remoti à sacra mensa pueri, donec attigerint annos discretionis, atque à Pastoribus edocti fuerint & probati.

An autem pueris completo septennio, & jam doli capacibus dari debeat Viaticum, disputant Theologi. Affirmat Suarez, 1mo. quia viatici receptio juris est divini quo tenentur quotquot rationis usum habent; 2do. quia fructus Eucharistici capaces sunt, eoque sæpe indigent; 3tio. quia nihil præcepit Deus circa ætatem pueri; ergo lex viatici ab eo imposita impleri debet, cùm potest. Huic opinioni, posita pia subjecti dispositione, adhærerem, nisi obstaret lex locorum, aut fixa consuetudo.

CONCLUSIO II. Energumeni, seu à dæmone verè possessi, Eucharistiá refici aliquando possunt.

Prob. quia licèt multiplex fuerit ea de re disciplina ita ut quandoque Energumeni vel ipso Eucharistiæ conspectu privati fuerint; iis tamen pluries concessa fuit sacra communio; ut patet 1mo. ex Concilio Arausicano I. Can. 14. ubi sic: *Energumeni jam Baptisati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodis communicent*; 2do. ex Timotheo Alexand.* qui in Resp. 3. statuit, fidelem Energumenum, *si nullo modo blasphemet*, debere sanctorum mysteriorum fieri participem; 3tio. ex Cassiano Collat. 7. c. 29. & 30. ubi Abbatem Andronicum à dæmone per communionem liberatum esse commemorat. Parem puellæ cognomento Arabæ, quæ propter inspectum turpiter in balneo veneris simulacrum, à diabolo correpta erat curationem legeris Lib. 4. de prædictionibus c. 6. inter Prosperi Opera.

Hinc si cui Confessario Energumeni curam sortiri contingat, debet is, rebus cum Episcopo ad quem grandia hæc & insolita pertinent, collatis, si commodè possunt, expendere an quis sua culpa possideri meruerit; annon. Si 1. non ante ad sacram synaxim admittetur, quàm congruæ pœnitentiæ signa exhibuerit. Si 2. videndum an lucidis intervallis fruatur, an semper subjaceat dæmonis imperio, & quid hinc immineat irreveren-

* *Obiit an.* 385.

verentiæ, turpiloquii, &c. Si horum nihil vereri sit, nihil est cur eo subsidio privetur Energumenus: Est verò propter quod eo non privetur, putà quia & patientia indiget singulari, ut hujusce status molestiam ferat; & fortium robore, nè in dura adversùs sæculi Principes luctâ deficiat. Et ita docent S. Thom. Suarez, Nat. Alexander. Quòd si eò usque pateat æger impetui dæmonis, ut vereri sit né sacrum corpus, deglutire nequeat (prout pene contigit puellæ Veneris statuæ spectatrici) erit is alio quocumque modo juvandus.

Conclusio III. Perpetuò amentibus Eucharistia absolutè dari posset seclusâ Ecclesiæ prohibitione. Semifatuis verò, seu debilem habentibus rationis usum porrigi debet, tùm in articulo mortis, si nihil timeatur incommodi; tùm & in Paschate, si certo quodã pietatis sensu erga hoc Sacramentum afficiantur.

Prob. 1. pars, 1mo. quia amentia hæc quædam est infantiæ species; 2do. quia non est per se illicitum Eucharistiam iis præbere, qui ejus effectus capaces sunt; cùm Sacramenta ob effectum præcisè dentur: atqui amentes in perpetuum, sicut & infantes, sunt gratiæ Eucharistiæ capaces. Si quid enim utrisque deesset ad susceptionem Sacramenti, maximè actualis ejus notitia: atqui hæc non magis ad Eucharistiam, quàm ad Baptismum aut Confirmationem requiritur; ergo sicut hæc non quo ad effectum duntaxat, sed & quo ad Sacramentum recipi possunt, sic & illa.

Cæterum perpetuò amentibus Eucharistiam dari non sinit hodierna Ecclesiæ praxis; tùm quia satius est ut non detur, nisi ex prævio devotionis affectu expetita sit; tùm quia majus adhuc subest indecentiæ periculum in amentibus, quàm in pueris.

Prob. 2. pars, 1mo. authoritate S. Thomæ q. 80. a. 9. 2do. quia, ut ait S. Doctor, *tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere*; nec actu sunt positivè indispositi: cum in eorum pluribus haud levis appareat pietatis sensus, nec plerumque alias quam pueruli culpas committant.

Nè tamen Sacramenti tanti dignitas vilescat, haud expedit ut semifatui ad sacram synaxim crebrò admittantur: unde admitti quidem debent urgente præcepto, proinque in Paschate, & in articulo mortis, sed non ultrà, nisi gravior quædam urgeat ratio, putà Jubilæi, aut specialem erga Sacramentum altaris præferant reverentiam.

Concl. IV. Amentibus qui lucida habent intervalla, horum tempore tribui potest Eucharistia: qui verò à rationis usu in amentiam vel phrænesim incidêre, Eucharistiâ in articulo mortis, nisi obstet privata lex, refici possunt, si laudabilem vitam duxerint, vel gravia pœnitentiæ signa dederint, nullũque subsit irreverentiæ, ut vomitûs vel expulsionis periculum. Prob.

Prob. 1. pars, quia amentes quo tempore lucida habent intervalla, dispositionum quæ ad Eucharistiam desiderantur, capaces sunt.

Prob. 2. pars, ex Conc. Carthag. IV. an. 398. ubi sic Can. 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit; si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit - - - - in phrænesim versus fuerit, dent testimonium qui audierint, & accipiat pœnitentiam: Et si continuò moriturus creditur - - - - infundatur ori ejus Eucharistia.*

Dixi, *nisi obstet lex*, &c. si enim Libri multi Rituales hanc Eucharistiæ administrationem præcipiunt; at prohibent alii nec certè pauci, ut Argentinensis pag. 79. Blesensis, Rothomagensis an. 1651. &c. Quisque igitur Diœcesis suæ legem servare debet: ubi autem moris est ut hujusmodi personis detur communio, operæ pretium est ut Sacerdos formulam haud consecratam antè in os phrænetici immittat, quàm consecratam; sic exploraturus an quid immineat irreverentiæ.

Conclusio V. Mutis & surdis à nativitate conferri potest Eucharistia, non in articulo mortis tantùm, sed & tempore Paschali, si & in his aliqua deprehendatur hujus Sacramenti cognitio, & peccata sua nutibus exprimant. Ità Gibert Consult. 13. Rituale Argentin. ubi tamen prohibetur nè id fiat *inconsulto Episcopo, quantumvis* iidem muti & surdi *per signa & nutus peccata sua declarent, & mysteriorum sanctitatem & dignitatem intelligere se demonstrent.*

Prob. quia id genus homines Sacramenti hujus naturam intelligere possunt, tùm per imagines & signa; tùm per exteriorem quam eidem impendunt cæteri Christiani reverentiam tùm præcipuè per auxilium gratiæ, quæ baptisatis pleniùs confertur; ergo si piè vivant, si Officiis intersint devotè, si de culpis suis, exhibito quadantenus è cœlis vindice, admoniti sibi invigilent; si doloris sensum exhibeant, cùm peccata sua per proprios nutus, seu per os aliorum quibus familiariter utuntur, apud Sacerdotem deponunt, non est cur perpetuò à sacrâ mensâ arceantur. Unde pro gradu pietatis, non in Paschate tantùm, sed & in aliis solemnioribus festis ad synaxim admitti possunt; modò, ait Layman, peccatum aliquod in specie, non in genere tantùm, per nutus accusent; aliàs enim extra mortis articulum absolvi non debent. Aliter dicendum de mutis, surdis, simul & cæcis; hi enim dignitatem tanti cibi nullatenus intelligere valent.

Conclusio VI. Peccatori oculto si publicè petat, negari non debet Eucharistia, secus si privatim & absque testibus; notorio autem, etiam solâ, modò verâ notorietate facti, quocumque

eumque modo petat, omnino deneganda est. Ità. Alexander, Contenson, &c.

Prob. ex iis quæ dicta sunt ubi de Sacramentis in genere, c. 2. art. 3. sect. 5.

Circa denegandam peccatori occulto & occulte petenti, Eucharistiam, *excipiunt communiter Theologi, nisi Sacerdos ex sacramentali confessione peccatum cognoverit: quanquàm*, ait Habertus. *nonnulli etiam magni nominis hanc exceptionem non admittant. Saltem*, inquit, *monendus videtur, qui minus ex malitiâ quam ex simplicitate, Eucharistiam sinè teste peteret: constat enim experientiâ, rudiores expletâ confessione pro more ad sacram Mensam pergere, non attendentes fuerintne absoluti, necne: in quo casu, ubi supponitur nullum esse periculum infamiæ aut scandali, Sacerdos potest quærere ab huiusmodi homine, num absolutionis beneficium fuerit consecutus.*

Quæres 1mò. an occulto peccatori porrigi possit Hostia non consecrata, posito quod nisi communicare videatur, grave ei periculum immineat: ut si maritus, cui nuper suspecta est uxoris fides, observet, an ea pro more suo communicet.

R. negat. 1mò quia fictio de se illicita est, & mendacium continet, quod in materia sacramentali execrabilius est, & Religioni adversum magis. Et verò indicat Sacerdos facto & verbis præsentem hîc esse Christum, qui tamen reverà præsens non est; 2dò. quia præbetur occasio idololatriæ materialis: etsi enim, ut suadent alterius opinionis artifices, hostiam consecratam manu gerat Sacerdos, dum dicit: *Ecce agnus Dei*, communem nihilominùs gerit, dum ait: *Corpus Domini custodiat*, &c. eàmque adorant adstantes, & à communicante adorari non dubitant; 3tiò quia graviter urget hîc; tùm factum Christi, qui Judæ sacrilegium simulatâ communione vitare noluit; tùm decisio quâ statuit Innoc. III. *graviùs offendere Sacerdotem, qui consecrationis verba supprimebat, quàm si in mortali crimine constitutus* dona sumpsisset verè consecrata.

Quæres 2dò. quæ nunc sit Ecclesiæ praxis quantum ad communionem iis dandam, qui postquam in peccato contenuêre, Viaticum ingruente morte postulant. R. etsi his olim quibusdam in Ecclesiis negata fuerit communio, haud tamen omnino esse negandam; sed sequendum id concilii I. Nicœni Can. 13. *Generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti Eucharistiæ gratiam, Episcopus postquam probaverit, ex oblatione dare debebit.* Idem docet Innocent. I. Epist. 3. ad Exuperium ubi sic: *Quæsitum est, quid observari oportet de his, qui post baptismum, omni tempore, incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ fine, pœnitentiæ simul & com-*

communionis reconciliationem exposcunt. De his consuetudo tenuit prior, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur - - - - sed jam communionem dari obeuntibus placuit, &c. Ne tamen hinc temerè sibi blandiantur peccatores, meminisse debent tritum id Aug. *Sacramenta damus, securitatem no damus.*

Quæres 3tiò. an Reis ultimo supplicio damnatis tribuenda sit Eucharistia. R. variam esse variis in locis eâ de re consuetudinem. Constat siquidem ex Concilio Médiol. V. ejusmodi reis dari Eucharistiam in Italiâ. quod & in Germaniâ receptũ est: posse verò tunc temporis reum communicare per modum Viatici, proinque non jejunum, satis fatentur exteri. Alia jam pridem invaluit consuetudo in Galliis: quin & hujusmodi sontibus olim denegabatur etiam sacramentalis absolutio. *Primus hunc morem, multorum Procerum Ecclesiasticorum & virorum Principum precibus persuasus abrogavit Carolus VI. Edicto Parisiis dato* 4tò. *nonas Febr. an.* 1396. Exinde verò ut anteà, constanter denegata reis sacra communio, ità ut hæc Ludovico Luxemburgo, qui sub Ludovico XI. capite damnatus est, petenti recusata fuerit: eo concesso tantùm, ut missa coram illo fieret, & panis benedictus porrigeretur.

Unde colliges, malè à Confessario quodam negatam fuisse absolutionem Judici, eò quia puellæ, ob suffocatam prolem ad patibulum damnatæ, Viaticum impendi renuerat.

§. II. *De dispositionibus ex parte corporis.*

Dispositiones ad Eucharistiam requisitæ ex parte corporis sunt jejunium, corporis munditia, & modestia exerior.

De Jejunio.

Circa primum istud tria inquiruntur, 1mò. an & quâ lege ad jejunium teneantur communicaturi? 2dò. quali teneantur jejunio? 3tiò. an nemo unquam ab eâ lege dispensetur. Sit

CONCLUSIO. I. Jejunii Eucharistici necessitas non est de jure Divino, sed de jure Apostolico.

Prob. 1. pars, quia Christus Eucharistiam instituit & præstitit Apostolis post legalem cœnam.

Prob. 2. pars, quia ex citatâ toties Aug. regula: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolicâ autoritate traditum rectissimè creditur*: atqui morem Eucharistiæ nonnisi jejunis dandæ universa ab initio servavit Ecclesia, ità ut communiter redargueerit contra facientes. Prob. min. 1mò ex Tertul. L. 2. ad uxorem c. 5. *Non-*

Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes; 2do. ex Cypriano Ep. ad Cœcilium, *Numquid ergo*, ait, *Dominicum post Cænam celebrare debemus*, quia ità à Christo factum sit; 3tio. ex Aug. Ep. 54. n. 7. ubi sic. *Ex hoc placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs corpus Domini intret, quàm cæteri cibi: nam ideo per universum Orbem mos iste servatur:* nisi quòd, ut ibid. observat S. Doctor, aliqui *uno certo die per* annum videlicet feria V. majoris hebdomadæ, ad exemplum Christi *post cibos Eucharistiam offerrent & acciperent.*

CONCLUSIO II. Severa jejunii naturalis seu Eucharistici lex exigit ut à media nocte diei illius quo quis Eucharistiam conficere vult, vel recipere, nihil omnino sumpserit, sive per modum cibi & potus, sive per modum medicinæ, aut rei cujusvis, quæ consueto more digeri possit.

Prob. Ex unanimi sensu, qui si quid minimum, licèt incauti sumpserint, à synaxi etiam ardenter expetita abstinent. Idem sanciunt Rubricæ Missalis p. 3. tit. 9. ubi: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam per sumptionem aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.*

Id autem triplici de causa sancitum est, teste S. Thoma, q. 80. a. 8. 1mo. *in honorem hujus Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum*; 2do. *propter significationem, ut scilicet detur intelligi, quòd Christus, qui est res hujus Sacramenti, & charitàs ejus debet primo fundari in cordibus nostris* 3tio *propter periculum vomitus & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quòd homines inordinatè cibis utuntur*; *sicut & Apostolus dicit I. Corint. 11. Alius quidem esurit; alius autem ebrius est.*

Ut solvantur quæ ad gravem hanc materiam pertinent, fusiusque explicetur præcedens Rubrica.

Quæres 1mo. Qualiter, & quarum rerum sumptione frangatur jejunium naturale.

R. Hanc ut plurimùm, paulò tamen generaliùs, statui regulam: Id omne & solùm naturale jejunium solvit, 1mo. quod sumitur per modum cibi & potus in stomacho naturaliter alterabilis; 2do. quod sumitur per actionem, quæ propriè fit comestio vel potatio. Ratio est, quia jejunium naturale consistit in abstinentia cibi & potus, prout sunt formaliter tales; ergo quidquid sumetur per modum cibi & potus, jejunium solvet, & non aliter.

Hinc non solvit jejunium, 1mo. quidquid per modum salivæ trajicitur in stomachum, ut pituita vel sanguis è cerebro,

gengivisve defluens: itèm vini & aquæ reliquiæ quibus os abluitur; cibi quoque, qui cùm remanserint inter dentes, cum saliva & per modum salivæ trajiciuntur. Idem est si quis aut cibum momordit, aut jusculum, ut coqui solent, vinumque linguâ solùm & palato degustavit. Secùs si deglutiantur ex proposito *in quantumcumque parva quantitate.*

2do. Nec solvit jejunium, quòd per respirationem attrahitur, ut pulvis, culex, pluvia, fumus assæ carnis, &c. tùm quia hæc invitum subeunt; tùm quia nihil est horum, quod verè cibi vel potus rationem habeat. Est tamen circa fumum tabaci speciale quid, de quo infrà.

Sed quid si trajiciatur in stomachum res quæpiam, vel non comestibilis, ut officulum, aurum, creta, papyrus, unguis; vel comestibilis quidem, sed non trajiciatur per os, bene verò per nares, ut tabacus, aqua Hungariæ, &c.

R. ad 1. Ex iis nonnulla jejunio nihil obesse, ut aurum, plumbeam glandem, officula quædam; nonnulla verò, ut chartam, papyrum, terram, carbones, dentibus tritos, eidem probabiliter adversari. Ratio est, quia priora nec per hominis stomachum digestibilia sunt, nec ullatenus nutritiva; posteriora verò & aliquid nutritivi humoris habent, & plus vel minus digeruntur. Hinc, juxta Dianam ipsum, creta quam mulieres quædam per modum medicinæ sorbent, communionem impedit.

R. ad 2. Existimant multi id solum quod excipitur ore, adversari jejunio. Unde nec tabacum, nec aqua Hungarica, nec ipse qui ex cerebro manaret sanguis, & sponte transmitteretur in stomachum, arcere possunt à communione. Verùm eæ decisiones, meo quidem judicio, nonnihil expositionis postulant. Et 1mo. non opinor jejunum fore, qui sanguinem proprium, etiam non exceptum per os, sed ab intus manantem sponte sorberet. Quis enim, nisi judaice sentit, facilè capiat, haud jejunum manere qui aliquot sanguinis guttas è læso digito fluentes sugit & trajicit, ut concedit Quarti; jejunum verò esse qui multò plures è gengivis manantes de *industria* haurit. Certè si res ità sit, pro jejuno habendus esset, qui præcisam sibi linguæ partem vorarer; quod absurdum est.

2do. Hungaricam aquam, si quid ejus in os ingressum sit, & inde trajectum, jejunio haud adversari putem, quia id per salivæ modum excipi consuevit: secùs si de proposito fiat.

3tio. Quo ad Tabacum attinet, quidquid ejus ad fauces devenit, promptè ejicitur; unde vix quidquam hinc oriri potest scrupuli. Si tamen, ait Sylvius q. 80. art. 8. *os intret, & deglutiatur,* impedit communionem, *quia est medicina, licèt mul-*

tis

tis noceat: idque, *etiamsi is qui sumpsisset, mox evomeret.* Secùs *si solùm intrâsset in asperam arteriam & statim expueretur; cùm ex eo non* medicamen vel *nutritio; sed potiùs suffocatio sequi nata sit.* Unde timendum, nè qui paulò ante mediam noctem tabaco referti lectum subeunt, experti pulverem hunc fauces suas, & inde stomachum subire, haud satis sibi consulant. Tabacum enim non videtur comparari posse cum cibi reliquiis quæ per modum salivæ degluriuntur, sed cum saccaro in ore sensim liquefaciendo, de quo paulò post.

Sed quid de iis qui tabaci folia mandunt, ut aquas ex ore eliciant: aut tabaci fumum per os, naresve attrahunt? Censet Van-Roy cum aliis non paucis, hanc tabaci *masticationem* jejunio adversari: quia fieri non potest, quin plurimæ tabaci particulæ succulentiores trajiciantur in stomachum, aut saltèm semper periculum est nè trajiciantur: atqui trajectio hæc ad jejunii solutionem sufficit. Trajiciuntur, inquies, per modum salivæ: Sed si succus plurimus saccari, [quod in ore, ad tollendam ejus amaritudinem, posuisses sugendum, non intendens deglutire, sed expuere succum, non secus ac tabaci] descenderet in stomachum, ân, quæso, communicare auderes: si autem in hoc casu non ausis, cur in alio planè simili ausis?

Si tamen, & id fortè à personarum constitutione pendet, certus quis sit, se nullam tabaci foliorum particulam trajecisse, aut non aliter trajecisse, quàm transmitti soleat quædam aquæ guttula, quæ, dum os abluitur, simul cum saliva indeliberatè pertransit, non est cur sibi à violato jejunio vereatur: etsi interim masticatio hæc, vix militi, multominùs Sacerdoti condonanda est, nisi gravi de causa.

Quod spectat ad tractionem fumi, non una est opinio. Alii enim, iique numero pauciores, jejunium naturale fumo in stomachum trajecto violari docent; ità Pontas. Alii ex adverso pugnant: 1mo. Quia jejunium non solvitur nisì vera comestione, vel potatione: atqui tractio fumi, nec comestionis veræ, nec potationis rationem habet; 2do. Quia alioqui qui cum fumigantibus iter facit, fumumque ore vel naribus invitus excipit, sacrum postea celebrare non posset; idemque de eo foret, qui in culina ciborum fumos excepisset. Qui enim proprii tabaci fumum excipit, vulgò tam invitus excipit, quàm qui circumstant: unde vel totum per os & nares ejicit, vel nonnisi parum admittit per modum respirationis. Alii demum concedunt solvi jejunium, cúm quis ope instrumenti fumum tabaci aut carnium ad stomachum per fauces transmittit voluntariè, vel volens ore excipit, secus verò, si vel nihil in stomachum trajiciat, vel nonnisi involuntaria transpiratione;

quomodo trajicitur musca, aut herbarum fumus, qui viatorem penè suffocat. His, etsi parum satisfaciunt, nihil hodie melius dictu occurrit.

Unum addam, eum nempe qui ad synaxim accedere cogitat, meliùs sibi consulere, ut à quacumque tabaci specie anteà abstineat; tùm quia meræ hic ut plurimùm occurrunt sensualitates, quibus, nemo est, qui saltèm per aliquot horas, juvante Deo resistere nequeat, tùm quia usus tabaci sive fumo, sive naribus vel ore sumpti ante Missam vel communionem, in conciliis Limensi III. & Mexicano itidem III. severè prohibitus est, & *sub reatu mortis æternæ*; hæc autem Concilia à sacra Cardinalium Congregatione approbata sunt.

Quatuor hìc supersunt observanda, 1mo. jejunium frangi per id etiam quod quis invitus deglutierit, unde si cibi quid vel potus in stomachum meum ab alio per fistulam transmitteretur haud possem ea die sacris operari; quia licèt Ecclesia jejunium naturale sanciendo, respirationem, & ea quæ, per se loquendo, cum respiratione & aère attrahuntur, ut floccum nivis, bestiolam, paleolas, prohibere non intenderit: at ea prohibere potuit quæ non ab aère feruntur, sed aliunde in fauces transeunt: ea enim vere nutriunt, sicque aliquo sensu dici possunt comedi: unde de ægroto, qui aliquid incauto sibi in os immissum deglutivit, dicitur quòd ovum, v. g. jusculumve sumpserit. Et verò quis pro jejuno habeat hominem, cujus, etsi reluctantis, stomachum ampla vini lagena ingressa fuerit?

2do. Eum qui lectulum ingrediens, saccarum, aut simile quid in ore liquefiens, ori imposuerit paulatim solvendum & trajiciendum, ad leniendum faucium raucedinem, sequenti die ad synaxim accedere non posse, nisi moraliter certus sit; se nihil post mediam noctem transglutiisse: in dùbio enim non potest jejunum semet præsumere, qui exposuit se periculo jejunium solvendi. Ità omnes, ait Lugo.

3tio. Ut quis jejunus sit haud necessum esse, ut ex quo comedit aut bibit, dormierit, vel sit digestus: etsi quandoque conveniens sit ut propter capitis gravitatem, aut torporem animi, quibus tollitur devotio, à communione abstineat.

4to. Decere plurimùm ut Fideles pridie quàm ad synaxim accedere decreverunt, saltèm parcius cœnent, & quod pii aliquando solent, vel noctis partem piæ meditationi impendant: vel saltèm prolixiùs & ferventius orent.

Quæres 2do. an in hoc jejunii naturalis præcepto detur parvitas materiæ, seu ex parte rei ipsius quæ comederetur, ut si quis amygdalam duntaxat sumat; seu ex parte temporis, ut si quis aliquot tantùm minutis post mediam noctem, aquæ scyphum hauserit. R. in

R. in neutro casu dari materiæ parvitatem, quæ à gravi sacrilegio excuset. Non in primo: obstant enim Concilia plura, quorum alia depositionis, alia excommunicationis, alia suspensionis pœnam decernunt iis, qui minimè jejuni communicaverint. Sic Bracarense III. an. 572. Can. 10. *Si quis Presbyter post hoc Edictum nostrum in hac vesania fuerit deprehensus, id est, ut non jejunus, sed* QUOCUMQUE *jam cibo percepto oblationem consecraverit, continuo ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo.* Toletan. VII. an. 646. Can. 2. *Nullus post cibi potusve* QUEMLIBET MINIMUM SUMPTUM *Missas facere præsumat omnino. Si quis hæc tentare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit,* &c. atqui graves depositionis potissimum & excommunicationis censuræ nusquam ob levem culpam decernuntur, prout alibi ostendimus; ergo.

Confirm: 1mo. Quia communis est & communissima Doctorum sententia, imò & fidelium omnium, peccatum esse mortale, si quis post aquæ, vel alicujus alterius, etiam inadvertenter & invitè hausti sumptionem in quantulacumque quantitate, eadem die communicet; ergo.

Confirm. 2do. Quia licet materia de se levis non possit præcisè ratione sui graviter præcipi; potest tamen, quando gravissima fit ab extrinseco, putà vel ob significationem sibi annexam, vel ob gravitatem intenti finis. Sic lethaliter peccat Sacerdos, qui vel modicum aquæ non infundit in calicem; quia magni momenti significationem prætermittit; vel contra Diœcesis legem, tabernam ingreditur; quia multiplici scandalo januam aperit: Atqui quòd Eucharistia à jejuno tantùm conficitur, aut recipiatur, est quid grave, tum penès significationem, Christum videlicet esse potissimum fidelis animæ alimentum; tùm penès finem, *ne* nempe *nullus Presbyter confertus cibo aut crapulatus vino Missas concelebrare præsumat*; quæ Concilii Matisconensis verba realem abusum impetere videntur.

Neque etiam in secundo casu, id est, in modico à media nocte intervallo datur materiæ levitas: 1mo. quia obstat, ut in præcedenti casu, communis Catholicorum sensus, qui nequidem lubenter hujusmodi quæstiones moveri audiunt; 2do. quia admissa semel ea laxitate, brevì nasceretur laxitas alia: ex quo enim Scholastici litem hanc movere cœperunt, alii comedendi licentiam distulerunt ad moram salutationis Angelicæ; alii ad semiquadrantem; alii ad spatium quodcumque horâ integrâ brevius: unde tandem ad horam totam, deinque ad duas, fortè & tres, id est, in Meridionalibus plagis, ad ipsum

sacrificii, vel communionis tempus sensim progressum fuisset.

Obj. Levis materia nonnnisi leviter solvit jejunium naturale, neque graviter adversatur fini præcepti; ergo.

R. Etsi levis comestio sit materia levis, communio tamen post comestionem est semper gravis materia: jam vero præceptum de quo in præsenti agitur, non prohibet primariò comestionem, sed communionem post illam: porrò tam verè communicat post comestionem, qui post modicam, quàm qui post multam communicat.

Quæres 3tio. Quid facto opus sit ei qui dubitat utrùm os abluendo aliquid per modum cibi & potus deglutierit; vel certus se deglutiisse, ambigit an ante mediam noctem, quia loci horologia alia ab aliis dissonant.

R. Si dubium prudenter excuti nequit, tenendam in hoc casu partem quæ indubiè removet à peccato; proinque abstinendum à synaxi. Sequitur ex dictis in Tract. de Conscientia.

Quo ad horologia, iis adhærendum, quæ plus merentur fidei. Si quis tamen astrorum peritus, ex eorum situ certo cognosceret horologia maturare gradum, posset istis denegare, illis habere fidem. Cæterùm primus horæ pulsus, ubi præsertim unicum est horologium, diei sequentis ac proinde jejunium initium indicat: unde qui celebrare volens, primum mediæ noctis pulsum audit, buccellam quam mandit, expuere debet, & cavere sedulò nè quid præcedentis deglutiat. Quanquam sibi ab his anxietatibus cavent timorati, nec convivia protrahunt quandiù absolutè liceret.

Hic addam decere ut qui á communione recens est, non ante comedat, quàm sacræ species alteratæ sint: nisi aliud exigat quædam necessitas. Ità Doctores, non vi legis, quæ nulla est, sed vi decentiæ, quæ tam sacra tam profanis misceri ægrè patitur. Eadem de causa monent, haud statim post communionem expuendum esse, quamvis formula omnino subierit stomachum, præsertim verò si sputum è pectore ascendat; quia id plus habet periculi: quòd si aliud exigat necessitas, in loco mundo spuendum erit.

Quæres 4to. An, & quæ causæ ab austera jejunii naturalis lege excusent.

R. cum Constantiensi Concilio an. 1415. Sess. 13. *Eucharistiæ Sacramentum non debere confici post cœnam & à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure vel ab Ecclesia concesso, vel admisso.* Unde

Dico 1mo. excusat vitandæ irreverentiæ necessitas, ut si periculum sit nè Hostia sacra in Magi, Judæi, alteriusve infidelis potestatem deveniat; itèm nè comburatur, aut aliud quid

subeat

subeat inhonesti; tunc enim & à laico contingi, & ab eo non jejuno, si desit Sacerdos, aut qui jejunus sit laicus, sumi potest. Idem est si post consecratum calicem deficiat Sacerdos, nec præsto sit Sacerdos alius qui sumat sanguinem, neque is citra corruptionis, aut gravis alterius irreverentiæ periculum servari valeat; tunc enim & à laico non jejuno sumi potest. Decisionis hujus ratio unica, sed gravis hoc est, quòd jejunii lex nonnisi in favorem Eucharistiæ constituta sit; ergo non obligat, quoties ipsa Eucharistiæ reverentia contrarium postulat.

Hic etiam pertinet necessitas perficiendi sacrificii: unde Sacerdos qui vini loco aquam posuit, gustavitque, vel totam, vel ex parte solùm, ut debet, si statim errorem detegat, (licèt non debeat expuere quod ore gerit, ne quid simul projiciat Hostiæ) tenetur iterum conficere & sumere. Idem est, si peracta jam alterius speciei consecratione recordetur se non esse jejunum. Imò, ait Suarez, qui post solutum jejunium scienter ad sacrum accessit, ubi alteram speciem consecravit, jam desistere non potest, sed, præmisso sinceræ contritionis actu, mysterium consummare.

Quid autem facto opus sit, si Minister ante consecrationem recordetur se aliquid primo manè sumpsisse, non una est omnium opinio. Ego quidem, ait modestè S. Thomas hic q. 83. a. 6. ad 2. *tutius reputarem, maximè in casu manducationis & excommunicationis*, quarum quis oblitus esset, *quòd Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur*, vel infamia Ministri. Sed quia hæc, nec immeritò, propter rei novitatem timentur, nisi celebrans notæ sit aut saltèm præsumptæ probitatis: imò & insuper iis coram quibus celebrat, dilectus, tot fortè sunt casus in quibus sacrum continuare oporteat, quàm ab eodem desistere. Interim qui ob fractum jejunium Missam abrumperet, cessationis hujus innocentem causam populo aperire teneretur.

Quæres quid juris si sumpta ablutione superstites Hostiæ particulas perspiciat Sacerdos.

R. Id definitum esse his Rubricæ verbis tit. 7. de defectibus n. 2. *Si deprehendat Sacerdos etiam post ablutionem reliquias relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ; quia ad idem sacrificium spectant. Si verò relicta sit Hostia integra consecrata, eam in tabernaculo, cùm aliis reponat, vel sequenti Sacerdoti relinquat*, &c. Et verò non potest spirituale Eucharistiæ convivium decenter perfici sinè ablutione: porrò fieri nequit ut ablutio moraliter non præcedat sumptionem particulæ alicujus, quæ vel remaneat in calice, vel dentibus faucibusve hæreat· vel in patena aut corporali postmodum ap-

pareat; ergo qui hæc post ablutionem sumit, non violat ecclesiæ præceptum.

Hinc nedum peccet qui Sacramenti reliquias sumit post ablutionem, peccat venialiter, utpotè Ecclesiæ legem transgrediens, qui eas citra rationabilem causam non sumit. Neque deerit ibi letale peccatum, si omissio hæc fiat cum gravi Sacramenti irreverentia, ut fieri facillimè potest, cùm celebratur in altaribus, ubi non asservatur in tabernaculo Eucharistia. Interim sedulò curare debet Celebrans, ut fragmenta quæ supersunt, quantùm moraliter fieri potest, circa scrupulum tamen, colligat, & ante sanguinis sumptionem in calicem mittat cum ipso sanguine sumenda. Nec dubium quin lethaliter peccent Eleemosynarii illi, qui ut breviorem, ideòque mulieribus plerumque indevotis probatiorem Missam celebrent, vix patenam purificant, imò, ut horrens vidi, nullatenus purificatam extergunt purificatorio; quasi quod in hunc modum excutiunt, vilis atomi pars fuerit, non ipsum corpus Christi. Verùm hic ubi difficultates aliæ ab aliis prodeunt, dubium exurgit multiplex. Itaque

Dubitatur 1mo. An eæ etiam reliquiæ, quæ non in eodem, sed in præcedenti sacrificio consecratæ fuerint, sumi possint post ablutionem.

Negant plures cum Navarro: sed reclamant alii, 1mo. quia fragmenta ex præcedenti sacrificio, hoc ipso quòd in eodem consumpta non fuère, pertinent ad sacrificium subsequens ejusdem vel alterius Sacerdotis, qui potest & sæpe tenetur sacrificii præcedentis defectus supplere, ut constat ex Rubricis: ergo eadem est ratio de fragmentis sacrificii præteriti, quæ de præsentis: unde hic casus, etsi in Rubricis non continetur explicitè, rectè infertur à paritate rationis; 2do. quia alioqui non posset Sacerdos sacram pixidem purificans, fragmenta quæ in ea sunt cum una vel multiplici ablutione sumere: sic enim dubio procul superstites præcedentis sacrificii reliquias sumit non jejunus: atqui & id prorsus falsum est; 3tio. quia haud facilè discerni potest, an quæ in patena vel corporali deteguntur particulæ, ab alio præconsecratæ sint, an à nobis; ergo idem de omnibus haberi debet judicium: & *sic audivi prædicari in multis Religionibus eximiæ doctrinæ & sanctitatis*, ait Marchini. hæc opinio mihi tuta judicatur, imò & eo sensu tutior, quòd plus Sacramenti reverentiæ consulat.

Dubitatur 2do. quotum intra tempus superstites reliquiæ à Ministro consumi possint.

R. Posse quandiu necdum ab altari discessit, etsi fortè diu ibi fuerit moratus ad Eucharistiæ dispensationem. Ratio est,

quia

quia quandiu altari adstat Sacerdos, moralem unam sacrificii actionem continuare censetur. Si verò ab altari in sacellum, aut alio recessit, jam etsi adhuc sacris vestibus indutus manet, eadem fragmenta, neque hic neque alibi sumere potest; esset enim id nova ac distincta communio, severè prohibita. Quòd si eædem reliquiæ citra irreverentiam servari nequeant, tunc à Sacerdote etiam vestibus sanctis exuto sumi possunt, vel tradi cuipiam ad communionem disposito, qui casus, ait Quarti, ab omnibus conceditur.

Dubitatur 3tio. an eadem sit Hostiæ integræ ratio quæ fragmenti.

R. negat. Ecclesiæ enim severam jejunii legem non temperavit quo ad fragmenta, nisi quia ea sunt veluti quædam sacrificii partes, & ut sic ad ejus integritatem pertinent; atqui formulæ integræ non se habent ut partes sacrificii; sed solùm consecrantur, ut vel tunc, vel postmodum fidelibus distribui possint; ergo graviter peccat Sacerdos, si post ablutionem, cùm in rigore non est omnino jejunus, integras formulas sumat; nisi id ad vitandam Sacramenti irreverentiam necesse sit, putà quia deest tabernaculum in loco, & Sacerdos qui sacra peracturus sit.

Dubitatur 4to. Quis decentior sit pixidis purificandæ modus.

R. 1mo. eam ex usu communi intra Missam purificare debere; 2do. fragmenta, quotquot poterunt, è pixide in calicem infundenda esse, cum pretioso sanguine sumenda; 3tio. infundendum deinde in pixidem semel vel pluries vinum, & ex pixide in calicem, ut quidquid particularum superest, cum prima vel secunda, imò & tertia ablutione sumatur. Demum & calix & pixis purificatorio abstergi debent.

Dico 2do. à jejunio excusat necessitas vitandi scandali, alteriusve damni notabilis: quia positivæ leges non obligant cum tanto dispendio. Ità S. Thomas & alii communiter. Atque hinc colligunt, Sacerdotem non jejunum celebrare posse, 1mo. ut mortem vitet sibi intentatam nisi celebret; modo non intentetur in contemptum fidei vel religionis: quod fieri potest; 2do. ne incurrat gravem infamiam, si postquam sacrum inchoavit, ab altari recedat.

Extendunt hoc aliqui ad sæcularem jam publicè ad mensam admotum, & qui grave scandalum, aut infamiam vereatur si recedat. At casum hunc vix admitti posse putem; tùm quia non ità rarum est, ut qui ad mensam accessère, ab ea vel ad tempus, vel in totum ob aliquid scrupuli recedant, tùm quia & ei assistunt plures, qui vel jam communicavêre, vel communicare nolunt; tùm quia quòd laicus se jejunum non esse a-

gnoscat & fateatur, nihil habet regulariter scandali, aut veræ infamiæ, &c.

Dico 3tio. excusat etiam sumptio viatici, non ab infirmis tantùm, qui naturali morbo tendunt ad interitum; sed & bene valentibus à judice damnatis ad mortem. Casum hunc admittunt omnes cum S. Thoma q. 80. a. 8. Sed hic quædam notanda, 1mo. non esse à peccato immunem Parochum, qui manè ad infirmum adhuc jejunum Eucharistiam deferre commodè valens, differt in vesperam; cùm ille jam jejunus non erit; 2do. (& sic præcedens decisio penè inutilis evadit) cavendum summoperè, nè moribundus ob violatum jejunium communionem in crastinum differat cum periculo sinè ea decedendi, vel eam recipiendi in statu quo minùs rationis compos fuerit; 3tio. nec proinde scrupulosiùs discutiendum esse, an certum sit periculum mortis, ne dum deliberatur, interim excedat æger sinè viatico; 4to, quamvis infirmus una vel altera post mediam noctem hora jejunus manere possit, non ideo, etiam inter Regulares, qui minus ab Ecclesia distant, [nisi fortè propter Officium adstituri sint] differendam esse ægroti communionem; quia Ecclesiæ consuetudo, optima sanè legum interpres, non habet ut incommodâ noctis intempestivæ horâ, nisi tunc necessitas specialiter urgeat, ad infirmos deferatur Viaticum. Nec moris est ut Pastor, qui manè ut plurimum gravioribus populi negotiis distinetur, omnia statim deserat, ne non jejuno synaxim porrigat.

Duo hic moventur dubia: primum, an pluries infirmo non jejuno Eucharistiam dare liceat; secundum, an nè æger sine viatico decedat, licitum sit Sacerdoti haud jejuno Missam celebrare.

R. ad 1. constat, 1mo. Eucharistiam infirmo etiam citra periculum mortis sæpius deferendam esse, si petierit; & jejunus recipere possit; 2do. eundem, si jam satis à gravi morbo convaluerit, non nisi jejunum Eucharistiâ refici posse: quia nulla subest tunc necessitas à lege jejunii excusans; 3tio. ei, qui postquam aliquantulum convaluit, in idem vel simile periculum relabitur, licitum esse communicare non jejuno, quoties hæc statuum varietas contigerit; quia tunc novus redit necessitatis articulus.

Quæstio itaque est an ei qui jam Viaticum recepit; & qui gravi ac diuturno morbo detinetur liceat pluries, etsi non jejuno, Eucharistiam recipere.

R. affirmat. quia cœlestis ille cibus infirmo datur, non tantùm ut sumendi Viatici præcepto morem gerat, sed & in præsidium contra astutias inimici, qui tunc potentiùs insidiatur:

unde

unde cùm gravis, diuturnique morbi dolores, gravis sint ac diuturna tentatio, cui aliæ complures accedunt; plus urget muniendi ac roborandi athlethæ necessitas, quam servandi jejunii.

Quoto autem intervallo à Viatici receptione distare debeat communio sequens à non jejuno facienda, mirè disputatur. Iis assentimur, qui, nisi aliud Diœcesano Rituali præscriptum sit, dies octo vel decem requirunt, prout antiquo Rituali Romano constitutum est. Unde qui frequentiùs pro devotione communionem exoptat, jejunii legem servare, horamque ad id opportunam eligere debet.

R. ad 2. negant communiter Doctores, quos inter S. Antonius, Paludanus, Navarrus, Suarez, Tolet, Bonacina, Habert, &c. Et hanc ego opinionem, quia longè magis receptam, sequerer in praxi, tam quo ad me infirmum, quàm quo ad alios: Sed qui oppositam ex propriæ conscientiæ judicio teneret, cum Quarti, Ethica amoris, &c. nec cominùs, nec eminus redarguerem.

Hic notandum ex iis qui primam partem tenent, esse non paucos, qui Sacerdoti ante haustam ablutionem admonito, novam inchoare Missam permittant, ut in gratiam infirmi hostiam consecret. Et id probabile censet Sambovius Tom. 1. cas. 83. Et verò, ait Henno, si id licitum est ut populus audiat Missam, licitum à fortiori præsumi potest, ut ministretur Viaticum; cùm hujus receptio graviùs obliget, quàm auditio Missæ. Sed de hoc casu infrà.

Dico 4to. Excusat sacrificii perficiendi necessitas, puta cùm Sacerdos, peracta consecratione solius etiam panis, deficit, nec haberi potest jejunus, qui Missam perficiat. Ità Doctores communiter: quia perfectio sacrificii est de jure divino.

Dico 5to. excusat dispensatio, quæ à solo Rom. Pontifice concedi quidem potest, rarissimè tamen extra assignatos infirmitatis casus conceditur. Conceditur tamen de facto ex antiquo usu uni de Cardinalibus, qui quotannis in nocte Nativitatis Domini primam Missam in Sacello Pontificio ante mediam noctem celebrat & perficit.

Quæres quid facto opus sit in casu quo quis ex errore, Missam Natalis Domini uno circiter ante undecimam noctis horam quadrante inchoat, neque errorem detegit nisi peracta jam consecratione. R. Ex bene multis quos circa difficultatem hanc consului, plures senserunt tutius esse ac decentius, ut Minister communionem ad mediam usque noctem differat, & temporis residuum det orationi & adorationi, aut hæreat in *Memento*. Alii tamen, etsi numero longè pauciores, quos inter Vicarius

qui-

quidam Generalis non infimæ doctrinæ, nihil redarguerunt si Missa solito more continuetur. Neque id quoque culpârim, si præsertim Sacerdos infirmus sit, & qui adstant, tantam moram ægrè laturi. Certè haud videtur jejunii lex exigere, ut tanta inter potissimas sacrificii partes intercapedo statuatur.

An autem idem Sacerdos, si fortè ablutionem sumpserit, postridie duas alias Missas celebrare valeat, controverti potest. Affirmat Leonardelli; quia non constat in hoc casu Missam hanc censeri dictam in festo Nativitatis, prout de ea constat; quæ coram Papa celebratur.

De munditia corporis,

Corporis munditia, de qua nunc, iis opponitur fœditatibus quæ humanum corpus inquinant, ut sunt lepra, fluxus sanguinis, menstrua, præsertim autem conjugalis actus, & pollutio non plenè voluntaria: quæ enim in se, vel in causa perfectè libera est, à communione arcet, plus quam lethalia plura, quia gravior est & tenacior. Sit

CONCLUSIO I. Lepra, sanguinis fluxus, menstrua infirmitas, & alia id genus, quæ sinè patientis culpa eveniunt, per se non prohibent ab Eucharistia.

Prob. 1mo. Quia labes illæ non obstant veræ devotioni, quæ summa est ad comunionem dispositio; 2do. quia iis infecti, miseratione digniores sunt quàm pœna; nec solatium habere majus possunt qui laborant; quàm à tenero afflictorum consolatore; 3tio. quia id innuit Christus, cùm debiles & claudos ad nuptiale convivium invitavit.

Nec nocet Judaicæ munditiæ præceptum circa panes propositionis: quia alia est antiquæ, alia novæ Legis conditio. Illic præcipuè imperari videbatur exterior mundities; hìc imprimis requiritur cordis puritas.

Si quis tamen ex transeunte morbo aliquid injiciat horroris, satius erit ad aliquot dies differre, nisi moram excludat spiritualis necessitas.

CONCLUSIO II. Nocturna illusio, in se & in causa inculpabilis, non obstat per se communioni; obstare tamen potest ex congruitate.

Prob. 1. pars, quia ad communionem sufficit status gratiæ cum devotione idonea, neutram porrò per se excludunt hujusmodi illusiones.

Imò eæ spiritûs nequam deceptiones contemni debent, si advertatur eas potissimùm ingruere, cùm quis ad Eucharistiam accedere decrevit.

Prob.

Prob. 2. pars, quia postulat tanti Sacramenti dignitas, nè quis ad ipsum, vel corpore fœdus, vel ex præcedenti phantasmate distractus accedat. *Hoc tamen impedimentum, quòd ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem* puta, *cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quòd Sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.* Ità S. Thomas q. 80. art. 7.

Si quis, ait idem S. Doctor in 4. dist. q. 1. 2. 3. q. 2. *pollutionem passus, ad causam recurrens dubitet de consensu, à sacra communione omnino abstinere debet: si autem expressè inveniat consensum non præcessisse*, nec fuisse comitatum vel subsecutum, & *necessitas urgeat, aut aliqua causa potior*, ut justitiæ, vel obedientiæ, *tollat obligationem, quâ teneretur alioquin non accedere, potest accedere, aut etiam celebrare, non obstante corporis immunditia, aut hebetatione mentis: alias si necessitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento; non tamen si celebrat, peccat mortaliter, sed venialiter, sicut cùm quis quandoque evagationem mentis patitur.* Quando autem vel illusione accidit, *si illusionis causa in nobis præcessit, putà cùm quis indevotus ad dormiendum accesserit; idem est judicium ac de pollutione quæ ex cogitatione præcedenti causatur, id est, potest esse & mortale, & veniale peccatum. Et quia non ità de facili potest percipi ex qua causa contingat, ideo tutius est semper abstinere, nisi necessitas incumbat.*

Quæ de pollutione in somnis, hæc de eadem etiamsi vigili accidat, dicta sunto, modò & hæc involuntaria sit; ut esse potest quæ ex turpibus in confessione auditis oriretur. Iis tamen qui tam facilè moventur, curandum est si possunt, ut priùs celebrent, quàm iis vacent, unde prodeunt miseri illi effectus: imò & quandoque prorsus recedendum à confessionis ministerio, de quo alibi.

CONCLUSIO III. Optandum, ut qui ad sacram Mensam accedere intendunt, aliquot anteà diebus ab actu conjugali abstineant, Haud tamen delinquunt, qui regulam hanc non servant, seu debitum reddendo, seu etiam solius prolis intuitu exigendo: quanquam & hos ex decoro satius est abstinere, aliis verò utcumque necessarium.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Concilio Illiberit. Can. 3. *Omnis homo ante sacram communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus*; 2do. ex S. Hieron. Epist. 1. ubi sic: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in suo sensu abundet; sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant ---*

Quare

Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet - - - - Abstineam igitur *me paulisper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis amorem Christi præferam.*

Neque alia est nostris temporibus R. Ecclesiæ praxis: ut constat ex Innocentii XI. Decreto de freq. Commun. an. 1676 *Cùm Apostolus nolit* conjungatos *invicem* debito *fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi; eos seriò admoneant* Confessarii, *tantò magis, ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam, continentiæ vacandum.*

Prob. 2. pars, ex S. Gregorio M. qui Ep. 64. sic loquitur in Resp. ad 10. Augustini interrogationem: *Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur, iste profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio; qui à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere.*

Prob. 3. pars, quia, ut ait ibid. S. Greg. *Cùm non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant:* aliunde certum carneæ delectationis spiritum gerunt, quo utcumque absorpti vix satis cœlestibus adhærere possunt; ergo, ait S. Thom. *tunc prohiberi debent, ne accedant ad Sacramentum.*

His, quæ ut ita loquar, negativa sunt, corporis dispositionibus, positivas quasdam accedere necesse est, quæ in Catechismis habentur.

§. III. *De dispositionibus ex parte animæ.*

Dispositiones ex parte animæ, aliæ communionem præcedunt, aliæ ipsum communionis actum comitantur. De utrisque non omnibus quidem, sed præcipuis dicemus: id unum habentes in votis, ne in labido itinere vel laxiori vel severiori pede gradiamur. Sit

Conclusio I. Ut quis ad Eucharistiam dignè accedat, debet innocentiam baptismalem vel conservâsse, vel sincera pœnitentia reparâsse.

Prob. 1mo. quia innocentia hæc, ex omnium Sanctorum judicio, illa ipsa est vestis nuptialis, sinè qua qui ad nuptiale filii Regis convivium accesserit, ** ligatis manibus & pedibus* projicitur *in tenebras exteriores*; 2do. quia præcipit Apostolus, ut *probet seipsum homo*, antequam *de pane illo* edat: atqui probatio

* *Matth.* 22.

batio illa imprimis eo fine instituta est, ut nemo graviter reus, Christi corpus contingere ausit: unde Chrisost. Homil. 3. in Ep. ad Ephesios: *Quomodo comparebis ante tribunal Christi, qui manibus ac labiis immundis ipsius audes contingere corpus.*

Sed quia non omnes satis capiunt quo nisu reparanda sit innocentia, sit rursus.

CONCLUSIO II. Antiqui Patres ordinariè nemini certorum criminum reo, nisi gravi pœnitentiæ incubuisset, Eucharistiam concedebant.

Prob. 1mo. ex Apostolo, qui incestum * Corinthium nonnisi post annuæ pœnitentiæ tempus in consueta Fidelium jura restituit, postulata, ut ità loquar, in ipsius gratiam veniâ: *Nè fortè abundantiori tristitiâ* absorberetur.

Prob. 2do. ex SS. Rom. Ecclesiæ Pontificibus: Innoc. I. Ep. 1. *De pondere æstimando delictorum*, inquit, *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis; ac tùm jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* S. Leo I. Ep. 91. *Christus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Prob. 3tio. ex notis illis pœnitentiæ classibus, quas certorum peccatorum rei decurrere tenebantur, antequam, non dico, sacra synaxi, sed Sacramentali absolutione donari possent. *Placuit*, verba sunt Ancyranæ Synodi, *eos inter audientes uno anno constitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem anno reconciliari Sacramentis.*

Sed quorsum hæc? inquies: an ut præsentem Ecclesiæ disciplinam culpemus? Neutiquam. Sed exhibito Ecclesiæ spiritu, qui semper idem est, vesanos eorum clamores compescere volumus, qui postquam diu in omni peccatorum cœno hæserunt, ægrè habent, si, statim ut memoriam suam exoneravêre in tribunali, haud statim in omnia Sanctorum jura restituantur. Quæ tamen nè ad omnes lapsos temerè extendantur, sit

CONCLUSIO III. Pœnitentia sumpta pro satisfactione sacramentali, non debet necessariò communioni ab iis præmitti, qui lethale peccatum admiserint: sumpta verò pro iis pietatis operibus, quæ sinceram cordis conversionem demonstrent, non raro prætermittenda est.

Prob. 1. pars. Ut quis ad sacram synaxim admitti possit, satis est absolutè, ut cum Deo in gratiam rediisse meritò cen-sea-

* II. Corin.

featur: atqui hæc in Dei gratiā redintegratio, in multis eorū etiā qui sacramentalem satisfactionem necdum implevére, præsumi meritò potest; cùm ex iis alii timoratæ conscientiæ, penè statim ac culpā certò vel dubie gravem, detrahendo v. g. aut irascendo commisére, ad Deum per contritionem & gemitus reverti properent; alii multorum & graviorum rei, antequam se Confessario sistant, tanto se tempore omnimodis probaverint, ut Confessarium ab ulteriori probatione liberâsse videantur. Hinc isthæc Petri de Osma, Salmanticensis Theologi propositio: *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi ante pœnitentiam sibi impositam impleverint*, à Sixto IV. an. 1428. reprobata est. Alexand. VIII. & hanc quoque Propositionem n. 22. notavit: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Prob. 2. pars: Ut quis ad Eucharistiam securè admittatur, certò moraliter constare debet, eum jam verè mundum esse: atqui multi sunt, de quibus id, ne interventu quidem Confessionis, legitimè præsumi possit; putà qui diuturnam peccati consuetudinem habent, qui in proxima delicti occasione versantur, qui rem alienam, moniti licèt, restituere differunt, &c. inde hi omnes competenti tempore probari debent. Ungant ergo qui hujusmodi sunt, pedes Christi, sed non statim ungant caput. Nempe verò S. ait Bern. de B. Magdalena: *Interstitii morositas inter pedes esse debet & caput*, QUIA PROFECTÒ DIFFICILLIMUS ET PRÆSUMPTUOSUS SALTUS EST A VESTIGIIS AD VERTICEM DOMINI TRANSVOLARE. Unde *unxit Maria sanctam Domini verticem, profectò jam electa, jam familiaris effecta, longeque à peccatricis illius obvoluta vestigiis, quàm infelix ille* demonum *septenarius confundebat.*

Obj. 1mo. ex Trid. Sess. 13. c. 7. sufficit, *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*; ergo qui atrociora quæque admisit, ad Eucharistiam, modo hæc confèssus fuerit, accedere potest.

R. neg. ant. Nam definiit quidem sacra Synodus, necessariam esse confessionem ei omni quem gravis peccati conscientia remordet: at nec definiit nec definire potuit, confessionem hanc per se sufficere: porrò inter ea quæ necessaria sunt, & ea quæ sufficiunt, ingens est discrimen. Sine Baptismo v. g. nemo regnum Dei ingredietur, nec tamen ut intret quis in regnum Dei, sufficit Baptismus.

Et verò si valeat objectio, jam facinoroso cuicumque, etiam à sodomia, à bestialitate & similibus recenti, modò largioris mani-

manicæ virũ non dispensatorem sed dissipatorem inveniat, à quo absolvatur, liberũ erit una post hora ad Eucharistiam accedere: atqui id & aures etiã minùs pias offendit, & Patribus adversatur. Hæc illa est, nisi pejor, agendi ratio, quam tantoperè exhorrebat S. Cyprianus; *A diaboli aris revertentes*, aiebat, *ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhulantibus etiamnum faucibus - - - Domini corpus invadunt.*

Obj. 2do. Peccatores, etiam necdum bene purgatos, imò & in eadem crebrò relabentes flagitia, ad Eucharistiæ perceptionem admittunt viri graves; ut Molina Carthusiensis Lib. de Sacerdotio p. 2. c. 6. §. 1. ergo.

R. neg. ant. Non enim verè graves sunt, saltèm in particulari casu, qui adversùs Patrum torrentem [erant enim ii verè & seriò graves] totis viribus renituntur: atqui talis est in citato loco Molina: tales & qui eum sequuntur. Minor patet ex adductis Patrum Testimoniis: quibus & istud addendum ex Isidoro L. de Officiis Eccl. c. 18. *Hoc est indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam*: quæ verba deprompta sunt ex Aug. Epist. 54. atque hic laudandus Molinæ Liber, dum prima parte dignitatem Sacerdotii commendat, quia in ea totus pendet ab ore Patrum; ubi verò ex humana quadam benignitate, pœnitentiæ & communionis intervalla metitur, omnino deserendus est.

CONCLUSIO IV. Qui peccati lethalis sibi conscius est, regulariter ante confiteri debet, quàm vel Missam celebret, vel ad Eucharistiam accedat.

Prob. 1mo. ex Trid. Sess. 13. Can. 11. ubi sic: *Nè tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, declarat Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Prob. 2do. Ad Eucharistiæ confectionem vel receptionem requiritur status gratiæ, de quo certò moraliter constet: atqui licèt status gratiæ, per contritionom haberi possit, non sic tamen ut de eo moraliter constet, & multo minùs cùm negligitur medium graviter præceptum, ut in præsenti.

Atque hinc colliges præceptum confessionis antè Eucharistiam, non esse duntaxat Ecclesiasticũ; sed & quandantenus naturale. Jus enim naturæ postulat, nè quis in re omnium gravissima incerta certis præponat: porrò qui perfecta, quam habere

bere opinatur, contritione confidit, & ideo abjicit confessionem, quæ utique longè tutior est, certis incerta præponit: ergo & hoc sensu jus naturale transgreditur.

Dixi *Regulariter*, quia præceptum confitendi, admittit causas excusantes. Et ideo si desit copia Confessarii, & urgeat celebrandi aut communicandi necessitas, poterit quis etiam non confessus, modò tamen contritus, celebrare aut communicare. Quæ ut ampliùs innotescant.

Dico 1mo. Deest Confessarii copia, seu cùm sinè grandi incommodo adiri nequit; seu, cùm etsi præsto sit, perinde est ac si non adesset.

Hinc Confessario carere censetur, 1mo. qui ob viarum molestiam, asperitatem cœli, distantiam itineris, populi diu expectaturi murmura, Confessarium adire non potest. In quo autem præcisè consistat grande illud incommodum certa lege definiri nequit; quod enim seni gravissimum est, leve est juveni, &c. Cæterum absit nostra hæc decisio spectat eos, qui persisterent * *in concubinatu, ebrietate, vel aliquo alio peccato.*

2do. Cui præsto non est nisi Sacerdos vel excommunicatus denuntiatus; vel carens jurisdictione, seu simplici, quia approbatus non sit, seu necessaria, quia nihil possit in casus reservatos, quorum aliquem incurrerit is qui ad celebrandum tenetur; quia tunc nec à reservatis nec à non reservatis, ob istorum cum aliis conjunctionem, absolvi potest. Sed de his alibi.

Excusantur etiam juxta aliquos à confessione, 1mo. qui licèt Confessarii copiâ habeant, non habent eo quo utiliùs & confidentiùs uti solent; 2do. Qui sinè aliquo Ordinis sui dedecore, gravem, cujus rei sunt, culpam aperire non possunt; putà si fornicatus sit Monachus, nec ad unum è Fratribus suis recurrere valeat; 3tio. Quibus solùm præstò est Minister, quicum inimicitias vel lites gerunt.

Sed malè prorsus. An enim deest Confessarius, cùm suppetit Minister, à quo salutis monita, & absolutionis beneficium recipere possis? An magis infamatur Religiosus Ordo, quia lapsum suum Sæculari detegat Regularis, quàm Ordo simpliciter Ecclesiasticus, quia parem culpam Regulari detegat Sacerdos sæcularis. *Illiacos intra muros peccatur, & extra*: nec sat tribunalis secreto consulunt, qui gemebnnda quadam, pietate, dicam, an arrogantia, tamen generaliter, exclamant. Proh, quantùm apud Regulares mali! An demum, qui munus suum ante altare relinquere debet, ut fratri suo reconcilietur, pro grandi incommodo habebit agendi rationem plenam charitatis, & quæ concordiam revocare possit. Alia longè mens Hiero-

* *Sylvius*

ronymi Ep. 62. *Ignoramus*, ait, *sinè pace communionem.* Alia Chris. qui Homil. 4. de Pasch. agnum esse vult, qui agnum comedit.

Dico 2do. Ut quis absque prævia confessione ad sacra accedere valeat, præter inopiam Confessarii requiritur gravis necessitas; tùm quia grave præceptũ gravũ excusantem causã requirit; tùm quia Trid. cit. c. 7. Sess. 13. urgentem causã, proinque gravem, exigit. Sed nè gravium instar causas assignemus leviores, juvat hic paululùm immorari. Excusat itaque.

1mo. instans mortis periculum. Unde celebrare potest pro virili tamen contritus, quod hic semper supponẽndum, tùm si cui mors inferenda sit, nisi celebret, modò tamen non in contemptum Religionis; tùm & is cujus celebratio necessaria sit ut moribundo viaticum detur. Quin & tunc celebrare posset etiam *excommunicatus*, secundùm Lugo, quod ad * *denuntiatum* etiam extendunt Diana & Quarti. Id tamen vix citra grave scandalum fieri queat, nisi fortè notum sit, excommunicatum hunc omnimodis agere apud Superiorem, ut Ecclesiæ reconcilietur.

2do. Periculum scandali & infamiæ, si nempe futurum sit ut ex celebrationis omissione plebs graviter obmurmuret, ac temeraria multa effutiat de Sacerdote; & is proinde grave famæ suæ detrimentum ferat. Utrumque enim incommodum, cùm charitati insigniter adversatur, impendiò vitandum est. Cavendum tamen nè populi admiratio instar scandali habeatur. Quod enim miretur populus, aut habeat te pro minus devoto, non est malum adeo grave, ait Henric. à S. Ignat.

Si Sacerdos in altari jam constitutus mortalis peccati recordetur; neque vel Confessariũ á quo absolvatur accersere, vel ab altari recedere possit citra infamiæ notam, prosequi debet, præmisso contritionis actu. Unde colligo vix ac nè vix quidem unquam fieri ut qui in Ecclesia publica coram pluribus sacrum facit, Missam abrumpere teneatur; quia vix unquam fiet ut gravi non sit scandalo. Et verò interrogatus, ut certò erit, cur recesserit ab altari, quid tandem dabit responsi? Dicet se correptuũ morbo? mentietur, dicet se inopina perturbatione concussum? quæretur tantæ perturbationis causa, & grave quid conjectabitur, &c. Interim si Sacerdos sinè nota confiteri possit, seu dum habetur concio, seu dum prolixius quidpiam cantatur, erit id faciendum, non tamen post consecrationem, quia, inquit Sylvius, *non expedit sacrificium substantialiter inchoatum sic interrumpere.*

Major est difficultas, si quis vel in Sacello, vel in Ecclesia coram uno aut altero tantùm, qui notæ sint discretionis celebret.

* *Sylvius p.* 344.

bret. De hac id unum statui potest, rarò admodum fieri ut Sacerdos incœptam Missam deserens, nemini sit scandalo, & hinc fortè S. Bonaventura in 4. dist. 3. simpliciter negat teneri Sacerdotem ab altari discedere, ut confiteatur.

Quod de Sacerdote quo ad celebrationem, idem de Laico quo ad communionem dicendum: & is enim, ait Henricus à S. Ignatio n. 684. *dùm sinè nota*, utique gravi, *& periculo infamiæ*, à sacra Mensa abstinere, *non potest*, haud abstinere tenetur. Sed cave, gravem infamiam dixeris, quod quis jam *existens in scamno communionis*, hinc recedat, seu in totum, seu ad tempus. Id enim faciunt ii etiam è Laicis, qui plus pietatis habent, præsertimsi mixta sit pietas grano scrupuli. At de his suprà ubi de Jejunio.

3tio. Excusat à confessione obligatio aliud præceptum præponderans observandi. Qui enim duo simul præcepta servare nequit, illud servare debet, quod, licèt juris sit inferioris, strictiùs obligat, maximè cùm præceptum omissum suppleri potest, prout in præsenti contingit, ubi confessionis defectus contritione compensari potest. Quandonam verò, vel quale præceptum confessionis ante-Eucharisticæ præcepto præponderet, non una est omnium opinio. Prodesse poterit id Libri Synodici Ecclesiæ Nemausensis an. 1284. *Si non possit* Sacerdos *alium Sacerdotem habere cui confiteatur, non celebret, nisi necessitas immineat, quæ sinè gravi scandalo nequeat præteriri, ut si dies festivus advenerit, & populus jam convenerit ad divina, vel corpus alicujus Parochiani defuncti præsens sit in Ecclesia, vel Nubentes ad Ecclesiam convenerint Matrimonium contracturi, propter quæ, ut scandalum evitetur, ipsum oporteat celebrare. In ipsis verò casibus, si veram contritionem habeat Sacerdos de illo peccato mortali in quo est constitutus, & proponat, quàm cito poterit, confiteri alii Sacerdoti: credimus, Magistrorum nostrorum sententiis inhærendo, quòd valeat celebrare: sed si eam contritionem non haberet, nec propositum confitendi, celebrare in his casibus non præsumat, quantumcumque necessitatem vel scandalum videat imminere.*

Idem crediderim, si celebrationis defectus, causa sit cur aliquis raram Jubilæi gratiam consequi non possit. Ut solvantur dubia nonnulla,

Quæres 1mo. Quid juris, si delata ad moribundum Eucharistia, is petita à Ministro reconciliatione, fateatur se crimen aliquod constanter reticuisse: unde iteranda sit ei annorum 20. aut 30. confessio?

R. ut jam alibi, sed paulò latiùs & accuratiùs: Vel æger ad interitum vergit, vel sat virium & temporis habet, ut deinceps

plenè

confiteri valeat. Si I. eliciendum est ab eo quidquid poterit, præsertim quo ad graviora; sic ut nec omnino defatigetur, nec gravis adstantibus ingeratur suspicio. Si II. videndum an legitimo aliquo prætextu, putà animi perturbati, sibique, (quod verissimum esse debet) malè præsentis, receptionem Viatici differre possit; annon differendo gravem subeat boni nominis jacturam. In priori casu dicat ipse, vel ejus nomine alius, mentem haud sibi satis esse liberam, ut jam nunc Christi corpore reficiatur. In posteriori autem conabitur Sacerdos, ut in eo plenam contritionem accendat, & Eucharistiam porriget; deinque ab ægro sub aliquo solatii prætextu revocatus, integram, ut poterit, confessionem ejus excipiet, & absolutionem largietur.

Quæres 2do. An qui inter confitendum peccati alicujus inculpatè oblitus est, illud ante communionem aperire teneatur.

Affirmant penè omnes, & eò usque, ut contraria opinio Dianæ ipsi improbabilis videatur, eamque ex operibus Corneïo expungi jusserit inquisitio Hispanica.

Candidè tamen profiteor me in oppositam sententiam penitùs propendere, quam ut certam vel probabilem tenent Præpositus, Ferrantinus, Hieròn. Garcias, Arriaga, Corneïo, quamque, ceu indubiam habebat P. Gibert, à me olim ea de re consultus; cuï & adhærere vidi homines pietate spectatos & doctrina. Hujus autem opinionis hæc mihi sunt momenta.

I. ideò ad Eucharistiam prærequiretur confessio, ut cuipiam moraliter constet, se cum Deo in gratiam rediisse, idque secundùm leges à Christo Domino sancitas: atqui omnia hæc præstitit pœnitens in proposito casu. At, inquis, manet obligatio confitendi peccati quod oblitus est. Fateor: nec de eo lis movetur. Quæstio est tantùm, an hic & nunc teneatur confiteri. Id verò asseris tu quidem, sed non probas. Quod enim præcipit Trid. ut quis quamprimùm confiteatur, non de eo qui in Tribunali jam absolutus est, præcipit, sed de illo qui ex Confessoris penuria non potuit absolvi.

II. ex majori contra sentientium numero vix certi quidpiam extundi potest, si reipsâ inter se non consentiant: atqui non consentiunt de facto. Alii enim exigunt tantùm ut pœnitens ille ad Confessarium redeat, *si commodè potest*; quod quisque facilè admiserit; qui enim præsentem habet Confessarium, actu confiteri malet, quàm deinceps reverti. Alii novo doloris sensu novaque absolutione opus esse censent. Alii, melius quidem esse volunt ut nova impendatur absolutio: id tamen haud omnino necessarium esse opinantur, quia sufficiat absolutio præcedens. Alii demum & plures ab obligatione ista eum eximunt,

munt, qui jam ſacræ Menſæ aſſidet, propter periculum infamiæ; nec tamen, credo, ea de cauſa à confeſſione eximerent hominem, qui peccatū mortale reticuiſſet. Ex his autem quid certi?

III. non debet graviſſimum onus ſinè graviſſima cauſa imponi: atqui onus ad Confeſſarium revertendi, quoties in memoriam redit culpa vel certò, vel dubiè mortalis, 1mo. graviſſimū eſt, iis præſertim Sacerdotibus, qui cùm nuper generalem confeſſionem emiſerint, novi quid, quod memoriæ exciderit, ſingulis ferè paſſibus detegunt. Vidi ego, qui unius horæ ſpatio quinquies confiterentur, ſibique & Confeſſariis oneri eſſent penè intolerando. Quid de iis igitur qui media leuca diſtant à Directore?

Hic quædam notanda, 1mo. ei qui Confeſſarium adhuc paratum habet, eidem id quô gravatur aperire debere: cùm id nec ſibi, nec aliis, qui adſtant pœnitentibus, oneri erit: quod facilius eſt laico, quàm Sacerdoti; is enim vel ſcrupuloſi, vel fortè depravati notam apud plebem facilè conſequeretur.

2do. noſtrā hanc deciſionem, iis potiſſimùm prodeſſe poſſe qui Sacramenta frequentant, putà qui octavo quoque vel quindeno die peccata confitentur. Si enim oblita peccata confiteri neceſſe ſit, neceſſe etiam eſt obligationem hanc longum in tempus non protrahere. Unde qui raró confitentur, vel ante confiteri debent quàm ad ſynaxim accedant, vel paulò poſt, quia debiti ſolutio diu differri non debet.

3tio. non eandem eſſe omnium, quæ memoriæ exciderunt, peccatorum conditionem; quædam enim talia ſunt, ut ea confeſſis dilata fuiſſet abſolutionis gratia, proinque Euchariſtiæ participatio: abſit autem ut de iſtis loqui velimus. Unde opinio noſtra piis quidem & intelligentibus ſeu Eccleſiaſticis, ſeu etiam Laicis, potiſſimum verò quo ad peccata pridem commiſſa & exoſa prodeſſe poteſt, non cæteris. Hæc interim corde & animo Magiſtrorum noſtrorum judicio ſubjecta eſſe volumus.

Quæres 3tio. an qui jam ſacra celebrans recordatur ſe eſſe in peccato mortali, ſtatim actum contritionis elicere teneatur. R. affirm. quia tanta eſt ſingularum ſacrificii partium dignitas, ut nulla ſit quæ à Sacerdote fœdato congruè poſſit exerceri. Id tamen accipiendum eſt moraliter: haud enim decet ut qui Evangelium legit aut canit, hæreat in medio. Unde ſatius ut elevata tunc quaſi curſim ad Deum mente, proſequatur; & idoneum, brevem nihilominùs, contritionis actum eliciat in fine.

Quæres 4to. an qui prætermiſſa ob Confeſſarii defectum
con-

confessione sacris operatus est, quamprimùm sub gravi teneatur ad confessionem.

R. affirmat. 1mo. quia istud Trid. Sess. 13. c. 7. *Si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*, prætorquam per se præceptum indicat, præceptivè redditur in Rubrica, quæ habet: *Quamprimùm confiteri debet*: atqui in materia secundùm se gravi, qualis est isthæc, præcepta graviter obligant: 2do. quia hæc propositio: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum*, ab Alex. VII. damnata n. 38. rursus à Clero Gallicano n. 82. proscripta est, ut *falsa & perniciosa*; haud utique tam gravibus inurenda notis, si de re levi ageretur.

Quod autem dicit Viva, præcepta hoc nec adstringi laicos, qui ex necessitate citra præviam confessionem, nec Sacerdotes, qui laicorum instar communicant: id, inquam, licèt à Sylvio, aliisque pluribus traditum, mihi & laxius videtur, & periculosum. Ubi enim militat ratio legis, ibi lex implicitè constituta censetur: atqui etsi Tridentina lex de Sacerdote tantùm celebrante loquitur, militat tamen ratio ejus in ipsis eiam Laicis. Quis enim legis hujus finis, is utique, ut nemo gravi culpa ligatus ad communionem, nisi prævia confessione accedat; qui verò secùs ob urgentem necessitatem fecerit, quamprimùm omissionem hanc reparet: atqui hæc etiam in laicis locum habent ergo.

Unde à fortiori colliges, Presbyterum in die Parasceves celebrantem, lege hâc teneri; quia etsi defectu consecrationis sacrificium non offert, dicitur tamen celebrare. Eadem tenentur obligatione, tùm Sacerdos qui ex malitia celebrat non confessus; tùm qui in ipso sacrificii actu mortaliter peccat præsertim ante communionem; tùm qui ad complendum alterius deficientis sacrificium assumitur. Hi omnes actionem Sacerdotis propriam faciunt: priores verò duo haud debent à confitendi lege immunes esse, quia nequiores sunt.

Quæres 5to. an & qualem confessionis post Missam dilationem patiatur vox *quamprimùm*.

R. 1mo. damnatam fuisse tum ab Alexandro VII. n. 93. tum à Clero Gallicano, n. 83. propositionem hanc: *Illa particula*, Quamprimùm, *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.* nec immeritò, 1mo. quia sic impositæ confitendi legis obligatio plures in menses retardari posset: quis autem id dicat *quamprimùm* fieri, quod post tres, quatuorve menses perficitur; 2do. quia vi definitionis Trid. tenetur Sacerdos ille confiteri: atqui si non debeat confiteri, nisi cùm primùm, id

est post tres, quatuorve menses celebrabit, jam corruet obligatio à Tridentino imposita: quia independenter ab ipsa tenebitur ad minus illo tempore confiteri ante aliam celebrationem, videlicet propter mortale nondum Ecclesiæ clavibus subjectum; ergo.

R. 2do. voces, *quamprimùm*, *statim*, *mox*, *incontinenti* & similes, non habere certam significationem, sed ex materiæ & circumstantiarum varietate diversam. Porrò exigit præsentis materiæ ratio, ut vox *quamprimùm*, strictissimo sensu sumatur: unde etsi censent non pauci Sacerdotem hunc confiteri *quamprimùm*, si intra triduum confiteatur; multò æquius est ut & tutius, ut talis Sacerdos, statim ut post celebrationem nactus fuerit copiam Confessarii, confiteatur, ipso etiam celebrationis die, si sinè magna difficultate possit. Idque adhuc certius est, si Confessarius qui finita Missa præsens est, paulò post ad dies aliquot abesse debeat: atque multò magis, si alioqui crastina adhuc die sinè confessione celebrandum esset: quia dilatio, licèt parva quo ad tempus, esset magna in qualitate, quatenus causa foret novæ celebrationis sinè confessione.

Quæres 6to. an frequens confessio, ipsis etiam justis optima sit ad communionem dispositio.

R. affirmat. *Si enim*, ait Trid. Sess. 22. in Decreto de observandis, &c. *necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium - - - satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse ut quanta maxima fieri potest, interiore cordis munditia & puritate peragatur:* atqui interiorem hanc cordis munditiam maximopere juvat confessio frequens, modò piè & sanctè fiat, non ex habitu, & cum modico vel nullo dolore; ut sæpius contingit. Ubi verò moris est ut Sacerdotes, aliive semel vel bis in hebdomada confiteantur, decet maximè, ut quo certiorem faciant Sacramenti materiam, grave aliquod, ut plurimùm tamen quasi generaliter, præteritæ vitæ peccatum accusent.

Quæres 7mo. an possit homo justus aliquando utiliter vel communionem differre, vel eâ privari, ad tempus, ut venialia quædam delicta salubri pœnitentia eluat.

R. affirmat. Quia ipsi etiam sancti olim quandoque communionem distulêre ad tempus; ut venialia quædam eluerent pœnitentiâ. Sic S. Chrysost. teste Palladio, *animo commotiore* ob effusa ab Episcopo in Episcopum alium convicia, *sacrificium offerre noluit*, sed excessit è Basilicâ, ubi vel invitus vesanos clamores audierat. Sic S. Hieron. Lib. adv. Vigilant. de se ipso ait: *Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo*

mo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo, ità totus & corpore & animo pertresmico: porrò quem subrepens iracundiæ motus, nocturnave illusio, quæ sæpius, potissimùm verò in sanctis vacat ab omni culpa, à Martyrum Basilicis arcebat, magis arcebat à communione. Sic S. Carolus Bor. eo quia in ritibus Missæ nonnihil incautus peccasset, multos dies à sacro altari recessit. Hinc mitissimus hominum Franciscus Salesius in Epist. ad Matronam pietate præstantem: * *Quod*, inquit, *Confessario morem gessisti, rectè ac prudenter à te factum est, sive tibi frequentioris communionis solatium eripuerit, ut probaret te; sive quod impatientiæ frangendæ, sanandæque non satis studeres - - tibique in eâ pœnitentiâ, quo ad jusserit, perstandum esse existimo.*

Objiciuntur tria, 1mo. eum qui ab altari recedit etiam ad tempus, peccare contra id venerabilis Bedæ, quod Sacerdotibus in præparatione ad Missam propositum est: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in eo est, privat sanctam Trinitatem laude & gloria*, &c. 2do. justum, qui ut venialia eluat, abstinet à synaxi, plus perdere, quàm lucretur: quia Major ab Eucharistia, quam aliunde profluit gratia; 3tio. posita Conclusione nostra, nemini permittendam fore quotidianam Communionem: cùm enim *septies* in die *cadat justus*; erit ei semper aliquid pœnitentia detergendum.

R. ad 1. Bedam de iis loqui, qui ab Eucharistia præ segnitie recedunt; non de iis qui abstinent identidem ut digniùs recipiant. ** *Si quis* enim, ait aureus Liber de Imit. Chr. *interdum abstinet humilitatis gratia, laudandus est de reverentia* In eundem sensum hanc constituit regulam S. Bonaventura, vir inter extrema certum eligere peritus; *Circa Sacerdotes*, ait Lib. de profectu Relig. c. 17. *potest hæc forma teneri; ut nec nimis raro nec nimis continuo celebrare, vel impræternissè sacram Hostiam studeant immolare. Nimis enim continuò celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam cùm vix aliquis sit tam devotus, qui semper eâdem devotione ferveat, quod semper cum dèbitâ reverentiâ illud faciat & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque quod impediat.*

Ad 2. respondet Author Lib. de Imit. ibid. n. 6. Potest quilibet devotus, omni die & hora ad spiritualem communionem salubriter accedere: *Cùm* ergo *legitimè præpeditus est* sacramentaliter communicare, habendo *semper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi - - - non carebit fructu Sacramenti.* Quibus adde plus ex fervida una communione percipi gratiæ, quàm ex pluribus tepidè, peneque frigidè peractis.

* *Lib. 2. Ep. 39.* ** *L. 4. c. 10.*

Ad

Ad. 3. non jubemus abstineri à sacrâ mensâ propter peccata, quæ ex ignorantia, infirmitate, aut subreptione nascuntur: alioqui cùm in multis offendamus omnes, nemo unus esset, cui rarò etiam ad synaxim accedere liceret. Id unum dicimus, viro vel pio utile esse ut labes suas, eas potissimùm quæ ex majori advertentia contractæ fuerint, & sæpius recurrunt, salubri ad sapientis Confessarii judicium, pœnitentiâ abstergat! exemplo celebris illius Paulæ, quæ, ut in ejus Epitaphio testis est Hieron. *ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.*

Sed hæc nè piæ, quin & crebræ communioni obicem faciant, sedulò legi velim cap. 10. Lib. IV. de Imitatione; cujus doctrinam qui animo imbiberit & corde, nec ad communionem accedet iners & penè frigidus; nec ab ea ex nimia etiam habendæ devotionis sollicitudine diu recedet.

Præter innocentiam vitæ plures alias animi dispositiones requirunt, vitæ spiritualis Magistri. In hoc ordine sunt, 1mo. fides viva, quâ invisibilis tanquam visibilis sustineatur. Unde hic præcipuè servandum id Hebr. 10. *Accedamus cùm vero corde in fidei plenitudine*; 2do. sincera intentio, finis, quem in hujus Sacramenti institutione sibi proposuit Christus. Hunc porrò finem Christus sic expressit Joan. 6. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me*; ergo ut pacti hujus conditiones ex parte sua impleat fidelis, eniti debet ut propter Christum vivat, eo ut sic loquar, gradu, quo se ei Christus tradit; 3tio. effusa in proximum charitas, ità ut antè quis cum fratre suo reconcilietur, quàm munus suum offerat ad altare. Certè, ait Aug. Serm. 272. *qui accipit Mysterium unitatis & non tenet vinculum pacis, non Mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se*; 4to. humillitas ingens exemplo Salvatoris, qui Sacramenti sui institutionem à profundâ ad ipsius etiam Judæ pedes demissione auspicatus est. Dicat ergo etiam justus cum Centurione: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Dicat qui peccaverit, cum Aug. L. 9. Confess. c. 1. *Quis ego, & qualis ego? quid non mali ego!*

§. IV. *De peccato indignæ Communionis.*

Ex dispositionibus modò recensitis, aliæ ad communionem necessariæ sunt *simpliciter*, ut status sanctitatis, aliæ quasi *ad meliùs*, ut immunitas à veniali noxa. De posterioribus istis loquemur Capite seq. de prioribus hic dicendum. Quod ut fiat, expendemus 1mo. an grave sit peccatum Communio indigna;

digna; 2do. an peccatum illud omnium gravissimum sit.

CONCLUSIO I. Immanis peccati reus est, qui mortalis culpæ conscius ad Eucharistiam accedit.

Prob. heu! efficaciùs, 1mo. quia ex Apostolo *judicium sibi manducat & bibit*; quâ voce vix expressior quæpiam fingi potest ad exhibendam sceleris gravitatem, & pœnas inde consequentes; 1mo. qui ex eodem Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sinè ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis ergo putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit?* 3tio. quia graviter utique peccarunt, seu Judæi, qui *genuflexo ante* Christum, *illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum*; & percussâ ejus quam velaverant facie, *interrogabant eum dicentes: Prophetisa quis est qui te percussit*; seu qui eum clavis figebant cruci: atqui facinora hæc æmulantur, qui ad Eucharistiam accedunt indignè. Annon enim dum flectunt genu, cor à Christo aversum gerunt? annon eum rursùs, non ut Judæi qui nesciebant quid facerent, sed scii & volentes, crucifigunt triplici iniquitatis clavo, vitæ nimirum sordidæ, pœnitentiæ larvâ, temeritate communionis?

Obj. 1mo, Eucharistiæ Sacramentum spiritualis est medicina: atqui hæc magis necessaria est peccatoribus quàm justis, secundùm id Mat. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* R. dist. maj. est medicina jam fortium, ut fortiores fiant, C. graviter informorum, N. porrò, ait S. Thomas, *Medicina, quæ datur jam liberatis à febre, ad confortationem, noceret, si daretur, adhuc febricitantibus.*

Obj. 2do. ex Aug. Epist. 54. *Peccata, si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidianâ medicinâ Dominici corporis separare*: atqui pauca sunt lethalia peccata propter quæ homo excommunicandus judicetur; ergo. R. neg. min. ad sensum August. loquitur enim S. Doctor vel de eâ excommunicationis specie, quæ subinde *minor* dicta est: hæc autem propter culpas etiam satis leves, licèt non ob quascumque hujus specei incurrebatur; vel de excommunicatione; id est de separatione ab altari post confessionem præcepta ab Antistite: ita ut sensus sit: Communicet quotidie, quem Episcopus non judicaverit tam graviter deliquisse, ut & à divinis arceri, & pœnitentiæ publicæ addici mereatur. Quòd autem Aug. mortiferum peccatum habuerit ut obicem communioni, declarant hæc ejus verba Tract. 26. in Joan. n. 11. *Videte ergo, fratres, panem cælestem spiritualiter manducate: innocentiam ad altare apportate Peccata - - - non sint mortifera*, &c. & num. 13. *Qui vult vivere* per Eucharistiã,

non

non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur: si pulchrum, si aptum, si sanum, &c.

Obj. 3tio. Contingit quandoque ut peccator peccati sui conscientiam non habeat: atqui non peccat is sumendo corpus Christi. R. bifariam fieri ut quis peccati conscientiam non habeat, 1mo. ejus culpâ, *vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum*, ut si fortificationem simplicem pro levi peccato habeat: *vel quia negligens est in examinatione sui ipsius - - - Et sic nihilominùs peccat peccator* ille *sumens corpus Christi; quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sinè culpa ipsius; puta cùm doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus: & in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest utrùm sit verè contritus: sufficit enim, si in se signa contritionis inveniat; putà si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.* Ita S. Thom. q. 80. art. 4.

CONCLUSIO II. Indigna Eucharistiæ susceptio non est peccatum cæteris quibuscumque gravius.

Prob. quia ut bene S. Thom. ibid. art. 5. *Qui projiceret hoc Sacramentum in lutum; vel canibus ad manducandum, multò gravius peccaret, quàm qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit: quia ille faceret ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento; quod non intendit peccator indignè corpus Christi accipiens.*

Quapropter cùm *peccatum indignè sumentium hoc Sacramentum, comparatur peccato occidentium Christum*, id fit *secundùm similitudinem (quia utrumque committitur contra corpus Christi) non tamen secundùm criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Christum fuit multò gravius:* 1mo. *quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria: hoc autem peccatum est contra corpus Christi in specie Sacramenti;* 2do. *quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo: non autem hoc* indignæ communionis *peccatum.*

Cæterùm docet ibid. S. Thom. ad 2. *tantò magis* peccare indignè communicantem, *quantò peccata* ejus *sunt graviora. Secundùm quid tamen peccatum fornicationis, magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti; in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus carni maximè subjicitur.* Idem dicendum de aliis contra castitatem criminibus. Unde colligo contra Vasquem, eum qui cum multis gravibusque peccatis ad Eucharistiam accessit, teneri ad circumstantiam hanc notabiliter aggravantem in confessione declarandam, saltèm in genere; imò & aliquatenus in specie. Unde si in generali con-

confessione oblitus sit sacrilegæ communionis, non dicet tantùm se in statu lethalis peccati ad Eucharistiam accessisse; sed dicet accessisse se multiplici irretitum peccato, ut luxuriæ, ebrietatis, injustitiæ. Sic enim, & non aliter, sacrilegii ab eodem commissi gravitas intelligetur.

CAPUT SEPTIMUM.

De proprietatibus Eucharistiæ.

EUcharistiæ proprietates, aliæ Sacramentum ipsum respiciunt, aliæ Fideles quorum in gratiam institutum est. Priores spectant Christi in Eucharistia permanentiam, & exteriorem, qui eidem defertur, cultum. Posteriores sunt Sacramenti hujus necessitas, & efficientia.

§. I. *De permanentiâ & cultu Christi in Eucharistia.*

Calvinistæ & Lutherani docent Eucharistiæ Sacramentum esse actionem merè transitoriam, quæ in solâ panis & vini sumptione consistat, sive sub iis sumatur Christi corpus, ut volunt Lutherani; seu idem corpus nonnisi per fidem apprehendatur, ut placet Calvinianis. Sit contra

Conclusio I. Sacramentum Eucharistiæ est aliquid extra usum permanens.

Prob. 1mo. Quia statim ut Christus protulit verba: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, corpus ejus fuit in Eucharistiâ verè præsens: atqui verba hæc ante usum protulit Christus. Minor patet, quia priùs fuit Sacramentum esse, quàm Discipulis porrigi. Prob. itaque maj. tùm quia verba Christi statim ut pronuntiata sunt, vera fuêre; tùm quia dum *accedit verbum ad elementum*, fit Sacramentum, ut docet Ecclesia tota cum Aug. Porrò si per minuta duo stetit Eucharistia ante usum, dicant Adversarii, cur stare non possit per tria & quatuor: rursusque si per hæc, quidni per plura?

Prob. 2do. Ea incunctanter doctrina admitti debet, quæ jam ab Ecclesiæ initio ubique Gentium admissa est: atqui - - - - Prob. min. 1mo. quia, teste in Apolog. 2. Justino, post Liturgiam *Diaconi ad absentes* sacra mysteria deferebant; 2do. quia moris primævi fuit ut magnarum Sedium Episcopi, alii ad alios Eucharistiam in signum Communionis mitterent, ità ut eam ad Asiaticos transmitterent R. Pontifices, prout de * Aniceto erga Polycarpum testatur S. Irenæus in Ep. ad Victorem

* *Euseb. L. 5. 24.*

rem Papam; 3tio. quia etiam in usu fuit ut, nè, imminente à tyrannis morte, sacrum illud munimen deesset Fidelibus, hi secum sacra dona domum asportarent, & privatim sumerent, secundùm id Cypriani Serm. de lapsis: *Mulier quædam, cùm arcam suam in quâ sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est*; 4to. Eucharistiâ Quadragesimæ tempore è Dominicâ in singulos hebdomadis dies ad Sabbatum usque reservabant Orientales, ut ex præsanctificatis communio fieret,; prout apud Latinos fit feria sexta majoris hebdomadæ: atqui ritus ille antiquus, qui Can. 52. Synodi Trulianæ præcipitur, supponit Eucharistiam omni ævo pro re permanenti habitam fuisse; ergo.

Obj. 1mo. Sacramenta non sunt nisi secundùm institutionem Domini, atqui jussit quidem Dominus Eucharistiam distribui & manducari; non autem servari in pixide; ergo. R. neg. min. Christus enim Eucharistiam in usum fidelium omnium instituendo, hanc præcipuâ quadam intentione instituit in eorum usus qui plus eâ indigerent, quales sunt infirmi in ultimo agone contra hostis insidias muniendi: atqui ad hoc necesse fuit illam asservari posse.

Obj. 2do. Opinio Patrum qui à nobis stant damnata est ab aliis Patribus. Sic Clemens Rom. Ep. 2. præcipit, *ut tanta duntaxat in altari holocausta offerantûr, quanta populo sufficere debent: quòd si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore, Clericorum diligentiâ consumantur.* Sic Origenes Homil. 5. in cap. 17. Levit. *Dominus*, inquit, *panem quem Discipulis dabat, non distulit nec differri jussit in crastinum*; ergo.

R. neg. ant. & dico nè unum quidem in tota retro antiquitate esse Scriptorem, qui nobis adversetur. Neque enim nocet 1mo. Clemens Rom. tùm quia ejus non sit quæ objicitur Epistola, ut jam receptum est apud eruditos: tùm quia Pseudoclemens vetat quidem nè plus, quàm præsentibus & absentibus necesse sit, consecrati panis in crastinum reservetur, sed non vetat absolutè nè reservetur. Unde ibidem ait: Ministri *cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, nè qua putredo in sacrario inveniatur, nè cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria*: at quod timere erat putredinis periculum, si nihil servandum fuisset? quæ metuenda portioni Dominici corporis injuria, si quidquid ejus erat, cum timore & tremore consumptû esset?

Non 2do. Origines; quia aliud est Dominum non præcepisse *in crâstinum* differetur panis, quem Discipulis dedit, aliud vetuisse nè differetur. Primum docet Origines, de secundo si-

filet. Cæterorum totus est, pro more suo, eo loci Adimantius, ut allegorias conquirat, quibus probet placere Deo sacrificium laudis recens ac novum, non vetus: hunc in finem utitur exemplis, tùm Domini qui panem à se consecratum continuo manducari jussit; tùm Gabaonitarum, qui in Libro Josue redarguuntur, quòd panes veteres attulissent; ad quod etiam refert eum Evangelii locum, ubi Christus panem in via deferri prohibet: sicut ergo non negat Origines, ab iis qui alioqui inediâ conficerentur, panes differri posse; sic neque negat reservari posse vivificum panem in eorum gratiam, qui alioqui eô privarentur.

Nihilo plus urget quod objicit Kemnitius, moris olim fuise, ut superstites Sacramenti reliquiæ innocentibus pueris vescendæ darentur. Hæc enim objectio nobis ex parte cedit in probationem; quia constat reliquias illas non statim, saltèm ubique, pueris post celebratam Missam traditas fuisse, sed quatuor aut quinque postea diebus. Sic Can. 6. Concilii II. Matisconensis: *Quæcumque*, inquit *reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacraria superséderint, quarta vel sexta feria innocent.s - - - - indicto eis jejunio - - - - conspersas vino percipiant.* Adde id tantùm pueris datum esse, quod superabundare detegebatur; non autem omnes adeò particulas, ut earum nihil pro infirmis superesset.

Conclusio II. Cultus Eucharistiæ ab Ecclesia Catcholica præstitus nihil non habet pii & laudandi.

Prob. 1mo. Cultus ille importat interiorem reverentiam, & ritus exteriores quibus ea declaretur: atqui neutro, ex capite redarguendus venit, sed magis laudandus. Prob. min. 1mo. ex dictis suprà pag. 285. 2do. quia, ut ait Trid. Sess. 13. c. 5. *Æquissimum est sacros aliquos statutos esse dies*, quibus *Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & redemptorem pro tam ineffabili & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur.*

Prob. 2do. Cultus exterior ab Ecclesia Catholica Christo sub speciebus existenti præstitus, in eo consistit, ut circumferatur in processionibus, ut thure & luminibus honoretur, ut coram eo procumbant fideles, prout coram eo vivente procumbebant qui aliquid ab eo expectabant gratiæ: atqui nihil est in his omnibus quod laude dignum non sit. Si enim Deo acceptum fuerit Arcam fœderis solemniter circumferri, 2. Reg. 6. quidni & ei acceptum sit circumgestari Sacramentum, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Si eadem Arca, ut Dei sedes, tanto honore habita fuerit, ut eam tangere, vel propiùs

intueri non liceret; quidni coram Sacramento fument *Sabæi vapores* & accendantur lumina? Certè incensi benedicendi formam exhibent veteres Liturgiæ Basilii & Chrys. idem habet Missale Nestorianorum; ubi *Sacerdos - - - - adorat - - - & thure honorat mysteria*: neque in Oriente tantùm thuris usus erat, sed & in Occidentali Ecclesia. *Utinam*, ait S. Ambr. in Luc. cap. 1. *nobis adolentibus altaria assistat Angelus.*

Objiciuntur quædam, 1mo. adorationem Sacramenti novam esse, ut quæ ab Honorio III. instituta sit; 2do. nihil ex usu thuris aut lampadum primis Ecclesiæ sæculis adhibito colligi posse; cùm hæc usurpata fuerint ob causas merè naturales, putà ut à subterraneis, ubi propter tyrannorum formidinem sacra fieri necesse erat, tenebræ & fœtor abigerentur, prout bona fide agnovit Claudius le Vert; 3tio. usum cereorum pluries culpatum fuisse, ut à Lanctantio. Lib. 6. c. 2. ab Hieron. adv. Vigilantium, ubi cereos coram Martyribus ab iis solum accendi scribit, qui zelum habent, sed non secundùm scientiam, &c.

R. ad 1. neg. ant. non enim instituit Honorius III. adorationem sacrosanctæ illius carnis, quam nemo unquam manducavit, *nisi priùs adoraverit*, ut docet Aug. sed solùm monuit Ecclesiæ Præsides, ut operam darent, nè tantum Sacramentum debito honore privaretur. Quod autem subjungit, plebem frequenter docendam, **ut cùm in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet*, si fortè novum est quoad modum, non certè quo ad substantiam. Sanè in Liturgia Maronitarum clamat Diaconus post orationem Dominicam: *Inclinate capita vestra coram corpore & sanguine Servatoris nostri.*

Ad 2. thuris cereorumque usus partim naturalibus causis, sed & partim solemnitati originem suam debet. Unde insigniter aberravit Cl. de Vert, qui in Ecclesiasticis ritibus nihil non physici admisit. Et verò, si thus non alio fine institutum sit, quàm ut à synaxibus abigeretur fœtor, ut quid solemnis illa incensi benedictio, quæ in antiquioribus SS. Jacobi & Chrysost. Liturgiis perlegitur? Ut quid Pontifex ipse altari thus adolebat? ut quid rarior primis tribus Ecclesiæ sæculis, si quis tamen tunc, thuris usus, etsi eo tunc plus indigerent Christiani, qui tenebrosa magis latibula inquirere cogebantur? &c.

Ad 3. carpit Lactantius eos, qui Deo cereorum lumen offerebant, quasi dator lucis luce indigeret, prout indigent terreni dii: hæc porrò stoliditas, mali paganismi mala progenies, adeò evanuit, ut nulla ullibi supersint ejus vestigia. Idem Hieronymi sensus: invehitur nempe in eos, qui Martyres cereo-

* *De celebr. Miss.* c, 10.

reolis illustrare credebant, aut credere fingebantur à Vigilantio. Hinc in ipso contra Vigilantium Libro: *Absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Quæres an passim & pro nutu Sacramentum exponi possit. negat. R. 1mo. enim requiritur gravis causa; nè, ut ait Synodus Mechliniensis an. 1570. *nimia frequentia minuat reverentiam*: & ità statuit Clerus Gallican. annis 1625. & 1635. Est autem publica causa quæ ad bonum publicum conducit, putà Religionis. 2do. requiritur expressa Diœcesani Episcopi facultas: ità sanxerunt in Ritualibus Libris, & in Comitiis generalibus Gallicani Præsules, quorum placita ut firmaret Ludovicus Magnus, suo an. 1665. decreto vetuit, nè Sacerdotes seu sæculares, seu regulares ineant contractus fundationum, quibus statis diebus, SS. Sacramentum exponere teneantur, nisi pro causa publica, eaque ab Episcopo approbata.

Quæres 2do. an ad restinguenda incendia, turbinesve avertendos corpus Christi deportare liceat. R. id prorsus illicitum esse, 1mo. quia id prohibuêre sapientissimi quique Antistites, ut S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolanensi III. 2do. quia licèt nonnunquam, ad Eucharistiæ præsentiam extincta sint incendia, teste Merbesio, contingere tamen potest, ut non extinguantur: tunc autem deperit aliquid pietati, non in hæreticis tantùm & perditis hominibus, sed & in mulierculis, aliisque id genus, qui de rerum sanctitate ex eventu judicant; 3tio. quia fieri nequit in tumultu incendiis annexo ut debitus tanto Sacramento honos impendatur.

§. II. *De necessitate Eucharistiæ.*

Supposita quam alibi tradidimus necessitatis definitione & divisione, quæritur an Eucharistia necessaria sit, 1mo. necessitate medii; 2do. necessitate præcepti, & qualis; 3tio. quando & quoties; 4to. an sub utraque specie.

An Eucharistia infantibus necessaria sit.

Not. Eucharistiam recipi posse, vel in re, cùm de facto recipiuntur sacræ species; vel in voto, seu desiderio. Votum autem aliud est explicitum, quò directè & formaliter desideratur receptio Sacramenti distinctè cogniti; aliud implicitum, quò desideratur in genere receptio rei omnis à Deo ad nostram san-

ctificationem institutæ. Utrumque istud voti genus, vel est personale, cùm à persona propriæ actionis capace elicitur; vel alienum, cùm ab alio tanquam sponsore elicitur pro iis, qui ejusdem eliciendi capaces non sunt.

His positis jam liquet Eucharistiam ipsis etiam infantibus aliquo sensu, latiori tamen posse dici necessariam in voto: *Quatenus*, ait Sylvius, *cùm Eucharistia sit finis omnium Sacramentorum; omnis autem res inclinatione quadam, seu desiderio propendeat in suum finem, is qui baptisatur, quasi ipso pondere & inclinatione gratiæ baptismalis propendet in perfectam unionem cum Christo, quæ habetur per Eucharistiam.* Sed quæritur an non Eucharistia in re necessaria sit; affirmant Græci aliqui recentiores: eamque fuisse veteris Ecclesiæ mentem lubenter asserunt Calviniani, ut eam erràsse probent. Sit

CONCLUSIO. Nemini, ac proinde nec infantibus Eucharistia necessaria est necessitate medii, seu in re, seu etiam in voto propriè dicto.

Prob. 1. pars. Si Eucharistia infantibus in re ad salutem necessaria foret necessitate medii, infantes etiam suscepto Baptismo morientes, ab æterna beatitudine excluderentur: atqui contrarium docent, 1mo. Scriptura; juxta quas *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*; prout sunt *quicumque in Christo baptisati, Christum induêre*; 2do. constans Traditionis vox; quàm firmavit vel ipse, qui plus negotii facessit Aug. Sic enim habet Ep. 90. n. 10. *Valebit* parvulo *Sacramentum* Baptismi, *ad ejus tutelam - - - & tantùm valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita migraverit, per ipsum Sacramentum - - - ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur.* & L. 1. de peccat. meritis, &c. c. 19. *Si parvulus percepto Baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat:* atqui in his textibus & liberatio á reatu originis, & quæ ipsam consequitur gloriæ participatio uni Baptismo tribuitur; ergo.

Præceptori suo concinit S. Fulgentius; is nempe interrogatus de salute juvenis cujusdam Æthiopis, qui Baptismô tinctus antè decesserat, quàm Eucharistiâ reficeretur, sic respondet: *Arbitror, disputationem nostram præclari Doctoris Aug. sermone firmatam; nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæcu-*

lo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Qui textus eò gravioris est momenti, quòd & thesim nostram continet, & petitas ex Augustino difficultates elevat.

Prob. 2do. ratione: I. nemo est qui credat Eunuchum Candacis Reginæ, de quo Act. 8. non fuisse, à Philippo ad ejus salutem specialiter misso, iis omnibus donatum, quæ ad vitam æternam requiruntur: atqui Eunucho Baptismum quidem contulit Philippus, sed non Eucharistiam, quam tamen apud suos haud facilè recepturus erat.

II. Si judicasset Ecclesia Eucharistiam medium esse ad salutem omnino necessarium, nec morem ejus cum Baptismo tradendæ mutâsset, nec administrationem illius tam cautè Presbyteris, & ad summum Diaconis reservâsset: quin & ipsis mulieribus, eandem, non secus ac Baptisma in casu necessitatis conferre permisisset: atqui nihil horum fecit, sed contrarium.

Prob. 2. pars. Eorum quæ in voto necessaria sunt hæc est conditio, ut non differantur dum haberi commodè possunt, vel saltèm ut diutissimè non differantur. Utrumque patet in Baptismo, & in Pœnitentia: qui enim horum voto reconciliati sunt, neutrius in re susceptionem diu, aut saltèm diutissimè differre possunt. Atqui tamen Ecclesia diutissimè, nimirum ad 12. & 14. annos, & eo plus, Eucharistiæ administrationem differt baptisatis; imò nec eos ante sufficientem rationis usum salutari eo Viatico reficit in periculo mortis; ergo nec ipsi pro se, nec pro ipsis Ecclesia votum habet Eucharistiæ.

Dixi, *in voto propriè dicto*; nihil enim vetat, quin Eucharistia latiùs dicatur necessaria in voto, tùm suprà exposito sensu, qui juxta Sylvium est S. Thomæ; tùm & quatenus qui baptisantur, generalem per se aut per alios habent voluntatem id omne adimplendi, quod à Christo præscriptum fuerit. Verùm generalis illa voluntas respicit omnia Christi præcepta: hic autem loquimur de speciali necessitate.

Obj. 1mo. Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: unde sic. Illud est medium ad salutem absolutè necessarium, sinè quo vita haberi non potest: atqui, &c. R. dist. min. sinè Eucharistia vita haberi non potest ab infantibus, N. ab adultis, subd. plena & perfecta, C. inchoata & saluti sufficiens, seclusis scilicet negligentia & contemptu, N. Itaque est quidem Eucharistia medium ordinarium obtinendæ illius fortitudinis per quam invitis hostium conatibus pervenitur usque ad montem Dei: sed non ideo prorsus necessaria est ad eam justitiæ substantiam. quæ obtinendæ saluti sufficiat. Siquidem, aiebat Christus Marc. ult. v. 16. *Qui crediderit & baptisatus*

tus fuerit, salvus erit: sed non omnes qui hactenus verè crediderunt, & baptisati sunt, Eucharistiam recepêre; ergo stat quempiam salvari, nec tamen Eucharistiam recipere.

Inst. Citata Christi verba, nec minùs generalia sunt, nec minorem important necessitatem, quàm isthæc, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: atqui, &c. R. neg. maj. nam 1mo. aliud est dicere: *Nisi quis hoc fecerit*, aliud: *Nisi hoc feceritis*. Primum omnes complectitur, nè excepto quidem infante, *cujus est unius diei vita super terram*. Secundum ad eos tantùm pertinet qui audiunt, quique præcepti & annexæ ei comminationis sensum intelligere possunt; 2do. non est certior verborum Christi interpres, quàm Ecclesia: hæc autem constanter iis cœlum asseruit, qui cum baptismi gratia, licèt sine gratia Eucharistiæ, è vivis raperentur.

Obj. 2do. Ut Eucharistia infantibus necessaria dicatur, sufficit, ut Ecclesia iis Eucharistiam per 12. sæcula tradiderit; nec tradiderit, nisi quia eam ipsis necessariam judicavit, non necessitate præcepti, cujus parvuli sunt incapaces, sed necessitate medii: atqui Ecclesia, &c. R. neg. min. non enim magis, quia tunc una cum Baptismo daretur Eucharistia, judicare potest eam fuisse necessariam, quàm quia tunc daretur Confirmatio, hanc prorsus necessariam fuisse judicari possit: atqui. &c. ergo dicendum cum Trid. Patres probabilem dandæ pueris Eucharistiæ causam habuisse, at id eos nulla salutis necessitate fecisse credendum est.

Inst. 1mo. Quæ pari loco Baptismi & Eucharistiæ necessitatem habuit, Eucharistiam medii necessitate necessariam esse judicavit: atqui Ecclesia pari loco, &c. Prob. min. ex S. Innocentio I. Ep. ad Patres Concilii Milevit. *Illud veró*, ait, *quod eos*, Pelagianos, *vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sinè Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sinè regeneratione defendunt, videntur ipsum Baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi Baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.*

Hanc Innocentii definitionem crebrò commemorat Aug. putà Lib. 1. contra Julian. c. 4. ubi hunc sic alloquitur: *Sancto Innocentio vide quid respondeas - - - qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere*

non

non posse. Huic responde, imò ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est Testimonio. Et Lib. 3. contra eundem: *An dicente Christo: Si non manducaveritis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dicturus fueram parvulum habituram vitam, qui sinè isto Sacramento finisset hanc vitam?* Ex iis sic disputo: Qui defectu Eucharistiæ à vita æterna excluduntur, sicut defectu Baptismi à regno cœlorum, iis non minus necessaria est Eucharistiæ receptio, quám Baptismi: atqui ex citatis Patribus infantes defectu Eucharistiæ excluduntur, &c.

R. ad 1. neg. min. propter rationes in præcedenti responsione allatas. Ad 2. dist. maj. qui defectu Eucharistiæ excluduntur á vita, his necessaria est Eucharistiæ receptio vel sacramentaliter, vel spiritualiter, C. sacramentaliter absolutè, N. duplex est Eucharistiæ manducatio, altera sacramentalis, qua corpus Christi oraliter percipitur; altera spiritualis, per quam fit quis spiritualiter pars corporis Christi, & membris ejus sociatur, ut loquitur Aug. Lib. 3. de peccat. meritis, &c. Fateor SS. Patres posteriorem hanc manducationis speciem ipsis etiam infantibus necessariam judicasse; nec immeritò, cùm vitam habere nemo queat, nisi Christo incorporatus fuerit: at contendo simul, illam, secundùm Patres, obtineri per ipsam Baptismi receptionem, sinè actuali & orali Eucharistiæ receptione: 1mo. enim loquitur Innocentius de certo manducationis genere, quod ipso *Baptismate conferendum* fit, & non aliter: porrò manducatio sacramentalis Eucharistiæ per Baptismum præcisè & simpliciter non habetur; 2do. Aug. ipse disertè mentem exerit L. 3. de peccat. meritis, &c. c. 4. *Nonne veritas sinè ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptisatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur.* Hîc, juxta Aug. parvulis & aliis quibuscumque ad salutem sufficit, ut non sint *præter*, seu citra *corpus Christi*: atqui ex eodem Aug. iidem parvuli dum *Sacramento Baptismatis imbuuntur*, non sunt sinè corpore Christi; quia per ipsam Baptismi receptionem incorporantur Ecclesiæ; id est, corpori Christi; ergo eo ipso jus habent ad salutem.

Inst. 1mo. atqui loquitur Aug. de manducatione sacramentali, ut parvulis necessaria; ergo.

Prob. subs. loquitur August. de manducatione quæ spectat majores ætate ut & parvulos: atqui manducatio, quæ majoribus necessaria est, est manducatio vera & oralis, ergo.

R. ad 1. neg. subs. ad 2. dist. loquitur Augustinus de man-

ducatione quæ ſpectat majores ut & parvulos; ſecundùm aliquem modum, C. quæ ſpectat - - - omnimodè, N. Manducatio Euchariſtiæ parvulos & majores æquè ſpectat hoc ſenſu, quòd nec parvuli, nec majores vitæ æternæ capaces ſint, niſi in Baptiſmo ſpiritualiter & aptitudinaliter manducent corpus Chriſti; ſed aliunde infantes à majoribus inſigniter differunt: hi enim ſi ſacramentaliter manducare negligant, id quod ſpiritualiter manducârunt in Baptiſmo, indubiè pereunt: atqui idem de infantibus dici non patitur Auguſtinus. *Abſit*, enim, ait S. Doctor, *ut eſſe nobis dicamus incertum, utrùm* parvuli, ſtatim ut in Chriſto ſunt *regenerati, ſi moriantur, tranſeant in æternam ſalutem.*

Inſt. 2do. Qui Sacramenta duo diſtincta vult infantibus neceſſaria eſſe ad vitam, ille loquitur de Euchariſtia tam realiter infantibus quàm adultis neceſſaria: atqui S. Aug. vult, &c. Prob. min. 1mo. ex c. 24. L. 1. de peccat. meritis, ubi S. Doctor ait plurali numero, quòd *nonniſi* PER HÆC Baptiſmi & Euchariſtiæ SACRAMENTA *peccati reatus in parvulis ſolvitur*; 2do. c. 21. ejuſdem Libri, ubi neceſſarium dicit illud *Sacramentum ſanctæ menſæ, quò nemo ritè niſi baptiſatus accedit.* Jam verò in hypotheſi noſtra, neque neceſſaria forent Sacramenta duo, ſed ſufficeret unum, Baptiſmi ſcilicet; nec ex his unum neceſſaria foret diſpoſitio ad aliud *ritè* ſuſcipiendum; quia uno recepto totum reciperetur; ergo.

R. diſt. maj. qui vult, infantibus neceſſaria eſſe Sacramenta duo, tùm quo ad ſignum ſenſibile, tùm quo ad rem ſeu effectum, C. quo ad effectum duntaxat, N. Igitur docet quidem Aug. infantes duplici indigere Sacramento quo ad rem, ſeu effectum, quia juxta Theologiam ejus neceſſe eſt, ut infantes & regenerentur, & Chriſto incorporentur: at poſteriorem hunc effectum, licèt participatio corporis & ſanguinis Domini vocetur, per ſolam Baptiſmi ſymbolum haberi diſertè aſſerit. *Manducare*, inquit Tract. 26. in Joan. *illum cibum, & illum bibere potum, eſt in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere.* Quapropter requiritur quidem Baptiſmus ad Sacramentum ſanctæ menſæ, ſed non neceſſariò requiritur ſignum exterius ejuſdem ſanctæ menſæ ad conſequendum ejus effectum: iis enim in mente Aug. ab ipſo etiam Baptiſmo derivatur.

An neceſſaria ſit Euchariſtia ex præcepto.

Rem totam bina propoſitione complectimur.

CONCLUSIO I. Euchariſtiæ perceptio neceſſaria eſt neceſſitate præcepti divini.

Prob.

Prob. 1mo. ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, &c. atqui hæc Christi verba præceptum continent, & quidem grave, utpotè sub interminatione mortis æternæ; ergo.

Prob. 2do. Eucharistia cibus est ad vitæ spiritualis conservationem institutus: atqui jure divino tenentur fideles eniti ut spiritualem vitam sibi conservent; ergo.

Obj. 1mo. Si Eucharistiæ præcepto teneantur adulti, vel baptisati, vel non: atqui neutrum dici potest. Non 2. quia qui Eucharistiæ recipiendæ capaces non sunt, nec ejus recipiendæ lege teneri possunt. Non etiam 1. præcepta enim Christi quamprimùm impleri debent: atqui tamen non patitur Ecclesia ut pueri jam adulti Eucharistiam statim recipiant.

R. neg. min. pro utraque parte, & ad 1. dico adultos omnes etiam minimè baptisatos Eucharistiæ lege teneri, sicut tenentur Baptismi lege; quia sicut omnes ligat hæc Christi propositio, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. ità & adultos ligat isthæc: *Nisi manducaveritis*, &c. quæ non ad solos Fideles, sed ad omnes qui audiebant, directa est à Christo.

Nec obest quòd non baptisati Eucharistiæ incapaces sint: quia penes eos est ut recepto Baptismate capaces fiant. Quòd si nullam Baptismi notitiam habent, tunc nonnisi materialiter ad ejus receptionem obligantur.

Hinc inferes Cathechumenum, qui in exitu vitæ Baptismum & Eucharistiam voluntarié omittit, duo committere peccata, quia duo violat præcepta.

Ad 2. dist. maj. præcepta Christi quamprimùm impleri debent, cùm impleri possunt ut decet, C. secùs, N. Ut autem ritè adimpleatur communionis præceptum, necesse est ut homo se ipsum probet, & corpus Domini dijudicare possit: porrò prudenter judicavit Ecclesia non posse id fieri primo quasi rationis diluculo. Satius ergo, nisi immineat periculum mortis, judicavit expectandum donec judicium maturescat; quod anno circiter 14to. evenire consuevit. Qui verò piè dispositi ultra illud tempus Eucharistiam protrahunt, non sunt à culpa immunes. Peccant quoque, & multò graviùs, seu parentes, seu Pastores, nisi curent, ut crescente cum annis rationis lumine crescat affectus erga tantum Sacramentum.

Obj. 2do. Si extaret divina lex de Eucharistiæ usu, hæc utique fixo tempore obligaret; præsertim autem in articulo mortis: atqui nè hoc quidem tempore urget præceptum communionis: Alioqui peccaret Ecclesia Gallicana, quæ Eucharistiam reis morte afficiendis denegat, &c.

R. neg. min. & dico 1mo. divinum de communione præceptum obligare aliquando *per accidens*, quando medium il-

lud necessarium est ut gravi cuipiam tentationi resistatur; aliquando *per se*, non solùm semel in vita ut malè dixit Cajetanus, sed pluries in decursu vitæ: quia Eucharistia per modum cibi ad nutriendam spiritualiter animam instituta est: porrò ea est cibi conditio, ut non semel, sed pluries sumatur.

Dico 2do. communionis præceptum obligare in articulo mortis: si quando enim urget hujus Sacramenti recipiendi obligatio, tunc utique quando major est ejus necessitas: nulla autem gravior esse potest, quàm in articulo mortis: unde pendet æternitas tota, & gravior imminet lucta cum hoste.

Dico 3tio. haud tamen argui posse Ecclesias, quæ seu reis, seu certorum criminum consciis Viaticum negarunt olim, aut hodieque negant; quia cùm ex Trid. Sess. 21. c. 2. Christus hanc Ecclesiæ potestatem concesserit, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, quæ Sacramentorum venerationi expedire judicaret, potuit hæc pro jure suo seu seros pœnitentes, seu sontes morti destinatos à sacra synaxi arcere. *Credibile*, ait Contenson. *Patres nostros piis rationibus permotos morem illum* dandæ reis morti adjudicatis Eucharistiæ *abrogâsse; tùm ut illa subtractione aliis criminosis timor incuteretur, & ea pœna, quæ Christianis maxima est, à peccandi facilitate cohiberentur: tùm quia experientia rerum magistra compererunt, rarissimè hujusmodi sceleratos ad dignam communionem satis esse compositos, qui de salute animæ parum solliciti, & crimen inficiari, & actores odisse, & testes infamare: & judices detestari usque ad locum supplicii sæpius solent.*

Quæres 1mo. an Viatici recipiendi lege teneatur, qui paulo ante morbum communicavit. R. affirm. tùm quia eo inclinat communis, saltèm in his partibus, fidelium sensus; unde nemo Sacerdos Viatici receptionem omittere ausit, quia ante aliquot dies sacrum fecerit: tùm quia certum non est per actum minimè præceptum satisfieri præcepto. Neque ideo Sacerdos qui primo manè in loco profesto sacrum fecerit, tenebitur deinceps audire Missam, cùm venerit ad locum, ubi Festum agitur; quia universali Doctorum consensu receptum est, ut qui Missam, seu hac die præceptam sciret, sive non, semel audiit, ab illa rursus eadem die audienda immunis sit.

An qui manè communicavit, seu ex devotione sola, seu ut Paschali præcepto satisfaceret, eadem die, si ad interitum vergat, per modum Viatici communicare debeat, expendi Tom. 2. *Tract. de Præcept. Eccl. c. 5. ad quæst. 14.* Hic addam, secundam hanc communionem non præcipi quidem, sed permitti in Rituali Argentinensi.

Quæ-

Quæres 2do. an qui communionem fecit ſacrilegam in exitu vitæ, denuò communicare teneatur.

R. 1mo. eum non ſatisfeciſſe præcepto Viatici, ſicut nec ſatisfacit annuæ communionis præcepto, qui ſacrilegè communicavit; ut liquet ex cenſura hujus propoſitionis: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Et verò ideo laxiores Caſuiſtæ, præcepto commmunionis annuæ per impiam communionem ſatisfieri docuerunt, quia inquiebant, modus præcepti ſub præceptum non cadit: atqui hæc ratio prorſus abſurda eſt, & quo ad Viaticum, quia indubiè Chriſtus eam præcepit communionis ſpeciem, quâ muniretur infirmus contra inſidias inimici, & quæ ſalutis arrha foret; & quo ad communionem annuam: 1mo. quia Eccleſia diſertim præcipit, ut omnis fidelis adultus corpus Domini ſemel in anno, idque in Paſchate *devotè & reverenter* accipiat; ergo reverentia & devotio, quæ ſunt modi hujuſce præcepti, ad ejusdem ſubſtantiam pertinent, 2do. quia Eccleſiaſticum annuæ communionis præceptum, eſt tantum præcepti divini determinatio quo ad temporis circumſtantiam; ergo in eo imbuitur ratio tota præcepti divini; atqui præceptum divinum eam exigit communionem in qua homo ſe ipſum probaverit; ergo.

Obj. Qui in ſtatu peccati baptiſatur, ſatisfacit præcepto de recipiendo Baptiſmate, etiamſi non obtineat finem propter quem inſtitutus eſt Baptiſmus; ergo à pari.

R. 1mo. neg. ant. qui enim malè affectus baptiſatur, recipit quidem Baptiſmum; at ſi propriè loqui velis, non ſatisfacit præcepto Baptismi, quo vera & interior, non autem materialis aquæ receptio imperatur: imò præceptum Baptiſmi tranſgreditur, quia nihil tam prohibetur, quàm quod ille facit. Equidem non jam amplius baptiſari poteſt, ſed non quia legem Chriſti impleverit, bene verò quia Baptiſmus etiam malè ſuſceptus caracterem imprimit, vi cujus iterari non poteſt. Unde

2do. neg. conſeq. Baptiſmus enim quocumque modo receptus ſemper boni aliquid in animâ operatur; Euchariſtia verò indignè ſuſcepta, nihil præter animæ mortem. Præterea Baptiſmus reviviſcere poteſt per ſincerum de peccatis dolorem; unde aliquando ſaltem prodeſſe poteſt: at non reviviſcit Euchariſtia, ut ſuprà probavimus.

Ergo qui indignè Viaticum recepit, ad novam ejus receptionem tenetur: ſed quia vix id fieri poſſit citra ſcandalum, & gravis ſuſpicionis notam, ideo communiter receptionis hujus omiſſio ingenti animi dolore, & ſubmiſſâ ægritudinis perpeſſione compenſari debet. Idem eſt eâdem de cauſâ, ſi æger poſt acceptum Viaticum in gravem culpam labatur: at ſi aliquot diebus,

manen-

manente eodem mortis periculo supervixerit, expedit Viaticum ad eum deferri, sæpius enim ut dixi, in eodem letali morbo ministrari potest non jejunis.

Quæres 3tio. quid in præsenti per articulum mortis intelligatur. R. intelligi non tantum morbum naturalem, sed & imminens aliunde periculum mortis, ut si instet prælium, aut subeundum sit mare procellis famosum.

Quæres 4to. an qui in prædictis casibus officio suo culpabiliter defuit, teneatur quamprimùm communicare. R. negat. quia præceptum erat duntaxat pro articulo mortis; ergo eo cessante, cessat & præceptum: quo ferè modo qui homini ad extremas augustias redacto stipem negavit, haud eam tenetur largiri, si evanuerit casus extremæ necessitatis. Aliud est de præcepto annuæ communionis, ut dixi Tom. 2.

CONCLUSIO II. Eucharistiæ receptio est etiam necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici.

Prob. 1mo. ex Concilio Lateran. IV. an. 1215. ubi sic c. 21. *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno,, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioqui & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur & moriens Christianâ careat sepulturâ.*

2do. ex Trid. Sess. 13. Can. 9. ubi: *Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexûs, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit.*

3tio. tenentur omnes Eucharistiam manducare spiritualiter ut Christo incorporentur: hæc autem spiritualis manducatio sincerum Eucharistiæ percipiendæ votum includit: atqui fictum & fallax esset votum quod non impleretur, saltem quando id impleri exigit Ecclesia; ergo.

An frequens Eucharistiæ receptio necessaria sit, & quibus consulenda,

Notum quot turbas concitârit, qui an. 1745. prodiit Liber inscriptus: *L'Esperit de Jesus Christ & de P Eglise sur la frèquente Communion.* Quædam cum ipso & plura contra ipsum statuemus. Sit

CONCLUSIO I. Laudabilior est frequens Eucharistiæ usus, quam rarior. Prob.

Prob. Si perfectius esset abstinere, quam accedere, haud utique frequentiam desideraret Ecclesia: atqui tamen communionis frequentiam impensè desiderat Ecclesia, positis nimirum ponendis, de quibus infra. Prob. min. ex Trid. Sess. 22. c. 6. ubi sic: *Optaret sacrosancta synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione comunicarent, quò ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret.* & Sess. 13. c. 8. *Paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur ---- hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus eâ fidei constantia eâ animi devotione, ac pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.*

Prob. 2do. ex celebri Decreto quod de frequenti communione an. 1679. die 15. Febr. emisit Innocentius XI. ubi sic, *Etsi frequens quotidianusque sanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesiâ probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab eâ abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt*, &c, ubi. *frequens quotidianusquè Eucharistæ usus* ut quidpiam à SS. Patribus *semper in Ecclesiâ probatum* exhibetur. Idipsum an. 1437. docuerat Synodus Basileensis: *Quod autem*, inquit, *sæpe accedere ad Eucharistiam percipiendam digne & devoté & cum discussione debita sit utile & valdè proficuum, imo summé necessarium cupienti & desideranti in viâ Domini non regredi, sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, obsecrant incessanter fidelem populum.*

Prob. 3tio. Eo sanctior est praxis quæque, quò plus ad Apostolica tempora regreditur: atqui constat Apostolicis, & quæ eis viciniora fuêre, temporibus frequentem fuisse Eucharistiæ usum: 1mo. enim priori Ecclesiæ sæculo Fideles *erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus*; seu ut fert versio Syriaca: *In communione sanctæ Eucharistiæ.*

2do. Justinus qui altero Ecclesiæ seculo vixit, in Apologiâ 2. *Solis qui dicitur die*, nunc Dominico, *omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit --- & distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ* CUIQUE PRÆSENTI, *absentibus autem per Diaconos mittitur.*

3tio. Cyprianus qui circa medium sæculi tertii Carthaginensi Ecclesiæ præerat, in expositione orationis Dominicæ: *Eucharistiam*, inquit, QUOTIDIE *ad cibum salutis accipimus*, &c.

CONCLUSIO II. Non est tamen absolute necessaria ad salutem communio frequentissima.

Prob.

Prob. 1mo. Si ad salutem necessaria foret frequentissima aut quotidiana communio, gravi defuissent officio, tum priores illi Eremorum incolæ, qui rarissimè accedebant ad Eucharistiam; tùm sancti Ecclesiæ Doctores, qui illos ab hâc suâ agendi ratione non deterruerunt; atqui id seu de Ægypti ac Thebaidos Angelis, seu de SS. Patribus suspicari nefas fuerit: ergo. Tota propositionis hujus difficultas in ipso facto versatur: de hoc autem audiatur Chrisost. Hom. 17. in Epist. ad Hebr. sic ille: *Multi semel, in anno sacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii sæpius: ad hos ergo omnes mea convertitur oratio: Nec solùm ad eos qui hic adstant sed ad eos etiam qui in eremo degunt quippe qui semel tantùm in anno, plerumque etiam post duos annos sacrâ communione impartiuntur, Quos igitur potissimum laudabimus? an qui semel? an qui frequentiùs? an qui rarius communionem adeunt? Neque hos, neque illos; sed eos demum qui cum puræ mentis conscientiâ; qui mundo corde: ac vitâ integrâ atque inculpatâ Christi corpore reficiuntur. Tales semper accedant; ceteri nec semel accedant.* Hùc referri possint Thaidis, Mariæ Ægyptiacæ, & similium exempla.

Prob. 2do. ex S. Aug. Epist. 118. c. 3. ubi libratâ duorum agendi ratione, quorum alter ad Eucharistiam reverenter accedit, alter pari reverentiæ sensu accedere dubitat, sic concludit: *Faciat unusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum: Alter dixerit: Non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes diverso & quasi contrario modo*: atqui in systemate apposito, non honorificaret Dominum qui Centurionis exemplo à Christi corpore recederet; quia non honorat Dominum qui legi divinæ deest; ergo.

Prob. 3tio. ex SS. Scholæ Doctoribus, hi enim varia statuunt principia quibus fictitia perpetuæ communioninis necessitas subvertatur. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 1mo. *Si aliquis quotidie ad hoc se paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat --- sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indispositionem corporis vel animæ non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum: unde in Libro* Gennadii *dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

S. Bonaventura in 4. dist. 12. *Si quæritur utrum expediat fre-*

frequentare Eucharistiam alicui; Dicendum quod si quis videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare: Si autem in statu Ecclesiæ finalis * *, utpotè frigidum & tardum, laudandum est quód raró: Si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare ut addiscat revereri, aliquando accedere ut inflammetur amore.* Idem Lib. 2. de profectu Religionis c. 77. *Vix*, inquit, *aliquis ita religiosus esse videtur & sanctus* [*exceptis Sacerdotibus*) *quin semel in septimanâ sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, vel infirmitas superveniens, vel singulariter festivitas solemnis.*

Albertus L. de Missâ, in fine: *De his*, inquit, *qui mulieres omni die communicant, videtur quód acriter reprehendendi sunt, quia nimio usu vilescere faciunt Sacramentum, & potiùs ex levitate mulierum putatur esse desiderium, quàm ex devotione causatum.* Unde sic: Prædicti Doctores ad crebram communionem pro virili hortantur: nec pro adversariis ejus haberi possunt: atqui nè unus quidem eam divino jure præscriptam asserit; etsi ex hâc divini juris assertione haud parum roboris sumpsissent eorum adhortationes; ergo divini juris obligationem nè eorum quidem unus cognovit. Ergo sapienter constituit in cit. Decreto Innocentius XI. ut *Episcopi & Parochi seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino.*

Prob. 4to. ex censuris quas contra prædictum opus tulêre plures Galliarum Episcopi, quibus unanimi consensu applausêre saniores Ordinum omnium Theologi.

Obj. 1mo. Joan, 6. caro Christi dicitur animæ cibus: atqui cibus animæ ut & corporis frequentissimè sumi debet; ergo.

R. 1mo. ex hoc raciocinio constat, Euchariſtiam, non modo quotidie, sed & in die pluries sumendam esse, prout tempore S. Francisci Borg. docuisse perhibentur Hispani quidam Doctores.

R. 2do. dist. maj. est cibus animæ, sed qui aliis mediis compensari potest, ut in Solitariis Ægyptiacis indubiè compensabatur. Itèm est cibus sed qui semel piè & fervidè acceptus plus prosit, quàm pluries si languidè & ex habitu. Itèm est cibus, cujus familiaritas nimia contemptum, aut contemptui quidpiam affine parere possit. Denique est cibus, qui nec modicas, nec admodum frequentes in suscipiente dispositiones requirit, C. est cibus instar corporalis cibi, N. Nulla est hujus solutionis pars quæ partim ex dictis, patrim ex dicendis non innotescat.

* Ecclesia *finalis* non dicitur quæ senescit: *quòd enim senescit prope interitum est*, Hæbr. 8. sed ea in qua longe minus reperire sit fervoris, quàm in primitivâ Ecclesiâ.

Inſt. Chriſtus ibid. v. 49. & 50. Euchariſtiam cum mannâ comparat: atqui manna neceſſarius omnino erat cibus Iſraelitarum in deſerto; ità ut ſinè ipſo vitam conſervare prorſùs non potuiſſent; ergo à pari.

R. diſt. maj. comparat Chriſtus Euchariſtiam cum mannâ quantùm ad aliquid, C. quantùm ad omnia, N. Conveniunt Euchariſtia & manna, 1mo. ratione originis, quia uterque cibus erat è cœlo; 2do. ratione aliqualis effectûs, quia ut conferebat manna ad nutrimentum corporis, ſic & ad ſpiritalis vitæ augmentum confert Euchariſtia. Verùm differunt, 1mo. quantùm ad neceſſitatem. Alioqui ſicut deficiente, ſibi etiam invincibiliter manna, periiſſet Hæbræus, ſic deficiente etiam citra ſui culpam Euchariſtiâ, periret Chriſtianus: quod hactenus nemini venit in mentem; 2do. penes legem recipiendi: unde Iſraëlita, qui multos dies à colligenda mannâ abſtinuiſſet, ſuî homicida ab omnibus judicatus eſſet; Fidelis verò ad longum etiam tempus à participandâ Euchariſtiâ abſtinere aliquando poteſt, prout contingebat Solitariis, quos laudat Chryſoſtomus. Et verò mannæ defectus nullo alio cibi genere ſuppleri poterat in deſerto: Euchariſtia verò ſuppleri abſolute poteſt, ſeu communione ſpirituali, ex quâ non rarò uberes fructus capiunt, qui ab orali abſtineant; ſeu charitatis eximiæ operibus, quæ gratiam accerſunt & conſervant, ſecundum id Chriſti Joan. 14. *Siquis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.*

Obj. 2do. Parabolam hominis, illius qui Luc. 14. & Matth. 22. *fecit cœnam magnam & invitavit* multos: ii verò cum variis de cauſis adeſſe renuiſſent, *iratus* eſt graviter *Paterfamilias*. Ex iis ſic: Cœna de quâ hîc agitur, Euchariſtici convivii figura eſt luculenta: atqui cœnæ hujus participatio divino jure præcipitur, & quidem ſub comminatione interitûs æterni; ergo.

R. 1mo. neg. maj etſi enim cœna illa in ſenſu morali de Euchariſtico convivio intelligi ſolet, conſtat nihilominùs eam in ſenſu proprio de vocatione ad fidem, & ex conſequenti ad futuram gloriam intelligi debere, uti poſt Origenem, Hilarium, Hieron. & alios docent Cornel. à Lapide, aliique melioris notæ Interpretes. Et verò ad Euchariſtiam non invitantur, ac multo magis non compelluntur boni & mali: atqui tamen ſervi Patris familias ad convivium ejus congregaverunt omnes quos invenerunt: *bonos & malos*, ibid. v. 10. ergo. Hâc poſitâ ſolutione evaneſcit tota objectio. Dato tamen, quod Lucæ parabola de Euchariſtiâ intelligi poſſit.

R. 2do. conc. totum. Quid inde? communio Euchariſtica præcipitur divino jure: fateor? ergo præcipitur quotidiana, frequen-

quenſve, vel frequentiſſima: non ſatis video unde id eruatur. Si hinc, quòd Euchariſtica cœna, non ſemel, ut nuptiale Evangelii convivium, ſed quotidie celebretur; ergo, inquam, non modò diebus ſingulis, ſed & eâdem die pluries communicandum erit. Interim qui crebram ſacræ cœnæ frequentationem tantoporè urgent, meminerint eum, qui convivii nuptialis aulam ingreſſus eſt *non habens veſtem nuptialem, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores* immiſericorditer fuiſſe proiectum.

Obj. 3tio. Primi Chriſtiani ſingulis diebus Euchariſtiâ reficiebantur, ut liquet ex Act. 2. atqui praxis hujus neceſſitatem ab Apoſtolis didicerant Chriſtiani, Appoſtoli autem à Chriſto ergo.

R. neg. min. aliud eſt enim praxim aliquam ſervaſſe, aliud eandem ſervaſſe ut neceſſariam, & à Chriſto per Apoſtolos imperatam. Singulis ergo diebus ad Euchariſtiam acceſſiſſe Chriſtianos omnes, non refragabimur: etſi acceſſū hunc metaphyſicè ſumptum non exigat litera Scripturæ: At eos praxim hanc ut neceſſariam ſibique divinitùs imperatam ſervaſſe, probari non poteſt. Ceterum quibus *cor unum erat, & anima una*, qui in oratione & doctrinâ Apoſtolorū perſeverabant, qui omnibus fortunæ bonis cedebant, qui ſolo matyrii ſpiritu accenſi erant, haud mirum, ſi quotidianæ panis fractioni ideoni forent.

Obj. 4to. Canon 9. inter eos qui Apoſtolici dicuntur, ſic habet: *Quicunque Fideles Eccleſiam ingrediuntur, & non communicant. eos tanquam, qui ordinis in Eccleſiâ perturbationem inducant, à communione arceri*, id eſt, excomunicari *oportet*; ergo.

R. Canonem hunc *ſic* habere; *Quicunque Fideles Eccleſiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud preces & ſanctam communionem permanent*, ſeu, ante ſacrificii finem ab Eccleſiâ egrediuntur, *eos tanquam*, &c. inde autem quid contra nos, quid pro adverſario?

Objiciuntur alia quædam, & 1mo. id S. Ignatii Martyris Epiſt. 14. *Feſtinate frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei*; 2do. id Cypriani Serm. 6. de Orat. Dominicâ: *Hunc panem dari nobis* QUOTIDIE *poſtulamus, né qui Euchariſtiam* QUOTIDIE *ad cibum ſalutis accipimus, intercedente graviori delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Idem. docet Anacletus Papa Epiſt. 1.

R. ex his textibus alii indicant frequentem communionem aliquando fuiſſe in uſu, quod nemo in dubium vocat; alii optatum ſemper in Eccleſiâ fuiſſe, ut Fideles crebro ad ſacram menſam accederent; quod etiam admittunt omnes, at nè unus quidem ex iis eſt, qui divini præcepti neceſſitatem demonſtret.

Ceterùm spurii sunt textus, tùm afictæ Ignatii Epistolæ, tùm & illius quæ præfert nomen Anacleti: idque jam adeò eruditos inter receptum est, ut mirum sit quemquam hic cæcutire.

CONCLUSIO III. Ut quis frequenter & frequentissimè communicet, non sufficit ut à peccato mortifero immunis sit.

Prob. 1mo. argumento quodam præscriptionis. Opinio, quæ statim ùt sæculo proximè elapso in Hispanis, nostro autem in Galliâ emersit, à Theologis primum, tùm & ab Episcopis rejecta est, utique rejici debuit; neque enim tam unanimi consensu distlantur quæ nihil habent periculi: atqui opinio quæ fideli cuique, modo à letalibus peccatis immuni, quotidianam, frequentissimàmve communionem permittit, statim ut emersit, in Hispaniis quidem decimo sexto sæculo, in Galliis autem ætate nostrâ, rejecta fuit, &c.

Prob. I. pars minoris ex Card. de Lugo, qui Marzillæ Benedictini, P. Pichon antesignani opinionem non tantùm, sed & veterum, recentiorùmque nomine feliciter impugnat disp. 17. n. 13. ubi adductis SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, Victoriæ, &c. autoritatibus sic prosequitur; *Uno verbo* OMNES THEOLOGI *Scholastici Morales, & Mystici, inter quos M. Joannes de Avila* contrarium tenent. *Omitto Authores nostræ Societatis, quæ licèt ab ejus ortu in frequentiam hujus Sacramenti valdè fuerit propensa, semper tamen cautissimè communionem quotidianam dari voluit,* ET NON NISI PROBATÆ VITÆ ET EXIMIÆ VIRTUTIS TESTIMONIO PRÆEUNTE.

Prob. 2. pars minoris ex densa illa Scriptorum nube, quæ, nemine quo ad præsens punctum reclamante, prædictum nuperi Authoris Librum obruit, ut norunt omnes. Jam verò credibile non est * *Scholasticos & Doctores gravissimos*, tot itèm magni nominis Præsules, *sinè firmissimo fundamento in hanc* nostram *sententiam conspirâsse*, Christi & Ecclesiæ ejus spiritum ignorâsse, omnesque cæcutiisse in re aperta, dum unus aut alter Scriptor clarè oculis viderent.

Prob. 2do. ex S. Chrys. quem in sui juvamen temerè assumebat. Sic ille Homil. 17. in Ep. Hebr. *Quando dicit* Diaconus: *Sancta sanctis, hoc dicit; Si quis non est sanctus, non accedat: Non simpliciter dicit, à peccatis mundus, sed sanctus: sanctum enim non mundatio peccati tantùm facit, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum opulentia. Non enim, inquit, volo à cœno vos mundos esse, sed etiam albos & pulchros.*

Concinit Gennandius Lib. de Eccles. dogmatib. c. 53. ubi trita hæc habentur: *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus*

* *Lugo.*

bus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sinè affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quàm purificari - - - Hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant; ergo qui Peccandi affectu tenetur, licèt à capitalibus immunis sit, nè ad hebdomadariam quidem synaxim admitti debet.

S. Aug. Tract. 26. in Joan. hæc loquitur: *O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! Qui vult vivere, incorporetur ut vivificetur - - - Non sit putre membrum quod resecari mereatur. Non sit distortum de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat corpori, vivat de Deo, nunc laboret in terra ut postea regnet in cœlo.* Jam verò qui à mortali noxa liber est, etsi putre membrum non sit, distorti tamen aliquid habere potest; neque si aliquo sensu sanus sit, est tamen verè pulcher; ergo ut minimum distat ab eo statu qui frequentem communionem admittit.

S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. 1mo. *Quia*, inquit, *multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Atqui nemo dixerit, nomine *magnæ devotionis & reverentiæ* intelligi solam lethalis peccati carentiam, cùm hæc admisceri possit tepiditati maximæ, nec affectui solùm, sed & actuali proposito innumera peccata venialia deliberatè committendi. *Ego sanè*, ait Lugo, *istam magis dicerem indevotionem & irreverentiam, quàm magnam devotionem & reverentiam.*

S. Bonav. in 4. dist. 12. *Secundùm illam partem, secundùm quam viderit* Christianus *se meliùs proficere ad illam magis declinet, quod homo solùm experientia discit. Omnes ergo rationes pro frequentia* communionis *intelliguntur salva debita præparatione, quæ in paucissimis est:* atqui non esset in paucissimis debita hæc præparatio, si in omnibus etiam laicis à lethali peccato ritè absolutis reperiatur.

Prob. 3tio. Hactenus tota in Ecclesia persuasum fuit, aliis ad frequentem communionem opus esse dispositionibus, quàm ad raram: atqui communis hæc fidelium persuasio novo quod impugnamus systemate convellitur.

Prob. 4to. Eucharistia comparatur pani: porrò qui ardenti febre quatiunrur, abstinent à pane. Qui à morbo convalescunt, sumunt modicum. Qui valetudine sunt integra, eundem pro cibo ordinario habent; ergo à pari. Unde si metuendum est, nè dæmon à frequentiori communionis usu præcellentes quasdam animas deterreat; haud metuendum minus

nè ad eam multò plures, vel pessimè, vel non æquè dispositas inducat.

Prob. 5to. *Utrùm singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus* communicare *magis expediat*, quàm non, *certa omnibus regula præscribi non potest*, ex Catechismo Pii V. atqui adversarii unam hinc omnibus regulam assignant; ut qui sinè lethali est, accedat, recedat verò qui non est; ergo labilem ac caducam regulam præbent.

Obj. 1mo. S. Chrys. Orat. de B. Philogon. hæc habet: *Qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus* ad Eucharistiam *accedere*; ergo ad quotidianam communionem sufficit sola à gravibus peccatis immunitas.

R. neg. conseq. ea enim nullius mali conscientia quam requirit S. Doctor, multiplici stipata est dispositione, quam non importat sola à gravioribus vitiis immunitas, ut liquet, ex ipso textu: *Quapropter*, pergit, *adhortor vos omnes, nè negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis, sed* SI QUANDO *parabitis hujus sacræ hostiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per pœnitentiam, precationem, eleemosynam; denique per hoc ut vacetis spiritualibus*, &c. Ad hanc normam explicari debent alii quidam S. Doctoris textus, quibus, præsertim decurtatis, pronum sit abuti.

Obj. 2do. S. Ambr. L. 5. de Sacram. c. 4. n. 25. hæc habet: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt?* ACCIPE QUOTIDIE, *quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum - - - Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus: medicina est cœleste & venerabile Sacramentum*: atqui hîc supponit Ambrosius solam à lethalibus culpis immunitatem satis esse ut quis Eucharistiam quotidie percipiat. Supponit enim S. Doctor, eos quos ad communionem adhortatur, vulneratos esse, peccatis scilicet venialibus: sed qui venialibus gravantur, unum à gravibus culpis immunitatem ad Eucharistiam deferre possunt; ergo.

R. 1mo. Vel ex objecto textu conjiciunt Benedictini, Libros de Sacramentis non esse Ambrosii, sed posterioris cujuspiam Scriptoris, cujus ævo longè plus intepuerit communionis usus, quàm Ambrosii tempore; etsi jam tùm minui incipiebat.

R. 2do. ad 1. neg. min. Hæc enim Authoris vox: *Sic vive, ut quotidie merearis recipere* * etsi quo ad sonum brevis, plura eaque magna complectitur, Certè sanctitas Job, qui quia *pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium*, Eucharistiæ sacrificio

* *Ibid.*

lon-

longè inferius. Christianis in exemplum proponitur ab Ambrosiastro, non in sola à gravibus peccatis immunitate posita erat.

Ad 2. supponit quidem Author, eos, quos ad communionem hortatur, vulneratos esse, quia sunt *sub peccato*: verùm ad id necesse non est, ut eos venialibus peccatis ex affectu adhærere supponat, proinque non alterius participes justitiæ, quàm quæ lethalis peccati statum excludit: sed satis est ut supponat, neminem eorum esse, quem non premat durum illius concupiscentiæ imperium, quæ ad malum sanctos ipsos indesinenter sollicitat. Absit autem ut eos omnes qui hoc modo vulnerati sunt, ab ipsa etiam quotidiana communione arceamus: alioqui ex Adæ filiis nemo foret, qui ab ea non mereretur excludi.

Obj. 3tio. ex Aug. Serm. 28. de verbis Domini: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Quibus consonat id Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Ephes. *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti: sed solùm animæ sinceritas atque expurgatio: cùm tali puritate accede semper; sinè hac nè præsumas unquam*; ergo.

R. Hæc omnia debere intelligi cum S. Bonav. *Salva semper debita præparatione, quæ in paucissimis est, ut semper.* Suadent ergo Sancti frequentem communionem; sed & simul debitas dispositiones exigunt, juxta laudatum istud: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Fateor solam temporis dilationem per se non conferre ad meliorem præparationem, nec frequentiam reddere minùs aptum, imò potiùs magis, per se loquendo; per accidens tamen potest alicui occasionaliter frequentia parere irreverentiam.

Quod autem dicitur, eum qui non est dignus quotidie, non esse dignum post annum, etsi in iis verum est, qui vel indignitatem suam falsò prætendunt, vel ex torpore & socordia nihil moliuntur unde dignos se præstent, quosque hic perstringit Augustinus: at in aliis pluribus falsum esse potest, qui cùm hodie sint indignissimi, seriis tamen pœnitentiæ laboribus, & vigili ad singulos suos gressus attentione, dignos se præstant cum tempore. *Cæterùm*, ait Lugo, *licèt aliquis post annum non sit dignus condignitate adæquationis, potest tamen accedere sinè indecentia, quæ esset, si cum eadem tepiditate accederet quotidie: quia post annum datur gravior necessitas, quâ excusatur & compensatur illa reverentia.*

Obj. 4to. Ex principiis nostris sequitur hominem eò sanctiorem esse debere, quò frequentiùs ad Eucharistiam accedit; atqui id admitti non potest. Alioqui vix è Sacerdotibus quisquam erit, cui singulis diebus sacrum facere liceat.

R. ad 1. neg. min. sicut enim frequens communio uberioris

sanctitatis principium est, sic & sanctitas plenior ad crebram communionem dispositio esse debet: & id disertè docet jam citatum istud: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

Ad 2. constat è Sacerdotibus esse non paucos, quibus cessatio à Missa sit in præcepto, alios quibus eadem cessatio ad tempus optimi sit consilii, quales sunt quibus ex nimia celebratione imminet * *culpabiliter, vel inculpabiliter periculum irreverentiæ & indevotionis.* Habent tamen Sacerdotes, ** unde cum pari dispositione frequentiùs sacrum facere possint, quàm Laici communicare, imò. quia in eis ardoris defectus, per majorem quàm ex officio habent celabrandi obligationem compensatur: cùm enim ipsius Ecclesiæ nomine à qua pro populis oraturi deputantur, celebrent, certam ab Ecclesia ipsa recipiunt puritatem, vi cujus Deo acceptiores efficiuntur; 2dò. quia ratione status mentem habent expeditam à pluribus, quæ Laicis obicem præstant, putà à sæcularibus curis, ab uxore, à filiis, &c.

CONCLUSIO IV *** Etsi certa pro omnibus lege definire non potest, an communio frequentior esse debeat, an rarior: at illud definiri potest, à frequenti communione arcendos esse, qui licèt nulla lethali labe infecti sint, ex affectu adhærent peccato veniali, vel modicum Eucharistiæ desiderium habent.

Prob. Circa frequentiam communionis nulla potest lex sanior constitui, quàm quæ à prudentioribus animarum directoribus constituta sit & approbata: atqui lex quæ ab octidua aut frequentiori cummunione eos arcet, qui vel ex affectu adhærent venialibus, vel nullam aut modicam Eucharistiæ famem habent, & à prudentioribus, &c. Prob. min. ex S. Francisco Salesio, cujus doctrina circa præsentem materiam eo usque comprobata est, ut non jam privati Scriptoris, sed Ecclesiæ ipsius sensum exhibere videatur. Sic porrò habet ille part. 2. Introduct. ac. 20. *Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo, si tamen mens sine affectu peccandi fuerit - - - At certis Philothea, Augustinum,* sub cujus nomine sententia illa circumferri solebat, cùm sit Gennadii, *vehementer suadere atque hortari, ut die quoquo Dominico Eucharistia percipiatur. Hoc ergo, quo ad poteris, facito. Cùm enim te* AB OMNI *tùm mortalis, tùm* VENIALIS PECCATI STUDIO *alienam existimem, eam plane quam requirit Augustinus, animi affectionem ac præparationem es adepta.*

Idem Lib. 2. Epist. 38. aliis 44. nobilis puellæ communiones dirigens, sic scribit ad matrem ejus. *Nolim filiam tuam ad frequentem adeò communionem adducas, nisi antè quid si* com-

* *Lugo* ** *Idem* *** *sup. p.* 540.

communio frequens rectè perpendere noverit. Aliud est communionem ab aliarum rerum perceptione; aliud frequentem communionem à rariori secernere. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebriùs adeundum magna mentis puritate, magnoque fervore opus esse, si ad eum enitatur, & eo se ornare studeat, tunc equidem illam sæpe, hoc est decimo-quinto quoque die, ad synaxim admovendam esse censeo. Si verò communionis tantùm percipiendæ, non autem, levium juventutis imperfectionem expungendarum studio tenetur, arbitror futurum satis ut octiduis singulis peccata confiteatur, sed nonnisi postmensem communicet. Nimirum sacra communio summum est perfectionis comparandæ medium: at eam à nobis adiri oportet cum studio & cura è corde nostro avellendi quidquid Deo, quem recipere volumus, displicet. His quæ thesim nostram continent regulis inhæreant spiritualis vitæ arbitri, brevì sanè fiet ut eos inter nihil remaneat controversiæ. Idem tradunt Avila, Lud. Granatensis, &c.

Prob. 2do. Ideo communionem frequentissimam tam enixè commendant Adversarii, quia hanc contra hujus vitæ lapsus antidotum esse credunt: atqui communio eorum qui culpis venialibus ex affectu adhærent, certum id genus antidotum non dabit: 1mo. enim non muniet contra eos lapsus quibus communicans ex affectu inhærere supponitur; imò ex hac præsertim parte deficiet, & fructum pariet minorem; 2do. Nec tàm certò contra eas etiam culpas muniet, quibus mens affectu non adhærescit, quàm credunt adversarii. Communio enim quæ ex defectu communicantis plus ad malas communiones disponit, quàm ad bonas & omnimodè salutares, haud certa munit contra culpas: atqui talis est communio frequens tepidè, segniter & languidè facta. Communio enim quæ penè vitiosa est ob aliquem devotionis & reverentiæ defectum, quam antecedit & comitatur culpa multiplex, cui timendum à finè venialiter malo; plus utique ad malam aliam, quàm ad verè & omnimodè sanctam communionem disponit: atqui talis est, plus vel minùs, frequens eorum communio, qui venialibus plus vel minùs ex affectu adhærent; ut docet Card. de Lugo; ergo.

Prob. 3tio. Si Christi & Ecclesiæ spiritus quotidianam, aut valdè frequentem, iis qui ex affectu venialibus culpis adhærent, communionem concedat, ac penè præcipiat, Directores qui propter venialia sola absolutionem & communionem differunt, non immeritò dicuntur Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta perimere: atqui tamen damnata est à Doctoribus Sorbonicis ad minus centum, instigante S. Pontii Episcopo, pro-

positio isthæc n. 8. *Illi Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta abolent, qui personis venialium duntaxat reis absolutionem differunt*, damnata inquam, uti *falsa, erronea, & praxi, sanctisque Ecclesiæ regulis adversa*; ergo.

Obj. 1mo. Non est arcendus à communione, is cui communio prodesse possit, non autem obesse: atqui homini, etiam ex affectu venialibus addicto, prodesse potest communio frequentissima: non autem obesse. Et quidem 1mo. non oberit: Sola enim obest communio sacrilega: atqui hominis justi communio, tepida licèt, sacrilega non est; 2do. & consequenter proderit: Communio enim cùm remissis dispositionibus facta, aliquem, remissum licèt, effectum parere debet.

R. 1mo. neg. maj. 1mò. Quia in Sacramentorum dispensatione non ad solam suscipientium utilitatem attendendum est sed ad ipsam quoque Sacramentorũ venerationem: unde Ecclesia nec parvulis, nec fatuis Eucharistiam quotidie distribuit, quia quòd dedeceret venerationi Sacramenti, non compensaretur suscipientium utilitate: atqui frequens eorum communio, qui in venialia ex affectu perpetuò relabuntur, de veneratione Sacramento debita multùm detrahit, seu ex parte frequenter communicantium, qui *appropinquare* Deo *volunt, quasi gens quæ plenam justitiam fecerit*; *seu* ex parte eorum qui frequentis hujus communionis testes, nullius testes sunt emendationis, sed eundem semper superbiendi, alios durè carpendi, ac mentiendi, ac detrahendi morem, in levibus licèt, indignabundi conspiciunt: 2do. quia qui certiori via ad eundem, imò ad meliorem scopum devenire potest, ab ea recedere non debet, ut incertiorem aliam teneat, præsertim cùm hæc non parum habet periculi: sed qui minùs frequenter, sed piè magis communicat, plus inde recipit emolumenti, quàm qui frequenter & languidè: aliunde verò posterior iste multiplici se periculo obnoxium facit. Unde

R. 2do. neg. min. Qui enim tepidè, segniter, tantùmque non sacrilegè communicat, accedit ad ordinem eorum qui opus Dei faciunt negligenter: hi porrò positivè maledicti sunt.

Obj. 2do. Qui venialibus ex affectu adhæret, ad annuam communionem admitti potest; ergo & ad menstruam. Si ad hanc; ergo & ad octiduam, octiduaque frequentiorem.

R. 1mo. Pio Directori satagendum esse, ut Pœnitentem quacumque anni tempestate à venialium affectu dimoveat; cùm hæc, etsi per se non inferant animæ mortem, ad eam tamen sensim, & aliquando citissimè disponant. Unde dilata tunc absolutio congruit Ecclesiæ praxi, ut ex allata Sorbonicorum censura colligi potest.

R.

R. 2do. Communionem, quæ semel tantùm in anno recurrit, etsi ob ipsam hanc infrequentiam non uni obnoxia sit incommodo, eo saltèm minùs habere periculi, quòd nec funestam nauseam pariat, nec noxiam familiaritatem inducat, nec vanitatem nutrire idonea sit. Aliud est de crebra hominis admodum languidi communione, ut monet Lugo.

Obj. 3tio. Si à crebra communione removeri debeat, qui venialibus adhæret, vix justiores quique ad eam erunt admittendi: falsum consequens. Minor patet ex Ecclesiæ praxi. Prob. itaque major. Constat justiores quosque offendere *in multis*, putà vaniloquio, impatientia, nimia curiositate, potissimùm autem otioso verbo: sed qui tam crebrò ex habitu in certa peccata labuntur, iisdem adhærent ex affectu;

R. ad 1. neg. maj. Justi enim quos indigitat objectio, provident *Dominum in conspectu suo semper*, verentur *omnia opera* sua, *ab occultis suis* mundari student, sibique *ab alienis*, quibus occasionem imprudentes fecere, parci enixè deprecantur: atqui hi, licèt adhuc *in multis*, offendant, non tamen ex affectu. Unde

Ad 2. neg. min. Aliud est enim peccare venialiter, & quidem sæpissime, aliud affectu ad venialia detineri. Prius inadvertentiam, subreptionem, meramque naturæ infirmitatem sonat: posterius certam denotat ex inordinata complacentia peccato adhæsionem. Priori igitur modo peccant quidem viri etiam pietate pollentes, quia homines sunt, infirmo adhuc & mortali corpore circumdati: at posteriori modo non peccant; & nedum ex affectu ad venialia peccata delinquant, ii sunt qui jure cum Apostolo dicere possint: * *Quod nolo malum, hoc ago.* Et hæc eorum dispositio hinc elucet, 1mò. quia quotidianas culpas quotidianis student eluere gemitibus, eodemque ferè instanti & cadunt & resurgunt; 2do. quia declinandis ejusmodi peccatis incumbant jugiter, & ad id media assumunt aptissima, sensuum nempe mortificationem, occasionum fugam, & similia; 3tio. quia si quid ipsis exciderit unde charitas fraterna ledi vel leviter queat, id extemplò congrua satisfactione resarciri curant. Jam verò haud dicimus veniales, quæ quotidie irrepunt, culpas, obicem esse frequenti communioni, sed affectum ad ipsas: quod maximè attendendum.

Obj. 4to. Sanctitas alia est *præcepti*, quæ in actuali à lethalibus immunitate sita est; alia *consilii*, quæ etiam venialia excludit, & actualem fervoris dispositionem importat. Hac posita distinctione sic progredior: ut quis dignè communicet, sufficit ut sanctitatem à Christo imperatam possideat: sed qui à gravibus immunis est per absolutionem, habet illud sanctitatis

genus: ergo dignè communicare potest. Si hodie: quidni cras & deinceps?

R. 1mo. Distinctionem sanctitatum, quarum altera quæ mortalia excludat, sit præcepti; altera verò quæ venialia abigat, sit consilii, novitatem esse profanam. Nulla enim est sanctitas peccatum excludens, quæ strictè imperata non sit, licèt non omnis hujusmodi sanctitas absolutè requiratur ad communionem.

R. 2do. dist. maj. sufficit ut possideat sanctitatem imperatam, sed sanctitas illa non sufficit ut frequens ejus communio libera sit á pluribus periculis, quæ seriò caveri debent, C. & sufficit ea sanctitas, &c. N. Qui conscientiam gerit à gravibus immunem, haud equidem in communione singulari sacrilegium committet. At si sæpius ad sacram mensam in eo statu accedat, multiplici se se periculo exponet, irreverentiæ nimirum, nimiæ cum cœlesti pabulo familiaritatis, &c.

Ex his meritò colligas, sibi plurimùm illudere Christianos plures, Sacerdotes etiam & Religiosos, qui quoniam à mortalibus abstinent, idoneos ad frequentem, fructuosamque communionem existimant. *Si nosse cupis*, ait Taulerus Serm. 1. in Festo venerabilis Sacramenti, *utrùm dignè hoc Sacramentum perceperis*, ? *vide si cor tuum magis ab omnibus abstractum sit extra Deum*: *& si vita, quam ipsum* idem Sacramentum *in te operatum est, foris appareat, & operetur in exteriori homine tuo, in sensibus, in moribus, in conversatione, in verbis, in actibus tuis - - - Quod quisquis in se non sentit, sed potiùs cor suum vanitati & otio deditum, ac vacuum, & se dissolutum extrinsecùs, ac levem in risu, in verbis, in cultu corporis, stoliditati quoquè vacantem, ac pretiosissimum per immoderatas sui recreationes perdentem tempus; & cor denique suum misérè negligentem invenit, atque sciens & spontè talis perseverat, ac nihilominùs hoc reverendissimum accedit Sacramentum, magno se periculo exponit. Credite, mihi, ut stomachus cibum inconvenientem rejicit, sic* rejicit *Dominus Deus ejusmodi hominem ex ore suo*; *multoque* magis *præstaret ei non accedere*.

Ergo inquies, *arcendi sunt à sacra communione, quibus non inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*, Absit: neque enim tanta perfectio præsentis est vitæ, secundùm id Aug. L. de spir. & lit. c. ult. *Hoc præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, in illa vita implebimus, cùm videbimus facie ad faciem*: at si vitam cujuscumque mixtionis, seu venialis noxæ expertem agere non datur, penès nos tamen est ut certo sensu immaculatam ducamus; juxta istud ejusdem S. Doctoris L. de perfect.

sect. justit. c. 9. *Ingredi sinè macula non absurde ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens corrigere, & mundare eleemosynis,* aliisque pœnitentiæ operibus: quo sensu idem Pater Lib. 2. de peccat. merit. c. 7. scribit nonnullos *ideò verè irreprehensibiles dici, quia seipsos reprehendunt.*

Præsenti materiæ finem impofituri, generales quasdam tradimus regulas, quæ ut animarum Directoribus prosint, haud sigillatim spectandæ eruntaliæ ex aliis metiendæ.

REGULA I. Circa rariorem, frequentioremve communionis usum, una hæc simplicium fidelium lex esse debet, ut reseratis animæ suæ penetralibus sapienti Directori, consilium ejus exquirant; & sequantur. » At ubi Directorem hunc sapientem » reperies? rarum hunc tempore suo dicebat S. Franciscus Salesius, & adeò rarum, ut unus ex millibus decem eligendus » foret. Minusne rarus nostro hoc tempore? Inveniuntur ta» men qui tales sint, nec difficulter cognoscuntur: dummodò » de illis, juxta Evangelicas Apostolicasque regulas, discretionis » judiciū feratur. « Ità *Guido de Seve, Atrebatensis Episcopus Reg.* 27. quibus adde, ei præsertim Directori adhærendum esse, qui neo via incedet asperiori, quæ animos frangit, nec laxiori, quæ ducit ad perditionem.

REGULA II. Quod ad ipsos Directores attinet, cavebunt sedulò, nè indiscretis sermonibus à frequenti commmunione retrahant; » tùm quia populus nostro hoc sæculo multò magis » inclinat ad raritatis, quàm ad frequentiæ vitium; tùm quia, » cùm, ut plurimùm, ad frequentiam non declinent nisi pii & » timorati, istis nocebunt, nihil autem aliis proderunt ejusmodi » declamationes: unde ab hebdomadaria synaxi recedent, qui » eam dignè frequentabant. « Hinc graviter vetuit S. Carolus Borr. nè quis Fideles à crebra communione removeret. Imò enitendum Pastoribus ut eò gregem suum deducant: persuasi nimirum, ibi populum sanctorum fore, ubi viguerit pia & frequens communio.

REGULA III. Neque tamen reticendæ, vel quasi ad nihilum redigendæ erunt dispositiones ad sacram synaxim requisitæ. Sanè & terminum, & viam quæ ad terminum ducit, una eademque oratione complexi sunt SS. Patres. E re tamen erit, ut sicubi viget indiscreta communionis assiduitas, hic plus urgeantur indignæ communionis pericula: sin verò alibi, quod in piis Sanctimonialium domibus evenire possit, nimiùm à sacra mensa revocet tremor inordinatus, urgenda erit summa illa charitas, qua Christus ad convivium suum sollicitat.

* *Lugo.* RE-

REGULA IV. Qui in unius, vel multiplicis peccati habitu vixêre, seriò probandi erunt, priùs quàm mensæ Christi assidere permittantur. Quin & tandem absoluti à peccatis, ad dies aliquot cœlesti pabulo privari poterunt, ut in ipsum eo proruant impetu, quo lactentes pueri in ubera matrum. Haud tamen nimio diuturnam esse oportet subtractionem hanc; quia cùm Eucharistia sit * *antidotum, quo liberemur, à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur*, qui adhuc in charitate novi sunt, per eam contra relapsus firmari debent.

REGULA V. Ut quis primæ suæ post recuperatam gratiam communionis fructum servet & adaugeat, monendus est instanter, ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, quàm sæpe & dignè poterit, frequentet. Sunt enim hi gratiæ fontes, quibus ad utrumque, servnadæ scilicet & adaugendæ gratiæ finem tutissimè devenitur.

REGULA VI. Neque tamen quia quis acceptam in ultima communione gratiam per dies octo aut quindecim servaverit ideo semper octiduæ aut quindenæ communioni par judicabitur. Stat enim hominem & gratiam servâsse, & eò usque languidum manere, ut nec proficere conatus sit, nec seriò renuntiaverit effectibus, venialiter quidem malis, malis tamen; nec ullam penè habeat famem cœlestis cibi. Huic autem, utpotè qui convalescat tantùm á morbo, non licèt pane uti tanquam ordinariô cibô. Idem ad minus de iis personis esto judicium »quæ majorem diei partem transigere solent in se ornando, »visitando, ambulando, se recreando, uno verbo quarum vita »tota sæcularis est, & mundana; quarum etiam tota devotio »consistit in exterioribus quæ sibi præscripserunt, exercitiis ex »consuetudine obeundis, vel obsidendis assiduè Directoribus, »quos inutilibus colloquiis fatigant, & à melioribus avertunt. »Neque magis permittenda est communio frequens addictis »lusui, luxui, vaniloquio, qui non modicam vitæ partem in »otio consumentes, pro suaque facultate eleemosynas non erogantes, tam vacui sunt spiritu Dei, quam pleni spiritu »mundi; tametsi eos; quod satis difficile est, non judicaret »Director esse in statu peccati mortalis.« *Episcopus Atrebat. ibid. Reg. 6. & 7.*

REGULA VII. »Est quoddam Christianorum genus, qui aliis »in eminentiori perfectionis & sanctitatis gradu positis com»parati, imperfecti vocari possunt. Virtutem amore, vitium »odio prosequuntur, mortalia peccata perhorrescunt, ad per»fectionem aspirant, opera bona multa faciunt: sed frequen»ter in venialia etiam crassiuscula labuntur, non ex affectu »illis inhærente, sed vel ex consuetudine quam contraxerunt, vel

* *Trid. Sess. 13. c. 2.*

» vel ex violenta quadam naturalique ad ea propenſione, con-
» tra quam non ſatis decertant, & cui proinde non rarò ſuc-
» cumbunt. Tales conſilio boni Directoris indigent circa com-
» munionis uſum magis minuſve frequentem. Ipſis commu-
» nio magni plerumque eſt adminiculi, nonnunquam etiam
» magnæ neceſſitatis.« *Idem ibid. Reg. 8.*

Quin etiam, cùm non ſtatim expellatur ad certas culpas venialis affectus, à Confeſſariis prudenter toleratur ad tempus in pœnitentibus, qui gravioribus culpis declinandis toti occupantur. Hi proinde Euchariſtia identidem [plus, vel minùs pro natura & gradu tentationum, quibus quandoque cruciatur anima] donandi ſunt, ut cœleſti munimine adjuti, invitis dæmonum conatibus, in accepta juſtitia perſeverent, & reſecandis, qui animæ decorem abnubilant, inordinatis hujuſmodi affectibus manum paulatim adhibeant validiorem. Neque verò infructuoſa cenſeri debet communio, quæ animam validis undecumque ictibus laceſſitam ſic roborat, ut conſtantem de adverſariis ſuis, necdum quidem in omni, ſed tamen in periculoſiori materia, triumphum reportet. Novimus certè pœnitentes, qui cùm adhuc in levioribus multis offenderent, iniquam & gravem honoris ac fortunæ jacturam, reclamante licèt & infremente natura; crebro Euchariſtiæ uſu muniti, placidè & conſtanter inimicis ſuis condonarunt.

Regula VIII. Generatim loquendo, triplex eſt juſtorum genus. Sunt qui à vitiis emergunt, & virtutem exercere incipiunt. Sunt alii provectiores. Sunt & perfecti. Juxta diverſos hos ſtatus, aut rarior, aut frequentior debet eſſe communio. D. Bonaventura, (vir in animarum regimine verſatiſſimus) teſtatur ex omnibus quos notos habuerit, ſe prorſus reperiſſe neminem, cui frequentior expediret communio quàm octidua.

Regula IX. Quæ de ſimplicibus Chriſtianis hactenus, eadem, ſervata proportione, de Sacerdotibus dicta ſunto. Et his ergo, non ſecùs ac aliis, imò plus aliquo ſenſu quàm aliis, ponderandum iſtud: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Is porrò unus ſic vivit; ut quotidie accipere mereatur, qui ſpiritualem vitam quotidiana communione ſemper adauget. Omnes porrò providè ſibi conſulent, ſi rei tam gravis definitionem prudentis arbitri, quem non ità ſollicitè quærunt Sacerdotes plerique, judicio relinquant. Is enim, ut Laicis, quid cuique pro ratione ſtatus, & conditionis & virtutis profectu expediat, ſapienter determinabit, ſic & determinabit Sacerdoti, an & quando hærendum ſit.

Regula X. Non minoris æſtimat Auguſtinus eos qui ex reve-

verentia & humilitate aliquando abstinent à communione, (idem prope est de celebratione) quàm qui ex sanctæ devotionis, seu fiduciæ & amoris affectu ad eam accedunt. Utraque hæc sententia optima est, utraque sanctissima. Si tamen fas esset decidere, quod sibi decidendum Sanctus ille non censuit, posterior priori præferenda videretur. *Episcopus Atrebat. Reg.* 23. Quibus adde, eorum, qui ut raræ suæ celebrationi colorem obliniant, reverentiam prætendunt, plures esse, qui torpore mero, meraque inertia teneantur. Nimirum ut quis frequenter celebret, necessum est ut serium cordis sui examen ineat, ut crebrò recurrat ad Confessarium, ut orationi vacet, ut temporis jacturam habeat pro malo, quod vel unum ad servi inutilis reprobationem sufficiat, &c. Quam porrò hic impugnamus, devota gens sic vivit plerumque, ut nec spiritualiter communicare idonea sit. Quin nec sæpius interest sacro, nisi fortè ut Horas recitet. Nescit orationem: nescit ejus, quam in se agnoscit indignitatis odium & detestationem. Nescit sic vivere, ut si non quotidie, saltèm frequentiùs accipere mereatur.

De Communione sub una vel duplici specie.

Non inquirimus, an communio sub utraque panis & vini specie, vel Sacerdotibus dum celebrant, necessaria sit, vel Laicis de se, seu stando in solo divini & naturali jure, permissa. Utrumque enim sponte confitentur Catholici; & quo ad Sacerdotes liquebit ex dicendis ubi de Sacrificio; quo ad Laicos verò ex proximè dicendis. Præsens igitur quæstio in eo versatur, an ex Christi institutione Eucharistia Fidelibus necessariò tradenda sit sub utraque specie.

Asseruerunt post Joan. Hus Lutherani & Calvinistæ. Negant Catholici, quorum doctrina ut plenè innotescat, sit

Conclusio I. Càlicis usus cæteris extra Sacerdotes fidelibus subtrahi potuit.

Prob. 1mo. Si calicis usus subtrahi non potuerit, vel quia necessarius esset ex natura rei, vel quia a Christo præceptus: vel quia tantæ foret utilitatis, ut jacturam ejus nulla de causa facere liceret: atqui nullum ex his dici potest.

Non 1. dempto enim calice recipitur & Christus totus, & Sacramentum totum, & tota Sacramenti gratia: 1mo. recipitur totus Christus, prout fatentur insignes Lutherani, ut Brentius, Kemnitius, &c. Siquidem Joan. 6. ait Christus: *Qui manducat me, vivet propter me.* Porrò non manducatur Dominus nisi in specie panis; ergo in specie panis non est solum corpus, sed Christus totus: neque enim de solo corpore dice-

ret

ret: *Qui manducat me.* Præterea ubi est corpus Christi vivens ac divinitati conjunctum, ibi Christum totum esse necesse est: atqui sub sola panis specie: est corpus Christi, ut nobiscum inferunt Lutherani ex verbis institutionis. Est insuper corpus Christi vivens, ac proinde cum anima & sanguine, sinè quibus non vivit corpus: quandoquidem ex Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Est denique corpus divinitati conjunctum: quia ex quo *Verbum caro factum est,* non aliam habet Christi corpus ubicumque sit, subsistentiam, quàm ipsius Verbi, quod humanitati semel assumptæ individuo nexu coadunatum est; ergo stat 1mo. totum sub una specie Christum recipi.

2do. nec minùs constat, totam in specie qualibet occurrere rationem Sacramenti. Cùm enim Sacramentum sit signum sensibile, & quidem gratiæ productivum, duo ad ipsum requiruntur & sufficiunt, nimirum significatio & causalitas: atqui duo hæc in qualibet specie seorsim sumpta reperiuntur. Et quidem 1mo. significatio. Eucharistia enim præcipuè internam animæ refectionem significat: atqui hæc in una tantùm specie reperitur; quia licèt non idem ut plurimùm sit corpori cibus, qui potus, idem tamen est animæ: unde qui esuriunt justitiam, eandem sitire dicuntur, & ea sola, tanquam cibi ac potus vices gerente saturari, Matth. 5. Pariter qui edunt sapientiam, & eam bibere perhibentur, Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient;* 2do. & tota Sacramenti causalitas in una specie habetur. Hæc enim ab ipso oritur Christo, qui sub speciebus continetur: atqui ex probatis Christus totus est sub specie qualibet seorsim sumpta; ergo

2do. Recipitur tota Sacramenti gratia, ea saltem quæ ad salutem plenissimè sufficiat. Ubi enim recipitur Christus totus, fons omnis gratiæ ibi plenissima gratia recipitur: atqui sub una specie, &c. Unde Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* ergo communio sub bina specie haud necessaria est, ut recipiatur vel Christus totus, vel totum Sacramentum; vel tota, quæ ad salutem opus sit, gratia. Jam verò neque eadem communio necessaria est ut divino quopiam Christi mandato præcepta. Unde.

Prob. 2. pars primæ minoris. Si communio sub duplici specie imperata sit, utique in Scripturis, quæ sola sunt Protestantium regula: atqui nullum extat hujus generis præceptum in universa Scriptura: ut ex objectionum solutione liquebit.

Confirm. Quia si à primis temporibus creditum fuisset, utriusque speciei receptionem lege divina imperari, neque uspiam permisisset Ecclesia speciem alterutram populis eripi, ne-

que

que se hac privari permisissent Fideles, eorum quæ ad Religionem spectant tenacissimi: unde nihil ea in re subortum esset mutationis sinè ingenti animorum commotione, & superstite memoria: atqui tamen vel à prioribus Ecclesiæ sæculis, nemine reclamante, data est identidem & accepta communio sub una specie: & id hodieque observant Calviniani ob causas non admodum graves. Sic enim in Disciplina Ecclesiastica statuunt. c. 12. art. 10. *Potest non dari calix iis quibus grave est post alios eum sumere.* Idem meliori jure decreverant art. 7. erga eos *qui vinum bibere nequeunt.* Porrò si utraque species lege divina ad Sacramenti rationem necessaria sit, quî fit ut contra ire ausint Novatores? Nulla profectò est necessitas, quæ ad mutilanda Christi Sacramenta nos adigere possit. Ergo dicendum sumptionem utriusque speciei nulla Christi lege imperatam esse. Unde superest ut probemus tertiam minoris nostræ partem, videlicet calicis usum non esse tantæ utilitatis, ut nulla ratio jacturam ejus facere permittat.

Prob. Itaque, 1mo. si calicis usus summæ illius utilitatis foret, cui incommodum quodcumque ex eodem usu profluens cedere debeat, jam ad eum compelli deberent ii etiam, quibus grave sit eum post alios sumere: est enim isthæc incommoditatis species, quam facile vincat, quisquis pro salute sua mori paratus est, imò quisquis non erit paulò delicatior: atqui tamen Novatores eos eximunt ab usu calicis, *quibus grave est post alios eum sumere.*

2do. si calicis usus ob magnam suam utilitatem retineri debeat, ideò sanè quia plus ex utraque specie percipitur fructus, quàm ex una: atqui in hac etiam hypothesi, quàm infrà falsam esse evincemus, potuit dimitti usus calicis. Ut enim dimitti potuerit, satis est ut ex eodem usu plus in Sacramentũ redundaret irreverentiæ, quàm ex ejusdem defectu homini decederet utilitatis; atqui ex calicis usu plus in Sacramentum cederet irreverentiæ, &c. Gravis est enim irreverentia, quòd Domini sanguis in terram effundatur; & id ægrè admodum ferebant Fideles, teste Tertull. atqui fieri moraliter non posset, quin Christi sanguis sæpe funderetur, si populis daretur communio sub specie vini, prout apud Græcos evenire testantur, qui rem propriis oculis viderunt. Quis porrò malum tantum accidentalis alicujus gratiæ dispendio avertere dubitet? præsertim cùm gratia illa, & per humilem Ecclesiasticæ legi obedientiam compensetur; & per dignam frequentemque communionem abundè compensari queat. Si enim lucretur ut duo, qui singulis mensibus semel sub utraque specie communicat, multò plus lucrabitur, qui sub una tantùm, sed quindena

qua-

quaque aut octava die communicabit; ergo nè ipsa quidem quæ ex usu calicis perciperetur gratia, sufficiens foret ejusdem retinendi causa.

Prob. 2do. Conclusio. Quod prioribus Ecclesiæ sæculis factum est, potuit fieri & posterioribus: atqui non raro prioribus Ecclesiæ sæculis administrata est communio sub una specie. Ut enim omittam exempla, tùm Discipulorum, qui in Castello Emaus Eucharistiam receperunt sub sola panis specie; tùm primævorum Fidelium, qui ex Act. 2. *erant perseverantes in communicatione fractionis panis*, id est Eucharistiæ, quam sub sola panis specie recipiebant; certum est Eucharistiam moribundis non raro sub sola panis specie collatam fuisse. Sic *Presbyter* qui *ægrotabat - - - exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctum*, Serapioni *seni in os instillaret*: prout ex S. Dionysio Alex. refert. Euseb. L. 6. Hist. Eccl. c. 44. atqui nec mutilum Sacramentum sibi porrigi conquestus est Serapion, nec de Sacerdote suo, tanquam qui moribundum media Sacramenti parte defraudâsset, conquestus est Dionysius. Sic S. Honoratus Vercellensis *obtulit sancto* Ambrosio *Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum*. Idem de S. Basilio scribit Amphilogius. Sic Monachis Cluniacensibus, cùm infirmi decumberent, dabatur Eucharistia sub specie panis, quæ priús in vino minimè consecrato tingebatur; atqui consuetudo hæc in Ordine tot Sanctorum feraci non invaluisset, si divinæ legi fuisset adversa; ergo.

Eandem unius speciei praxim confirmat ritus, quo Eucharistia infantibus ministrari consueverat: hanc enim sub sola specie vini fuisse collatam exertè docet celebris historia, quam scribit Cyprianus Tract. de Lapsis, & ex ipso refert Aug. Epist. 98. En rei summam: Cùm infantula quædam, inscia matre ad Idolorum ædes à nutrice deducta esset; ibique panem vino mixtum de idolothitis comedisset: ad Ecclesiam deinceps delata, ipso sacris operante Cypriano, *Ubi solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accedentibus cæteris locus ejus*, puellulæ *advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis advertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Unde sic: Puella de qua Cyprianus, recipiendæ panis speciei capax erat, cùm idolothitum panem comedisset: atqui tamen ei data est Eucharistia sub sola vini specie; alioqui & fa-

*S. *Paulin. Tom. 4. Spicileg. Lib. 2. cap. 30.*

ſacrum panem illicò evomere debuiſſet, ut vinum evomuit, *ne in ore violato permaneret Euchariſtia*. Neque vino huic quidquam additum eſt panis, cùm intinctæ communionis uſus Cypriani ætate omnino incognitus eſſet; ergo.

Idem colligitur ex communione domeſtica. Nempe verò Fidelium multi, qui publicis Eccleſiæ ſynaxibus intereſſe non poterant, ſeu quia id non paterentur infideles mariti; ſeu obſtaret tyrannorum perſecutio; ſeu quia longiùs diſtarent ab Eccleſia, prout diſtabant Solitarii; hi, inquam, omnes Euchariſtiam domi propria manu ſibi magìs, minuſve frequenter, & aliquando quotidie adminiſtrabant: atqui non adminiſtrabant communiter niſi ſub ſpecie panis. Prob. min. 1mo. ex S. Cypriano Lib. de Lapſis, ubi commemorans factum hominis, qui ethnicis ſacrificiis pollutus, Euchariſtiam accipere, & ſuas in ædes deferre veritus non fuerat, *Panem*, inquit *cum cæteris auſus eſt latenter accipere*; ſed *ſanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit*: hic plenum de ſpeciei vini ſilentium. 2do. ex S. Baſilio Epiſt. 289. ubi ſic: *Omnes qui in eremis ſolitariam vitam agunt, ubi Sacerdos nullus eſt, communionem Domini ſervantes, de ſuis manibus participant: in Alexandria verò & Egypto unuſquiſque, etiam ex Laicis, ut plurimùm, habet domi ſuæ communionem, & cùm vult per ſe ipſum communicat. Sacerdos in Eccleſia partem aliquam in manus tradit; detinet autem cum libertate, qui ſuſcipit, ac itá ori admovet manu propria.* Hic habemus, 1mo. Euchariſtiam populo in manus tradi ſolitam, 2do. quandoque domi ad longum tempus (putà ad annum integrum, ut refert Moſchus) aſſervatam; 3tio. diſtributam in particulas, quæ aliæ ab aliis avellendæ ſint: atqui horum nulla quadrant in vinum; quod utique nec dividitur in partes, nec manu excipitur, ſed vaſe; nec tantùm temporis in calidiſſimis Ægypti Regionibus aſſervari potuiſſet; ergo.

Domeſticæ communionis exemplo accedet exemplum communionis publicæ. Etſi enim hæc prioribus duodecim Eccleſiæ ſæculis ſub duplici ſpecie fieri conſueverat, non raró tamen fiebat ſub unica. Id autem evincimus, 1mo. ex S. Leone,* qui Serm. 4. de Quadrageſima, c. 5. hæc habet de manichæis: *Ut interdum tutiùs lateant, ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant,* quia vinum habebant pro felle draconis? *Quod ideo*, pergit S. Pontifex, *veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines his manifeſtentur indiciis*, &c. Unde ſic: Latebant, tandiuque latuerant inter Fideles Manichæi, Euchariſti-
am

* *Sedere cæpit an. 440. obiit. an. 461.*

am ſub una tantùm ſpecie recipiendo, ut coactus fuerit Rom. Pontifex jubere ad eos cautiùs attendi: atqui ſi communio ſub duplici ſpecie ſemper facta fuiſſet, jam nè momento quidem latuiſſent Manichæi, nec ulla opus fuiſſet obſervatione, ut deprehenderentur, quos vel unica communio ſub una ſpecie ſtatim prodidiſſet; ergo nec rarum erat, nec inſolens tunc temporis, ut fideles ſub una tantum ſpecie communicarent.

Idem adſtruit communio abſtemiorum. Sanè obſervat Hieronymus,* fuiſſe Romæ virgines, quæ ſic abhorrerent à vino, ut ab ipſius ſpecie in myſteriis abſtinerent: atqui ſi tunc temporis creditum fuiſſet, duplicis ſpeciei uſum *æterno Dei edicto* imperari, prout delirat Calvinus, vel vino paulatim aſſuefactæ eſſent, quæ ipſum reſugiebant, vel ipſo panis uſu privatæ: ſicut Baptiſmo, etſi ſummè neceſſario, privati fuiſſent, quibus is in aqua conferri non potuiſſet.

Idem invictè confirmat Miſſa præſanctificatorum: Hæc enim in utraque Eccleſia vetus eſt, ut patet quo ad Græcam ex Can. 49. Concilii Laodiceni ſæculo IV. habiti; quo ad Latinam autem, ex Ordine Romano, qui pro octavi ſæculi fœtu habetur: atqui quòd eadem præſanctificatorum Miſſa in ſolo pane celebratur, ideoque calicis uſum excludat, non minus apertum eſt; quo ad Græcos quidem, tùm ex omnibus eorum Euchologiis, tùm ex peritiſſimis quibuſque Græcorum, quales ſunt Arcudius, & Leo Allatius. Quo ad Latinos verò, ex Ordine Romano, ubi hæc de Officio feriæ V. Hebdomadæ ſanctæ præcipiuntur *Pontifex ſumat oblatas*, ſeu formulas *integras ad ſervandum uſque mane diei Paraſceves, de quibus communicent* fideles *abſque ſanguine Domini. Sanguis verò eadem die*, ſeu eadem feria V. *penitùs conſumatur*; ergo Miſſa præſanctificatorum in utraque Eccleſia ſub panis ſpecie celebrabatur. Quæ contra probationem hanc objicii poſſunt, diluemus in decurſu.

Prob. 3tio. ex Conciliis, quæ præſentem controverſiam variis temporibus diremêre. Concilium Conſtantienſe, an. 1415. Bohemorum errorem his verbis confodit Seſſ. 13. *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere Sacramentum ſub utraque ſpecie panis & vini ſuſcipere - - - - præſens Concilium ſacrum generale Conſtantienſe - - - - definit, quòd hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiva Eccleſia hujuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, poſtea à conficientibus ſub utraque, & Laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, inte-*

* *Epiſt. 22. ad Euſtoch.*

 grum

grum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.

Idem tradit an. 1437. Basileensis Synodus Sess. 30. adversus Calixtinos, & Taboritas.

Idipsum decretoriè sanxerunt Tridentini Patres Sess. 21. *Si quis*, aiunt Can. 1. *dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles, utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit*, &c.

Obj. 1mo. Ideò communionem sub una specie licitam esse contendimus, quia hæc variis Ecclesiæ sæculis identidem fuerit in usu: atqui hæc ratio & falsa est, &, si vera supponatur, non concludit. Et quidem 1mo. falsa est: Fideles enim, seu in Ecclesiis, seu domi communicabant, sub specie panis intincti, quando utramque divisim speciem non sumebant. Prob. ant. tùm ex Concilio Turonensi, ubi hæc habentur c. 4. *Sacra oblatio intincta sit in Christi sanguine, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus & sanguis Domini proficiat tibi*, &c. tùm ex ipsa, cui tantopere confidimus, Missa præsanctificatorum: in ea enim non percipitur apud Græcos panis siccus, sed perfusus guttis aliquot sanguinis pretiosi. 2do. Neque hæc ratio concluderet, tametsi supponeretur vera. Quæ enim necessitas extorquet, in legem trahenda non sunt: atqui quòd aliquando vel infantibus, vel infirmis sub una specie daretur Eucharistia, sola extorquebat necessitas; ergo id quo ad omnes in legem trahi non debet, prout fit in Ecclesia Romana.

R. ad 1. 1mo. neg. maj. ut enim communionem sub una specie licitam esse credimus, sufficit ut binæ speciei susceptio nullibi præcepta sit, & Ecclesia in Sacramentorum administratione id omne possit, quòd eorum substantiæ non adversatur. Ea enim de causa præcipere possent hodierni Pastores, ut Baptismus sola conferretur infusione, etsi hùc usque non aliter quàm trina immersione collatus esset. Atqui ex dictis & ex dicendis, binæ speciei susceptio, &c.

R. 2do. neg. min. qui enim ut plurimùm ex pane vel sicco, vel intincto quidem, sed in aqua solùm aut vino, communicabant, ii profectò ne una quidem actione duas species sumebant: atqui Veteres, cùm utramque seorsim speciem non sumebant, ut plurimum vel ex pane sicco communicabant, prout suprà pluribus exemplis probavimus; vel ex pane intincto in aqua, ut constat ex facto Serapionis: vel demum ex pane qui solùm in communi vino intinctus esset, ut liquet, tùm ex vita Lucæ junioris, Monachi; tùm ex Statutis Cluniacensibus, L. 3. c. 28. &c.

Nec nocent quæ contra objiciuntur. Non Synodus Turon.

quæ

quæ falsa prorsus ratione nititur: neque enim minùs veraciter cum sicca, quám cum intincta specie dicit Sacerdos: *Corpus & sanguis Domini proficiat tibi*, &c. cùm ut utraque, sic & alterutra species corpus & sanguinem plenè contineat.

Nihilo plus urget quod objicitur ex intinctis Græcorum præsanctificatis, 1mo. quia intinctio hæc non observatur in Ecclesia Latina, quæ Græcæ omnimodis prævalet; 2do. quia intinctio Græcanica, cúm apud Orientales irrepere cœpit, á celebrioribus eorum Episcopis improbata est. Sic Michael Cerularius, lugendi, quo hodiedum dividimur, schismatis artifex, scribit, panem sanctum in Ecclesia sua recipi, *nulla* ei *gutta sanguinis Christi* infusa. Sic & Nicetas Pectoratus apertè docet, *sanctificatos panes vino, seu sanguine Dominico non esse intingendos*; unde Humbertus Cardinalis, qui contra Cerularium & Nicetam scripsit, fatetur intinctionem non ubique apud Græcos esse in usu; nullibi autem, id est nec *in magnis*, nec *in parvis Ecclesiis* Hierosolymitani Patriarchatus vigere; 3tio. quia etsi Græci panem populo in Ecclesia communicanti verè intinctum porrigunt cum parvo cochleari, cujus manubrium in parvam crucem desinit, haud tamen eum sic præbent, quia utriusque speciei sumptionem necessariam esse credant; ut patet ex Libro Constit. Ecclesiæ Orientalis, qui postquam cap. 3. sect. 3. decrevit, non licere Sacerdoti præbere corpus sinè sanguinè, statim subdit: *Exceptis ægrotis, qui longè distant ab Ecclesia, & qui impedientibus distracti sunt negotiis, ut sunt pastores & agricolæ qui incolunt villas, nec habent Ecclesias, nec Ecclesiam remotam adire possunt: similiter quoque mulieres, præsertim cùm timetur né hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris distantiam: deferre autem ad hos calicem, periculosum est valdè, ideoque corpus sinè sanguine detur illis*, Idem in Oriente toto quo ad easdem personas factitari tradit Abraham Ecchellensis Maronita.

Quod spectat ad alteram difficultatis partem, R. dist. maj. quæ ex necessitate fiunt, non sunt trahenda in legem, nisi id par necessitas exigat, C. secùs, N. Itaque cùm Calviniani licitum sibi crediderint, iis auferre calis usum, quibus eundem post alios recipere molestum fuerit, ad Ecclesiæ Romanæ vindicias sufficit, ut pares ad minus ejusdem auferendi causas habuerit; atqui Ecclesiam Rom. & pares, & multò graviores demendi calicis causas habuisse, liquebit ex dicendis; ergo non est cur eam culpent Adversarii.

Obj. 2do. Ille in communione ritus omnino servari debet, quem præcepit Christus: atqui communionem sub duplici specie - - - Prob. min. ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis car-*

nem filii hominis, ET *biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hic tam præcipitur potus sanguinis, quàm carnis manducatio: atqui, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. R. 1mo. argumentum nec à Calvinianis, nec à Lutheranis proponi posse; tùm quia sextum Joannis caput de orali Eucharistiæ usu intelligi negant; tùm quia ipsi propriô se gladiô confoderent; quandoquidem cœnam suam sub una tantùm specie porrigant, seu abstemiis, seu iis quibus post alios calicem sumere molestum fuerit. Nec est quod necessitate se tueri velint: hæc enim efficere quidem potest ut Sacramentum minimè recipiatur, non verò ut truncetur sacrilegè.

R. 2do. neg. maj. ut enim ex prædicto textu certum eruatur sanguinis divisim bibendi præceptum, necesse est ut certò constet particulam *Et*, in eodem textu conjunctivè sumi: si enim citra vim ullam disjunctivè intelligi valeat, jam utique textus noster est; ut qui solam imponat legem carnis manducandæ, VEL bibendi sanguinis. Atqui certùm non est particulam *Et*, in Joannis textu sumi copulativè: 1mo. quia acceptio ejus in sensu disjunctivo apud Scriptores sacros frequens est. Sic istud Exodi 21. *Qui percusserit patrem* ET *matrem, morte moriatur*, idem est, ac *Qui percusserit patrem* VEL *matrem*; sufficiebat enim alterutrius percussio ad judicium mortis. Sic & istud Petri Act. 3. 6. *Argentum* ET *aurum non est mihi*, idem est ac divisim, neque aurum, neque argentum habeo: qui enim alterutrum habuisset, non fuisset ab eroganda stipe immunis; 2do. quia è contrario exigit series contextus objecti, ut vocula *Et*, sub disjunctione intelligatur. Ibidem enim paulò post addit Dominus: *Qui manducat me, vivet propter me*; & rursus: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*: quæ profectò falsa essent, si verba hæc: *Nisi manducaveritis*, &c. conjunctivè, non autem disjunctivè intelligenda forent.

R. 3tio. dist. maj. in objecto textu præcipitur potus sanguinis, sicut & carnis manducatio, præcipitur, inquam toti Ecclesiæ, C. præcipitur singulis Fidelibus, subd. præcipitur quo ad substantiam rei, C. quo ad modum, N. Ut adversarii citato textu contra nos solidè utantur, necesse est ut probent, 1mo. omnia Dei præcepta, quæ generatim efferuntur, ad singulos homines pertinere; 2do. eadem non modò substantiam rei, sed & modum, qui præcepto annexus est, præscribere; 3tio. aut saltèm speciale de quo agitur præceptum, non pati exceptionem, quam patiuntur alia: atqui nullum ex his probare possunt. Non 1. quandoquidem, ut monet Aug. L. 3. de Doctr. Christ. c. 17. multa sunt in Scripturis præcepta quæ toti dantur

tur Ecclesiæ, sed per aliquos, non per omnes & singulos implenda; quale est istud Genes. 1. *Crescite & multiplicamini.* Non 2. quia constat ex præceptis quæ substantiam & modum important, esse non pauca, quæ reipsa solam substantiam imperent, Sic istud: *Hoc facite in meam commemorationem,* quod totius actionis Christi repetitionem præcipere videtur, haud tamen strictè præcipit fractionem panis, licèt idoneam maximè ad repræsentandam Christi mortem: alioqui non esset verum Eucharistiæ Sacramentum apud Lutheranos, qui fractionem hanc omittunt, & Romanorum instar *orbiculares placentas* * consecrant; & tamen Lutheranorum communionem ambiunt Calviniani. Non 3. præceptum enim, *Nisi manducaveritis*, &c. nihil præ cæteris ejusdem speciei habet, unde exceptionis cujuscumque incapax probari possit. In præsenti porrò sufficit nobis ut probemus, adversarios nihil contra nos probare.

Inst. Præceptum, quo imperatur sumptio Eucharistiæ per modum cibi ac potus, cadit etiam in modum: atqui per præceptum istud: *Nisi manducaveritis: Nisi biberitis*, imperatur, &c. Jam verò præceptum hoc non servat, qui vel manducat tantum, vel tantum bibit.

R. ad 1. dist. min. ut statim: imperatur sumptio Eucharistiæ per modum cibi & potus, imperatur, inquam, toti Ecclesiæ, C. imputatur singulis, subd. imperatur disjunctivè, C. conjunctivè, N. Ut impleatur Christi præceptum, necesse est ut sint in Ecclesia aliqui, qui Sacramentum hoc sub utraque specie sumant: si enim nulli tales sint, nulli consequenter erunt, qui Sacramentum conficiant, nulli qui ministrent, nulli proinde qui recipere, & hoc præstantissimo medio vitam gratiæ conservare possint. An non ideo necesse est ut Fideles singuli Eucharistiam expresse recipiant per modum potûs: aliqui enim ea omnino privandi forent abstemii; quod non faciunt Novatores. Et verò licèt qui manducat, non possit dici bibere, dici tamen potest idipsum recipere, quod quis recipit bibendo; ergo & ex eo vitam æternam plenè recipere potest.

Inst. 2do. Christus cibum carnis & potum sanguinis præcepit per analogiam ad cibum & potum, qui in usualibus conviviis sumi solent: atqui in his cibus & potus seorsum recipiuntur; ergo.

R. dist. maj. Christus præcepit per analogiam, &c. id est, ut ex Eucharistiæ usu idem quo ad animam perciperetur fructus, qui ex carnalibus conviviis quo ad corpus percipitur, C. id est, ut eodem perciperetur modo, quasi alterutra panis & vini species non possit id totum quo ad animam præstare, quod cibus & potus materialis non nisi conjunctim præstare possunt quo

* *Bechman. p. 1007.*

ad corpus, N. Itaque Chriſtus, ut quemadmodum in uſualibus conviviis paſcitur corpus per cibum, & refrigeratur per potum, ſic in Euchariſtiæ convivio ſedaretur animæ fames, ut ſitis ejus reſtingueretur; ergo ſi alterutra ſpecies utrumque præſtare poſſit, non voluit abſolutè ut utraque ſumeretur: atqui ſola panis ſpecies ſedare poteſt animæ famem, & ſitim lenire; tùm quia idem eſt animæ fames, quod ſitis; tùm quia quæ cibum dat ſpecies, dat ſimul potum ſanguinis; ergo magnum ex hac parte occurrit diſcrimen Euchariſtiam inter & materiale convivium.

Obj. 3tio. Eo modo ſumi debet Euchariſtia, quo eam inſtituit Chriſtus, & ſumendam præcepit: atqui Chriſtus Euchariſtiam ſub duplici ſpecie inſtituit, &c. Qui enim corpus ſuum ſub ſpecie panis comedendum dedit, & ſanguinem ſub ſpecie vini, cum mandato ut utrumque ab omnibus ſumeretur, ille Euchariſtiam ſub duplici ſpecie inſtituit, &c. atqui corpus ſuum - - - Sic enim ſanxit Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.*

R. ad 1. neg. min. generaliter intellectam, prout intelligi debet, ut valeat objectio.

Ad 2. diſt. maj. qui corpus ſuum dedit & ſanguinem cum mandato ut utrumque ab omnibus omnino ſumeretur, C. ab omnibus Apoſtolis, qui ſoli tunc præſentes aderant, N. Itaque ſi verba iſthæc: *Bibite ex eo omnes*, non ſpectent niſi Apoſtolos, qui tunc menſæ aſſidebant cum Chriſto, nihil ex iis quantum ad reliquos Fideles colligi poterit; atqui verba, *Bibite*,&c. reſpiciunt quidem Apoſtolos, non autem alios omnino omnes: 1mo. quia in iis etiam includerentur infantes, & abſtemii, quos tamen excludunt Calviniſtæ; 2do. quia vox, *Omnes*, eodem ſenſu intelligenda eſt apud Matth. cùm de bibendo calice agitur, quo intelligitur apud Marcum, cùm agitur de eodem calice jam bibito: *Et biberunt ex eo omnes:* atqui in hoc Marci loco vox *omnes*, ad ſolos Apoſtolos refertur; 3tio. quia voculam *omnes* ad ſolos Apoſtolos pertinere clamant omnes Evangelii circumſtantiæ. Sic enim habet Matthæus: *Cœnantibus eis*, non omnibus utique, ſed Apoſtolis: *Accepit Jeſus panem - - - deditque Diſcipulis.* Quibus? iis utique qui cum ipſo cœnabant. *Et ait*: *Accipite & comedite.* His certè dixit, *Accipite & comedite*, quibus dedit comedendum; ſolis autem Apoſtolis dedit, ut diximus, &c.

Inſt. Iiſdem dictum eſt, *Bibite*, quibus dictum eſt, *Manducate*: atqui non ſolis Apoſtolis, aut in eorum perſona Sacerdotibus dictum eſt, *Manducate*, ſed Fidelibus univerſis. Alioqui non liceret vel unam Sacramenti partem dare Laicis; ergo.

R. ad 1. neg. min. cujus falſitas ex præcedenti reſponſione aperta eſt.

Ad

Ad 2. neg. ant. Ut enim Sacramentum Laicis dari possit, satis est ut id nullibi prohibitum sit, imò strictè imperatum, tùm Joan. 6. tùm & his verbis: *Hoc facite*, de quibus statim.

Obj. 4to. Christus per hæc verba: * *Hoc facite in meam commemorationem*, id Apostolis suis fieri jussit, quod ipse fecit, atqui Christus tria fecit. Consecravit nimirum, sumpsit & distribuit omnibus præsentibus utramque speciem; ergo & idem facere debent Apostolorum successores.

R. neg. maj. ad sensum objectionis. Siquidem verba: *Hoc facite*, à Christo ante consecrationem calicis prolata sunt apud Lucam; ergo per ea quidem præcipitur administratio Eucharistiæ sub specie panis, non autem sub specie vini, de qua necdum tunc agebatur. Et verò si id omne fieri jusserit Christus, quod ipse quo ad Eucharistiam fecit; ergo jussit frangi panem, quod non observant Lutherani; jussit & eum certo loco, tempore, numero & modo benedici, quod nec faciunt Calviniani.

Inst. 1mo. Qui præcepit de calice id quod præcepit de pane, jussit calicem perinde ac panem distribui: atqui Christus - - - Prob. Minor ex his ibid. verbis: *Similiter & calicem*, &c. vox enim *similiter*, eandem calicis ac panis rationem esse demonstrat, ità ut uterque ex æquo *dari* debeat; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. admisso textu, neg. ant. vox enim *similiter* demonstrat equidem Christum accepisse calicem, eumque benedixisse, prout fecerat quo ad panem: at nihil ultrà exprimit: alioqui exprimeret etiam Christum calicem divisisse singulis, prout divisit panem, quem tamen dedit integrum, ut unus alteri porrigeret. Et verò Paulus qui I. Corint. 11. habet particulam *similiter*, non habet verbum *dedit*: nec proinde ad istud vox *similiter* referri potest.

Inst. 2do. Ex concessis vox *Hoc facite*, mandatum importat dandæ fidelibus speciei panis: atqui eadem vox apud Paulum reperitur, ubi de distributione calicis, ut patet ex v. 25. I. Cor. 11. ergo.

R. dist. min. Eadem vox reperitur apud Paulum, sed diverso sensu, hypothetico nimirum, C. eodem prorsus, nempe absoluto, ut apud Lucam, N. qui enim absolutè apud Evangelistam dicit: *Accipite, manducate, hoc facite*, &c. apud Paulum conditionatè loquitur: *Hoc facite*, inquit, *quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*; ergo necessum quidem est, ut fideles singuli, qui de calice bibent, bibant in memoriam Christi; sed non est necesse, ut simpliciter bibant. Unde enim in re tam affini tam diversa loquendi ratio, nisi quia & diversa est ratio præcepti?

Inst. 3tio. Sic pergit Apostolus: ***Probet autem se ipsum ho-***

* *Luc. 22. 19.*

mo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: atqui hæc non minùs quo ad calicem abſoluta ſunt, quàm quo ad panem.

R. neg. min. neque enim communionis modum, quo ad unam vel duas ſpecies, inveſtigat Apoſtolus, ſed unum id intendit, ut quiſquis ad Euchariſtiam accedit, dignè & ut par eſt anteà ſe probet, ne indignè accedat, atque id perſpicuè adſtruit verſus ſequens, ubi ſic: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Si enim totum ſub una ſpecie Sacramentum recipitur ad mortem, poteſt & totum recipi ad vitam. Et verò ſi dixiſſet Apoſtolus: Probet ſe ipſum homo, & ſic Sacerdos conſecretur, aut virginitatem voveat, non ideo Sacerdotium, aut votum præciperet; ſed probationem præviam ex hypotheſi quòd is vel ille ſtatus eligatur.

Obj. 5to. Non meliùs de neceſſitate & modo communionis judicari poteſt, quàm ex veteris Eccleſiæ uſu: atqui vetus Eccleſia communionem dedit ſub duplici ſpecie, non publicam tantùm in templis, ſed & privatam domi. Prob. min. 1mo. ex praxi Corinthiorum, qui utramque ſpeciem recipiebant; 2do. ex Patribus. Sic Ignatius in Ep. ad Philadelphienſes: *Unus eſt,* inquit, *panis omnibus confractus; unum poculum omnibus diſtributum.* Clemens Alex. 2. Pedagogi c. 2. *Bibere ſanguinem Jeſu eſt particem eſſe incorruptionis divinæ,* &c.

R. diſt. min. dedit, ſed non neceſſariò, nec ſemper, C. ſecùs, N. Non inficiamur Euchariſtiam prioribus Eccleſiæ ſæculis haud raro datam eſſe ſub panis & vini ſpeciebus: unde operam ludunt qui tot impenſis id probare ſtudent adverſarii. Id unum contendimus, primævos etiam Fideles ſæpius, ſeu publicè, ſeu privatim, unam tantùm ſpeciem recepiſſe, nuſquam proinde utramque neceſſariò: atqui hoc invictè evincunt probationes noſtræ; nec contrarium perſuadent Lutherii argumenta.

Non 1. aliud eſt enim Corinthios utramque recepiſſe ſpeciem, quod tamen probari de omnibus non poteſt; aliud eos ad utramque recipiendam obligatos fuiſſe.

Non 2. differunt enim exemplum & præceptum: neque quia Ignatii tempore mergebantur Fideles in Baptiſmo ideò ipſos mergi neceſſe erat. Adde 1mo. Ignatium vim facere in unitate calicis, non in multitudine bibentium: adeò ut ſenſus ſit, unum omnibus qui Euchariſtiam ſub ſpecie vini recipiunt, diſtribui calicem, non plures: hic enim totus eſt S. Martyr in commendanda unitate: *Una eſt caro,* inquit, *unus eſt ſanguis, unum poculum, unus Chriſtus, unum Baptiſma, una Eccleſia.* Adde 2do. in Latinis Codicibus, pro *unum poculum omnibus*

distributum, haberi: *Unus calix totius Ecclesiæ*: quia unus calix pro omnibus offertur.

Non 3. Etsi enim qui sanguinem Christi bibit particeps fit incorruptionis; non ideo ejus particeps non fit, qui panem solum manducat: Siquidem teste Christo: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Certè sicut in corporeis ex affirmativa hac, *Qui vinum bibit, nutritur*, non sequitur negativa isthæc; *ergo nutriri non potest qui vinum non bibit*, sic nec in proposito. Prætereа sanguis Christi dat incorruptionem, non quia bibendo sumitur, sed quia sumitur: vis enim in sanguine est, non in modo sumendi: porrò sumit & sanguinem, qui sub specie panis communicat.

Inst. 1mo. Quod datum est juxta mandatum Christi, non liberè datum est, sed necessariò: atqui utraque species - - - Prob. min. 1mo. ex S. Justino, qui postquam Apolog. 2. dixit Diaconos *panem & vinum* distribuere, sic prosequitur: *Apostoli enim in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita præcepisse Jesum sibi tradiderunt*: 2do. ex Cypriano, qui Serm. de Cœna Domini: *Lex*, inquit, *esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur.* &c.

R. neg. min. quæ nullo ex objectis textibus adstruitur. Non ex 1mo. citata enim Justini verba, non ad communionem, sed ad modum consecrationis referuntur: unde statim subdit S. Martyr, Christum *pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam recordationem: Hoc est corpus meum; & similiter accepto calice dixisse: Hic est sanguis meus*; ubi de institutione agitur, non de communione.

Non ex 2do. qui præterquam Cypriani non est, imò nec docti cujuspiam, dicit quidem Evangelium præcipere, ut bibatur sanguis, quod verissimum est, cùm quisquis sacrum facit, sanguinem bibere jubeatur; sed non dicit Evangelium præcipere, ut idem sanguis ab omnibus omnino bibatur.

Inst. 2do. Gelasius in Ep. ad Majoricum, &c. sic habet: *Comperimus quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstring.) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sinè grandi sacrilegio non potest provenire.* Unde sic: Illud juxtà strictam Christi legem dari debet, quod *sinè grandi sacrilegio* dividi non potest: atqui, ex Gelasio, utriusque speciei sumptio sinè grandi sacrilegio dividi nequit.

R. dist. min. Dividi non potest à Sacerdotibus qui sacrum faciant, C. à Laicis, subd. dividi non potest ex sacrilega super-

perstitione, prout videbatur à Manichæis, quos probabiliter eò loci insequitur Gelasius, C. dividi non potest justa de causa, N. Itaque si Gelasius in Epistola prædicta solùm vetet, nè *corpus Christi sinè ejus sanguine* accipiat Sacerdos, prout interpretatur Gratianus, jam nulla inde contra nos difficultas. Sed nec gravior movebitur, si idem Pontifex impetat Manichæos, qui vinum quasi rem a malo principio creatam detestantes, à calice Eucharistico abhorrebant: atqui si quos extra Sacerdotes impetiit Gelasius, utique Manichæos; quos jam pari de causa impugnaverunt S. Leo, ut suprà vidimus. Et verò qui hic impetuntur, grandis circa Eucharistiam sacrilegii conscii erant: atqui grande hoc sacrilegium nemini, præcisè quia abstineret à specie sanguinis, impingi posset; tùm quia unius tantùm speciei receptio hac ipsa ætate non raró frequentabatur; tùm quia nè ipsi quidem Calvinistæ eos pro sacrilegis habent, qui ab usu sanguinis, ob causas etiam minimè graves, abstinent; ergo tota Gelasii reprehensio, si Gelasii est, quod in dubium vocant eruditi, Manichæos ferit.

Obj. 6to. Doctrina quæ unius tantùm speciei sufficientiam admittit, supponit, in una hac specie extare Christi sanguinem vi concomitantiæ: atqui id falsò supponitur: 1mo. quia concomitantiæ doctrina nullo nititur momento, quin & toti antiquitati incognita fuit; 2do. quia verba: *Hoc est corpus meum*, partem Christi indicant: * *Quis* porrò *sanus* partem Christi, seu *corpus Christi Christum esse sibi persuadeat.*

R. neg. min. & dico, doctrinam de concomitantia, ratione fidei innixa, & authoritate fulciri. Ratione quidem, quia Christus *jam non moritur*; ergo vivit in Eucharistia: atqui si corpus gereret inanimum & exangue, non viveret. Authoritate verò, quia concomitantiæ doctrinam tota retro antiquitas tradidit. Et 1mo. Paulus I. Cor. 11. ubi *quicumque manducaverit panem hunc,* VEL *biberit calicem, reus* esse dicitur *corporis* ET *sanguinis Domini*: si enim ut quis reus fiat corporis & sanguinis, satis est ut panem manducet, VEL bibat calicem; ergo in calice est corpus, ut & sanguis in pane; 2do. Ignatius, qui in Epist. ad Smyrn. *Eucharistiam* ait *carnem esse Servatoris nostri J. C. quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit*: porrò Servatoris caro non est à Patre suscitata sine sanguine; 3tio. Irenæus L. 5. ubi sic: *Eum calicem qui est creatura, suum corpus confirmavit* Christus, *ex quo nostra auget corpora.* Si autem corpus est in calice, id est, in sanguine, pari jure necessum est ut sanguis sit in corpore.

Ad 2. non dicimus, corpus Christi Christum esse per concomitantiam, benè verò concomitantiam fieri, ut corpus Christi

* *Colvin. L. 4. Inst. c. 17.*

sti nunquam sit absque anima & sanguine suo, & ideo ubi est Christi corpus, ibi totum Christum esse.

Conclusio II. Usus calicis gravibus de causis substractus est.

Prob. enumeratione ejusmodi causarum. Prima fuit periculum irreverentiæ ex effusione sanguinis penè ineluctabiliter orituræ. Quantacumque enim Diaconi, qui calicem porrigebant, usi essent diligentia, vix præ hodierna communicantium multitudine, solemnioribus præsertim Festis, præ plurium senum, debilium, rusticorum incauto concursu, effusionem impedire potuissent: quod facilè experietur, qui vini calicem, summa licèt dexteritate, ducentarum ætatis omnis in staturæ personarum labiis admoverit.

Secunda fuit communio infirmorum, ad quos omni diei ac noctis hora deferendum erat Viaticum: istud autem ægrè admodum sub specie vini deferri potuisset; tùm quia facilè acescit & corrumpitur; tùm quia si usquàm, certè in hoc casu, grave imminebat periculum effusionis.

Tertia fuit multitudo, tum abstemiorum, tùm & eorum qui non sinè nausea vinum hauriunt è calice, qui jam multis oblatus sit; & qui vel à communione abstinere debuissent, vel primam in mensa Domini sedem, aliis contra nitentibus, obtinere conati fuissent.

Quarta fuit vini pluribus in locis raritas, aliquando tanta, ut, cùm primi S. Vincentii à Paulo discipuli Madagascarum appulêre, ab omni per menses quinque sacrificio propter vini penuriam cessatum esset. An igitur toto eo tempore nemini ad extrema vergenti viaticum salutis dari potuisset?

Quinta fuit necessitas, perimendi omnino erroris eorum, qui totum Christum sub alterutra specie contineri negabant.

Conclusio III. Potest absolutè Ecclesia calicis usum restituere Laicis.

Prob. 1mo. quia potestatem hanc Ecclesiæ divinitùs fuisse concessam agnovêre Patres Constantienses, Basileenses & Tridentin. Sess. 22. sub finem, ubi decreverunt *integrum* illud concedendi vel denegandi calicis *negotium* ad S. Pontificem *esse referendum*, *qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum calicis, judicaverit.*

2do. Quia de facto calicis usum, ex quo etiam à Constantiensi Synodo prohibitus fuit, pluries concessum esse legimus: 1mo. enim eum Bohemis ac Moravis indulsêre Basilienses Episcopi, hac lege, ut in cæteris omnibus Ræ. Ecclesiæ obtemperarent: & hæc quidem concessio novos apud utramque gentem tumultus concitavit: unde ipsam revocare coactus est cir-

ca an. 1452. Nicolaus V. 2do. eundem quibusdam Germaniæ populis concessit Pius IV. an. 1564. quod nec felicius cessit, unde & à Pio V. revocatum fuit; 3tio. quia non desunt hodieque extra *conficientes*, qui binam recipiant speciem: ità Galliarum Reges qua die inaugurantur; Diaconus & Subdiaconus, qui Sacerdoti in Fano San-Dionysiaco propè Lutetiam serviunt, &c.

Obj. Si non necesse, at saltèm enixè optandum est in testamentis, ut adamussim servetur ultima testatoris voluntas: atqui subtracto calice non servatur ultima Christi voluntas. Tunc enim non servatur voluntas Christi; quando res ab eo singulis Fidelibus legata, iis non datur tota, sed penès partem: atqui subtracto calice, &c.

R. ad 1. & 2. neg. min. res enim à Christo legata, est caro & sanguis ipsius: utraque porrò sub una specie datur, perinde ac sub duplici. Utique præcepit Dominus ut caro sua & sanguis Fidelibus traderetur; at nullibi præcepit ut sanguis secundùm se & divisim traderetur: unde nec prohibita est Laicis, nec imperata utriusque speciei perceptio; quo fit ut quidquid ad speciem vini juris habent, ab Ecclesiæ voluntate dependent.

Conclusio IV. Non major ex duplici specie capitur fructus, quàm ex una: neque, si major caperetur, ideò opus esset, aut expediret, ut utraque species reciperetur ab omnibus.

Prob. 1. pars: Si sumptio utriusque speciei plus conferret gratiæ, quàm sumptio unius, id oriretur vel ex re contenta, vel ex symbolo continente: atqui major hac gratia neutro ex capite oriri potest. Non 1mo. ex re contenta; quia hæc nec magìs est sub duplici specie, quàm sub una; nec magìs operatur, quando bis eodem recipitur tempore, quàm cùm semel; alioqui Sacerdos, qui non uno haustu, sed duobus aut tribus sanguinem sumit, plus reciperet gratiæ, quàm qui haustu unico totum ebibit; idemque de eo foret, qui duas, tresve formulas, aliam post aliam comederet; quod absurdum est. Non 2do. ex symbolo continente; Christus enim in Eucharistia tantùm sub unaquaque specie operatur, quantùm sub unaquaque significat; atqui tantùm sub unaquaque seorsim specie significat, quantùm sub utraque conjunctim. Siquidem Christus sub utraque specie significat plenam adæquatam animæ refectionem: atqui hanc etiam refectionem significat sub una specie; cùm species illa animæ famem & sitim omninò sedare idonea sit, ut jam diximus; ergo.

Prob. 2. pars, quia ut in ipsa majoris gratiæ per utramque speciem collatæ hypothesi, haud expediat, vini speciem ab omnibus sumi, duo sufficiunt, 1mo. ut is qualiscumque gratiæ defe-

defectus facilè compensari possit; 2do. ut pro modico haberi debeat comparatè ad periculum irreverentiæ, quæ sanguinis sub specie vini receptionem indubiè sequeretur: atqui utrumque constat. Primum quidem, quia ad id sufficit multiplicari communiones; secundum verò, quia tanta est sanguinis Christi dignitas, ut ei spiritualem etiam proventum cedere oportet. Hinc negata tandem vini species, tùm infantibus, quibus certissimè prodesset; tùm & olim, ut nunc, infirmis vomitui obnoxiis, qui tamen vel ex una sanguinis guttulà feliciter trajecta non parum cepissent utilitatis. Hinc severa hæc, & antiqua lex, licèt Pio 1. perperàm adscripta: * *Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram - - - Sacerdos quadraginta diebus pœniteat.* Hinc generatim prohibita duplex eadem die communio, quæ nihilominùs majorem afferret fructum, quàm unica; sed nimiam cum Sacramento familiaritatem, ideòque & irreverentiam inveheret; ergo.

Obj. 1mo. Sacramenta id operantur quod significant, adeoque cùm plus significant, plus operantur: atqui ambæ species plus significant quàm una, idque non solùm ratione signi, sed & ratione rei significatæ. Siquidem ambæ species significant plenitudinem convivii spiritualis, & perfectam animæ satietatem: atqui una seorsim species plenitudinem hanc & satietatem non significat. Species enim panis significat sub ratione speciali cibi; atqui cibus ut cibus nullo pacto significare potest satietatem completam, & plenitudinem convivii coalescentis ex cibo & potu; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. min. una seorsim species non significat plenitudinem convivii, non significat, inquam, tam directè, ut utraque simul, C. non significat verè, licèt indirectè solùm & concomitanter, N. Fateor quòd utraque species perspicuè magis & distinctè plenitudinem convivii significet, quia cibum altera, altera potum evidenter designat. Fateor rursùs quòd species panis directè cibum, vini verò species directè potum exprimat: at nego hinc sequi, quòd plus recipiat gratiæ, qui utramque recipit speciem, quam qui alterutram duntaxat: Baptismus enim immersione datus distinctè magis effectum suum significabat; atqui tamen haud conferebat majorem gratiam, quàm nunc conferat datus per infusionem; ergo quod distinctiùs effectum significat, non ideo majorem parit effectum. Et verò statim ut species quæ indirectè significat, id quod altera significat directé, istud non minùs continet, quàm si directè significaret, jam eundem operari debet effectum, quem prædicta species operari valet: atqui species panis sola non minùs spiritualem po-

* *Dist. 2. de Consecr. c. 72.*

tum

tum continet, quàm species vini; ergo non minus sola operari debet, quàm cum altera.

Ad 3. dist. maj. species panis significat sub ratione cibi, sed cibi spiritualis, vel cibi qui simul est potus, C. cibi materialis, vel cibi simpliciter N. porrò cibus spiritualis eo ipso quo animæ famem satiat, restinguit & sitim ejus, quia idem est animæ fames, quod sitis, ut probatum est. Unde Christus non solùm sub utraque specie simul sumpta, sed & sub alterutra est integrum convivium spirituale, & plenam refectionem significat, licèt hanc perfectiùs sub duplici specie significet, quàm sub unica: quapropter totum utriusque speciei & unius duntaxat discrimen se tenet ex parte modi, quo significant, non verò ex parte rei significatæ.

Objicies 2do. Species vini prout Christi sanguinem continent, sunt verum Sacramentum: sed qui verum Sacramentum recipit, novam gratiam recipere debet; ergo R. neg. min. generatim intellectam: alioqui enim qui unam sacri panis formulam post aliam recipit, aut qui calicem sumit duplici haustu, gemini Sacramenti gratiam reciperet; quia singulæ formulæ totidem sunt Sacramenta in sensu objectionis: quod nemo dixerit.

Inst. 1mo. Si res ità sit, species vini nihil operatur: atqui absurdum conseq.

R. Dici potest, 1mo. eum, qui, ut solent Sacerdotes, sub utraque specie communicat ritè dispositus, totam gratiam quæ ex opere operato Sacramenti confertur, recipere in sumptione panis: cùm nulla sit dilationis causa: ità ut tamen gratiam hanc non vi Hostiæ solius recipiat, sed vi utriusque speciei. Potest enim species nondùm recepta, sed certò statim recipienda, ob proximam suam cum alia conjunctionem, Deo ità ordinante, moraliter operari. Tunc porrò species calicis, cùm sumitur, nihil efficit de novo, quia effectum suum bis operari non potest.

2do. dici potest cum Bellarmino, in prædicto casu Eucharistiam sub specie panis non operari, nisi cùm utraque species sumpta est: unde tunc prima species cum secunda post hujus sumptionem confert eandem gratiam, quàm contulisset sola, si sola sumpta fuisset. Neutra expositio impugnari solidè potest: quia utramque viam potuit eligere Deus ad Sacramenti sui effectum: utram verò elegerit, certò definire non possumus.

Inst. 2do. Ex responsionibus nostris sequitur, vel utramque speciem à Sacerdote celebrante inutiliter sumi: vel Eucharistiæ gratiam difficiliùs ab eo comparari, quàm à Laicis, qui-

bus

bus sufficit unius speciei receptio ad plenum Sacramenti effectum: atqui utrumque absurdum est.

R. neutrum sequi. Non 1. tùm quia inutiliter non fit id quod fit juxta institutionem Christi; tum quia inutiliter fieri dicatur id quod fit per duo media, quando unum absolutè sufficit, Christus ipse pluries inutiliter egisse dicendus erit; poterat enim Salvator solo voluntatis nutu miracula sua operari, prout de facto aquam convertit in vinum: atqui tamen aliquando voluntati addidit contactum, ut cùm mortuam puellam suscitavit; aliquando voluntati & tactui addidit instrumentum; ut cùm sputo cœcum illuminavit; ergo. Non 2. absit enim ut sumptio distincta Dominici sanguinis inter difficilia comparandæ gratiæ media recenseatur.

Obj. 3tio. Clemens VI. an. 1341. Galliarum Regi communionem sub utraque specie concessit *ad majus gratiæ augmentum*; ergo. R. prætermissa veritate privilegii hujus, quod alii Regi Angliæ, alii Regi Franciæ indultum volunt, & neutri fortè concessum est; præsertim cùm Clemens VI. nonnisi mense Maio an. 1342. electus sit in Pontificem: R. inquam dist. an. concessit ad majus gratiæ augmentum ex opere operantis, C. ex opere operato, N. Cùm calix passionem Christi disertiùs exprimat, potuit Pontifex, præsumere, futurum ut Princeps, qui ex singulari devotionis affectu, ejusdem usum efflagitabat, teneriori pietatis sensu moveretur in communione quandantenùs duplici, quàm in unica: sed inde quid contra nos?

Quæres an aliquando licita sit Laicis sanguinis sumptio. R. esse, 1mo. cùm alioqui calix ab Hæreticis profanandus erit, aut defuncto post consecrationem Sacerdote corrumpendus; 2do. cùm Sacerdos sanguinem in terra effusum nollet lambere; 3tio cùm obtenta est à R. Pontifice speciei utriusque recipiendæ facultas, aut immemoriali usu confirmata; 4to. cùm Latinus apud Græcos communicat in eo loco ubi nullum Latini templum habeat.

Sed quid si Laicus in extremis panem sacrum deglutire non possit, num ei vini speciem porrigere licebit? Affirmant quidam, eo quia divinum de recipiendo Viatico præceptum humano prævalere debeat. Sed negant multo plures, quia lex divina non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, præcipuisque ritibus graves ob causas ab Ecclesia præceptis.



CAPUT OCTAVUM.

De effectibus Eucharistiæ.

LUtherus paradoxorum seminator, primarium hunc sacræ Cœnæ effectum adscribit, ut graviora quæque scelera abstergat: unde docet, eo quempiam recipiendæ Eucharistiæ esse idoneum magis, quo plurimum & majorum sibi criminum conscius est. Sic ille Serm. an. 1518. habito: *Optima dispositio nonnisi ea est, qua pessimè es dispositus; & è contrario, tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus.*

Ab his errorum monstris recedere videtur Calvinus Lib. 4. Instit. c. 17. 6. 40. ubi, *Cibus hic spiritualis*, inquit, *si in animam inciderit malitiâ, nequitiâque pollutam, majore illam ruina præcipitat.* At hic latet dolus: ut enim anima Calvino polluta non sit, satis est ut in peccato perseverare nolit: unde licèt necdum ab ejus vinculis soluta, incunctanter mensæ Domini assidere potest; modò certò credat omnia sibi in eo Sacramento peccata remissum iri.

Longè aliud sentiunt Catholici omnes, qui nedum lethalia peccata per Eucharistiam remitti concedant, receptionem ejus extra gratiæ statum moraliter præsumptum factam, pro grandi peccato habent. At disputant iidem inter se, 1mo. annon Eucharistia indirectè & per accidens mortale peccatum aliquando remittat in iis, qui illius quidem rei sunt, sed nullam ejus habent conscientiam, vel quia ejus inculpabiliter obliti sint, vel quia ritè se absolutos esse credant, cùm non sint; 2do. an peccata venialia deleat per se ipsam, an mediante aliquo actu, quo quis ad hanc remissionem disponatur; 3tio. an pœnas peccatis debitas auferat. Expendunt quoque an à peccatis futuris præservet; an etiam in corpore operetur; an soli accipienti prosit, &c. Quæ singula, ut prosequamur. Sit

CONCLUSIO I. Eucharistia per se & directè non remittit peccatum mortale, nec proinde primam gratiam producit, sed supponit.

Prob. 1mo. ex figuris Eucharistiæ: Nimirum Agnus Paschalis, panes propositionis, ac demum legis sacrificia, totidem erant Sacramenti nostri figuræ: atqui Agnus paschalis, &c. nonnisi ab hominibus mundis, & puris manducari poterant, ut patet ex Num. 9. I. Reg. 21. & Levit. 22. ergo à fortiori, &c. Atque hinc Christus antè Discipulorum pedes lavit, quàm eis Eucharistiam porrigeret; ut intelligerent quanta in communi-

caturis requiratur animæ mundities. Hinc etiam Filius prodigus non antè ad esum vituli saginati admittitur, quàm Patre reconciliatus fuerit. Hinc demum qui regium convivium sinè nuptiali veste ingredi præsumpsit, in exteriores tenebras projectus est.

Prob. 2do. ex Apost. I. Cor. 11. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*: atqui probatio citra quam homo indignè manducat, non in sola fide consistit, sed in immunitate ab iis omnibus peccatis quæ animam Deo invisam faciant. Probatio enim de qua loquitur Apostolus, ea ipsa est cujus defectu Corinthiorum plures in judicium inciderant: atqui non inciderant in judicium Corinthii, eò quia non id de Eucharistia crederent, quod credendum esset: sed quia & temperantiam læderent, & debitam proximo pauperi charitatem violarent, & iniqua illa agendi ratione Ecclesiam aspernari viderentur. *Alius quidem esurit*, ait Apost. *alius ebrius est - - - Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* En Corinthiorum facinus, positum utique in peccatis contra mores, non in fidei defectu.

Prob. 3tio. ex Patribus, qui morum & vitæ sanctitatem ad susceptionem Eucharistiæ unanimi sensu prærequirunt. Justinus Apolog. 2. *Nulli alii*, inquit Eucharistiæ alimentum *participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacrô propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit, viventi*: atqui hic præter fidem qua creditur, requiritur ablutio à peccatis, & vita verè christiana.

Cyprianus Epist. 9. *Nondum*, inquit, *pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, illis* qui lapsi sunt & ad fidem reversi, *Eucharistia datur, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*; ergo non quis ad communionem aptissimus est, quò in fœdiora crimina proruit, ut sacrilegè blasphemat Lutherus Serm. an. 1519. sed cùm pœnitentiam crimini parem præmisit.

Ambrosius Lib. 6. in c. 9. Lucæ: *Ubique*, inquit, *mysterii ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet*. atque hoc applaudente, præter Lutherum, Christiano Orbe executioni mandavit S. Doctor, cùm Theodosium post cædem Thessalonicam à communione removit, donec scelus suum pœnitentia publica diluisset. Meritò igitur Trid. Sess. 13. Can. 5. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Eucharistiæ es-*

 se

ſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus proveni-re; anathema ſit. & Can. 11. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſ-ſe ſufficientem præparationem ad ſumendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit.*

Et verò Euchariſtia inſtituta eſt ut alimentum ſpirituale, ſe-cundùm id Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus:* atqui alimentum ſpirituale, in eo a quo recipiendum eſt, vitam ſpiritualem ſup-ponit; ſicut corporale vitam corporalem; ergo ſicut corporali-ter mortuis non datur alimentum corporale, ità nec, &c.

Obj. 1mo. Qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, cor-pus ſuum ipſis etiam peccatoribus dari vult: atqui Chriſtus de ſe ipſo ait: *Non veni vocare juſtos*, &c. R. diſt. maj. qui ve-nit vocare peccatores ad Euchariſtiam, vult corpus ſuum ipſis etiam peccatoribus dari, C. qui venit vocare peccatores ad fi-dem & ad pœnitentiam, vult, &c. N. Porrò Chriſtus objectis locis loquitur de vocatione ad fidem & pœnitentiam, non au-tem de proxima ad Euchariſticum convivium invitatione: a-lioqui enim ipſi Infideles ad communionem admittendi forent; cùm & hos etiam Chriſtus vocare venerit.

Nec nocet quòd Chriſtus ipſis etiam peccatoribus tangen-dum ſe permiſerit; tùm quia aliud eſt Chriſtum exterius tan-gere; aliud eundem totum ſacramentaliter recipere. tùm quia exterior Chriſti convictus impiis prodeſſe poterat ad vitam; in-terior verò ejus in Euchariſtia ſuſceptio non prodeſſet niſi ad mortem: tùm quia ipſi etiam ethnici, hæretici & infantes ad Euchariſtiam admittendi eſſent: nam cum iis etiam verſabatur Dominus, & ab illis tangi ſe permittebat.

Inſt. 1mo. Chriſtus peccatores vocabat ad vitam: atqui eo ipſo vocabat ad Euchariſtiam; quandoquidem hæc eſt *panis qui dat vitam mundo.*

R. neg. min. Euchariſtia enim non dat vitam, eo ſenſu quòd hominem ſuſcitet à mortuis; ſed quatenus hominem jam verè viventem confirmat. Exigit autem ordo gratiæ ſicut & natu-ræ, ut qui mortui ſunt, primò vivant, ſecundò ut acceptam vi-tam mediantibus alimentis conſervent.

Inſt. 2do. Quod inſtitutum eſt in remiſſionem peccatorum, dat vitam primam, ſeu illud vitæ genus, quo reus ſolvitur à morte peccati: atqui Euchariſtia inſtituta eſt, &c. Prob. min. ex Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* R. neg. min. quia aliud eſt ſangui-nem Chriſti in Cruce effuſum fuiſſe in remiſſionem peccato-rum; aliud eundem in Euchariſtia à graviter reis bibi in re-miſſionem peccatorum. Primum dicit ſacer Textus; de ſe-

cundo

cundo nihil habet. Quanquàm Eucharisticus sanguis multiplici sensu bibitur in remissionem peccatorum, de quo infrà.

Inst. 3tio. Si res ità sit, absurdè precem hanc effundunt Sacerdotes: *Hæc nos communio, Domine, purget à crimine*, & rursùs: *Præsta ut hoc tuum Sacramentum - - - - sit ablutio scelerum*: atqui, &c.

R. neg. maj. 1mo. quia Ecclesiæ preces saltèm aliquæ intelligi possunt de Eucharistia prout est sacrificium; quod quidem non modò pro justis offertur, sed & pro pœnitentibus, quibus necdum peccata sua dimissa fuêre; imò & pro impiis; ut gratia adjuti ab iniquitate resipiscant. Nec obest vox *Sacramenti*: quia hæc apud veteres plerumque sumitur pro sacrificio; ut in hoc Aug. textu L. de sancta virginitate c. 45. *Notum est quo loco Martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur*; 2do. quia purgari à crimine non ineptè dicuntur, ii etiam qui à culpæ reatu liberi, ejusdem culpæ pœnis obnoxii manent: atque hoc sensu petimus ut Eucharistia *sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum*; 3tio. & magis naturaliter, quia Eucharistia prodesse potest ad delenda peccata mortalia, quorum conscientiam non habemus; de quo statim.

Obj. 2do. Eucharistia instituta est ut symbolum Christi præsentis, qui peccata quælibet remittere potest; ergo ex natura sua habet, quòd mortalia etiam peccata primariò remittat.

R. neg. conseq. Eucharistia enim quo ad effectum spectata, non continet Christum sub quacumque ratione, sed solùm sub ratione cibi animam spiritualiter nutrientis; ergo in eadem anima supponit vitam spitualem, quàm proinde primariò largiri non debet.

Inst. Si Eucharistia vitam animæ supponat, necesse est ut quisquis ad eam accedit, se se jam per charitatem vivum esse confidat: atqui in hac hypothesi nemo ad Eucharistiam accedere præsumet. Ecquis certò se credat ab omni peccato immunem? dicente Apost. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

R. ad 1. neg. min. ut enim quis citra præsumptionem ad Eucharistiam accedat, necessum non est, ut metaphysicè certus sit de sua justitia; cùm ad id speciali opus sit revelatione, quæ paucis contingit: sed satis est, ut probet se ipsum, & quod in se est faciat, ut liberetur à mortalibus, quorum post diligens sui examen conscientiam gerit. Et verò tunc, vel ignoto quopiam lethali gravatur, vel nullo. Si nullo, Eucharistiam dignè sumit. Si quopiam, fatentur omnes à peccato propter inculpabilem sui status ignorantiam excusari. An autem tunc

recipiat fructum Sacramenti, ambigunt Doctores; qua de re sit.

CONCLUSIO II. Non improbabile est per Eucharistiam remitti peccatum mortale, tùm ei qui ejus citra gravem culpam sibi conscius non est; tùm & ei qui licèt ejus sibi conscius sit, justa ad communionem necessitate urgetur:* neque interim eam quâ solâ peccatum deleri potest, contritionem habet. Ità S. Antoninus, Durandus, Paludanus, Soto, Sylvius, Bellarminus, &c.

Prob. 1mo. authoritate S. Thomæ q. 79. a. 3. ubi hæc habet: *Potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati - - - etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis: quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati*: atqui hominem *per hoc Sacramentum* recipere gratiam charitatis, quæ contritionem perficit & remissionem peccati, nihil aliud est, quàm eum accipere vi Sacramenti cum tali dispositione percepti, gratiam peccati mortalis remissivam; & quod isti dispositioni deerat, ab ipso Sacramento suppleri ad modum quo novæ Legis Sacramenta interdum dicuntur hominem ex attrito facere contritum; ergo.

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 13. Can. 5. ubi cautè proscribitur Lutheranus error his verbis: *Si quis dixerit - - - præcipuum fructum SS. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum - - - anathema sit*: atqui is loquendi modus virtualiter significat, peccatorum remissionem esse aliquando & per accidens Eucharistiæ effectum. Ad quid enim vox *præcipuum*, si remissio peccati mortalis nunquam sit Sacramenti effectus per accidens? utique vox ea in adversariorum opinone prorsùs superflua est; quod de Conciliorum definitionibus suspicari non licet.

Prob. 3tio. ex precibus Liturgiæ, in quibus petimus ut *communio*, ac proinde Sacramentum, *purget nos à crimine*, item ut sit *ablutio scelerum*: atqui verba hæc in sensu naturali, qui semper præferri debet, nisi grave quid urgeat in contrarium, ipsam mortalis culpæ abstersionem exprimunt; non verò vel præcautionem contra futura, quia non abluuntur quæ solùm futura sunt; vel liberationem à pœnis peccato præterito debitis; quia ablutio propriè cadit in sordes, quæ inficiunt eum qui abluitur: sordes autem animæ sunt à macula peccati, non à pœnis temporalibus eidem peccato jam condonato debitis, ergo Liturgiæ preces ipsam lethalis peccati remissionem spectant, jam verò non spectant remissionem peccati, cujus quis con-

* *Sylvius.*

conscientiam gerit, prout definiit Ecclesia contra Novatores; ergo peccati quod inculpatè exciderit è memoria, &c.

Prob. 4to. Sacramenta novæ Legis gratiam conferunt non ponentibus obicem; prout docet Trid. Sess. 7. Can. 6. sed qui ad Eucharistiam post diligens examen, & præmisso supernaturali de peccatis dolore accedit, grave, quod fecit peccatum, invincibiliter ignorans, non ponit obicem gratiæ; ergo.

Respondent, ipsum peccati statum esse obicem gratiæ Sacramenti. Sed malè: siquidem Tridentinum iis duntaxat gratiam conferri negat, *qui* eidem *obicem ponunt*; vox autem *ponere obicem*, sonat aliquid activè se habens: porrò in peccatore, non ipse peccati status, sed sola voluntas activè se habere potest; ergo ipse quidem peccator gratiæ obicem ponere potest, & ponit de facto, cùm in peccato sibi complacere perseverat; sed obicem per se & immediatè non ponit peccatum. Et verò si peccatum per se sit obex gratiæ sacramentali, vel gratiæ sacramentali ut sic, vel tali gratiæ, putà Eucharisticæ. Non 1. alioqui infans, qui est in statu peccati, non consequeretur gratiam per Baptismum, quod falsum est. Non 2. sic enim supponitur, non autem probatur, id quod in quæstione est.

Obj. 1mo. cum Tournely: Effectus Sacramentorum, qui ex sola Dei voluntate pendent, non aliunde nobis innotescunt, quàm ex Scriptura, vel Traditione, aut ratione petita & singulari conditione Sacramenti de quo agitur: atqui ex nullo illorum capitum probari potest lethalia peccata per accidens remitti in Eucharistiæ perceptione. Non ex Scriptura vel Traditione; quæ è contra docent, hominem, quò fructuosè ad Eucharistiam accedat, sceleris cujuslibet purum esse debere. Non etiam ex peculiari Eucharistiæ natura. Imò enim Eucharistia à Domino instituta est per modum cibi & potus: atqui cibus & potus nusquam dantur in suscitationem mortuorum, sed tantùm viventibus ad conservationem; ergo.

R. ad 1. neg. min. cujus falsitas patet ex dictis.

Ad 1. 2. Scriptura & Patres exigunt ut homo se ritè probaverit, nulliusque, quantùm de se est, criminis conscientiam gerat: utrumque porrò in hypothesi nostra locum habet. Præterea Patres casum præsentem, utpotè qui rarus sit, vix spectant; ut hinc patet, quòd judicium & mortem comminentur iis qui in peccati statu ad synaxim accedunt: & tamen, fatente S. Bonaventura, qui mortali culpa ignoranter obstricti sacro pane vescuntur, eundem nec ad vitam, nec ad mortem recipiunt.

Ad 2. 2. dist. ant. cibus & potus spiritualis non dantur primò & per se in suscitationem mortuorum, C. non dantur per ac-

cidens, quasi mortuis nunquam prodesse possit, N. Si enim gratia habitualis, quæ per Eucharistiam dari consuevit; spectetur secundùm se, tam de se apta est ad vivificandum, quàd ad nutriendum: quia idem est realiter habitus qui vivificat & nutrit; ergo realiter vivificabit, quoties nullum actioni suæ obicem reperiet; nisi Christus aliud omnino constituerit: porrò Christum aliud non constituisse suadet vel ipsa summa ejus benignitas; quin & species quædam æquitatis: rem enim quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit; quòd autem à Sacerdote, qui vel præ malitia non vult, vel ex defectu jurisdictionis non potest, minimè absolvar, res est quæ meâ culpâ caret.

Hinc non omnino accurata est corporalis & spiritualis cibi comparatio, sicut nec æqua est omnimodè, quæ inter mortuos corporaliter & spiritualiter instituitur. Scilicet enim mortui spiritualiter aliquem vitæ actum, putà attritionem, ex impulsu Spiritus sancti concipere possunt; & aliunde cibum Eucharisticum in suam substantiam vitaliter convertunt, contra verò corporaliter mortui cibum vitali actione in propriam substantiam convertere non valent.

Obj. 2do. Sacramenta novæ Legis eos tantùm pariunt effectus quos significant: atqui Eucharistia non significat remissionem mortalis peccati; sed eam supponit. R. dist. min. ut statim, non significat primò, per se & directè, C. per accidens, & secundariò, N. Eucharistia enim Christum significat ut authorem gratiæ, quæ, licèt de se ad augmentum instituta, vitam aliquando largiri potest. Sic fermè Pœnitentia á contrario gratiam à mortuis suscitantem directè significat, & tamen per accidens gratiam secundam significat in iis, qui perfecta contritione jam vivificati sunt.

Inst. Si Eucharistia gratiam primam significet, debet eam ex opere operato producere: atqui eo ipso non significaret eam per accidens, sed per se. Sacramenti enim significatio practica tam latè patet, quàm ejusdem Sacramenti operatio; ergo si Eucharistia per se primam gratiam producit, debet eam per se, non autem solùm per accidens significare.

Ut solvatur difficultas, animadvertendum est, modum quo Eucharistia lethale peccatum remittit variè à variis explicari. Alii censent Sacramentum hoc non remittere, mortalia per se & immediatè, sed mediante vera contritione, quam impetrat ejusdem sacramenti susceptio; atque in id adducunt hæc S. Thomæ verba: *Fortè enim primò non fuit contritus, sed devotè & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati*: ubi, inquiunt, remissio peccati non Sacramento immediatè, sed cha-

charitati ex occasione Sacramenti in anima succensæ attribuitur. Alii plures Sacramentum immediatè & vi propria remissionem hanc operari contendunt. Neutra expositio cum thesi nostra incompatibilis est. Non secunda, ut ex terminis liquet. Non etiam prima, quia quòd Eucharistia non ex opere operato, sed ex congruitate solùm & misericordia peccatum remittat, parvi refert, modò infallibiliter remittat: porrò non pauca concedit Deus ex sola congruitate, quæ certò concedit. Sed quoniam expositio posterior magè recepta est, & clariùs traditur à S. Thoma in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. idcirco eadem supposita.

R. ad 1. fatendo Eucharistiam in prædicta hypothesi remittere mortalia ex opere operato; non autem ex opere operantis: quia quoties opus operantis est attritio sola, toties obtinendæ mortalis peccati veniæ improportionatum est: unde sequitur, veniam hanc vi sola Sacramenti, ac proinde ex opere operato concedi. Sed nego min. Sacramentum enim non significat per se, nisi id, ad quod primaria Dei institutione conditum est; porrò primaria Christi Eucharistiam sancientis intentio fuit ut vitam augeret: etsi benignè voluerit voluntate secunda, ut per hanc aliquando mortuis, nullum ei obicem ponentibus, vitam tribueret.

Ad 2. neg. conseq. si enim necesse sit ut Sacramentum significet id omne quod ex opere operato producit, haud necesse est ut id per se significet. Sic *juxta probabilem sententiam* * Extr. unctio cum attritione dat primam gratiam, licèt primariò instituta sit ad tollendas peccati jam dimissi reliquias.

Et hæc juxta commune Scholæ placitum Dicta sint: haud enim scio grandisne piaculi reus sit, qui dicet, Eucharistiam per se institutam fuisse ut & vivis ordinariè prodesset, & aliquando mortuis; non quidem omnibus, sed iis qui post debitam sui probationem, bona fide credent se justificatos.

CONCLUSIO III. Eucharistia directè per se & ex opere operato venialia remittit. Ità S. Thomas ibid. art. 4. & cæteri Theologi adeò unanimiter, ut opinio contraria videatur erronea.

Prob. 1mo. ex Trid. Sess. 13. c. 3. ubi Eucharistia dicitur *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis*, seu venialibus. Antidotum porrò ex se & ex vi propria operatur.

Prob. 2do. Ex Eugenio IV. in Decreto, Eucharistia *omnem in anima operatur effectum, quem materialis cibus & potus quo ad vitam agunt corporalem, sustentando; augendo,* REPARANDO *& delectando*; ergo sicut materialis cibus per se & vi propria id reparat ** *quod quotidie deperditur per actionem caloris*

* *Lugo d. 12. a. 15.* ** *S. Thom.*

natu-

naturalis, sic & spiritualis cibus id reparare debet *quod quotidie in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia.*

Prob. 1mo. Eucharistia à Patribus vocatur *remedium quotidianæ infirmitatis*, ut videre est apud Aug. Epist. 54. c. 3. &c. atqui non est medicina quotidianæ infirmitatis, nisi quia veniales expungit noxas, quibus quotidie inficimur.

Obj. 1mo. Vel venialia illa retractantur per dolorem de iis conceptum, vel non. Si 1. jam per dolorem illum, utique ab homine justo elicitum, remittuntur. Si 2. remitti non possunt, cùm nullum remittatur peccatum nisi retractatum; ergo non remittuntur per ipsam Eucharistiam.

R. venialia non remitti sinè dolore de iis concepto; neque tamen dolore huic, sed Eucharistiæ ut plurimùm tribuenda est venialium remissio; quatenus scilicet Eucharistia per actualia auxilia quæ confert ex opere operato, causat charitatis fervorem, *ratione cujus venialia peccata tolluntur*, ut docet S. Thomas ibid. ad 1. Et verò dolor de venialibus cum quo Fidelis ad sacram synaxim accedit, plerumque non est nisi attritio; hæc autem per se solam venialium remissionem non operatur; ergo id quod ei deest, per Eucharistiæ efficaciam suppleri debet.

Obj. 2do. Eucharistia non tollit id per quod effectus ejusdem imminuitur: atqui per venialia, &c.

R. dist. min. per peccata venialia concomitantia ipsum Eucharistiæ usum, imminuitur ejusdem effectus, C. per peccata præterita, subd. per peccata præterita, quæ manent reatu & affectu, C. quæ manent solùm reatu, N. alioqui enim Eucharistia jam non foret antidotum, quo *à culpis quotidianis* liberentur Fideles.

Duo hic notanda, 1mo. ad id ut Eucharistia hominem mundet à venialibus non sufficere ut is nullum ad ea servet affectum, sed requiri ut aliquem de ipsis attritionis dolorem, saltèm virtualem in corde gerat. Ratio est, quia ad peccati actualis remissionem requiritur immutatio quædam ex parte voluntatis, vi cujus id displiceat quod placebat anteà: hæc autem voluntatis immutatio sinè aliquo saltèm attritionis veræ sensu subsistere non potest. Unde qui de tribus dolebit seu expressè, seu virtualiter, trium veniam obtinebit, non plurium, quibus adhærere perseverabit.

2do. Eucharistiam delere venialia aliquando immediatè, aliquando mediatè tantùm. Immediatè quidem, quando subjectum à quo eadem recipitur, solam habet attritionem de venialibus. Cùm enim attritio hæc per se solam nec venialia remittere, nec charitatis fervorem quo eadem remittuntur, operari

perari possit; necessum est ut ea tunc per Sacramentum immediatè deleantur. Mediatè verò, quando eum in suscipiente parit vel charitatis fervorem, vel contritionis sensum, qui cum venialibus compati non possit.

Grave hic emergit dubium, an ut per Eucharistiam augeatur gratia, opus sit pia & actuali dispositone, quæ & culpam omnem venialem ab ipso communionis actu excludat, & aliquem devotionis sensum importet: adeò ut si quis vel cum aliquo inanis gloriæ motu, vel voluntariè distractus communicet, is nullum ex Eucharistia fructum recipiat.

Affirmant plures, præcipuè verò S. Thomas in 4. dist. 12. Alensis, S. Antoninus. D. Bonaventura, &c. 1mo. quia probabile non est iis augmentum gratiæ conferri, qui Eucharistiam recipiunt indignè; atqui ex Bonav. L. de præpar. ad Missam c. 5. indignè recipiunt, qui recipiunt indevotè; 2do. quia SS. PP. ut Basilius, Chrysost. & alii passim, à communione retrahunt, non eos solùm qui sunt in peccato mortali, sed & eos etiam qui accedunt indevotè: atqui haud retrahendi forent, si revera in eo statu augmentum gratiæ consequerentur; 3tio. quia opinioni contrariæ adversatur experentia. Multi siquidem Sacerdotes quotidie in statu gratiæ sacra faciunt, qui tamen nullo signo in gratia crescere deprehenduntur; 4to. quia fieri nequit, ut idem homo simul crescat in gratia & peccet venialiter: atqui id contingeret in opposito systemate.

His non obstantibus docent alii numero plures cum Ysamberto, peccatum veniale concomitans sumptionem Eucharistiæ non impedire gratiæ augmentum, licèt impediat nè fervor gratiæ conferatur, vel dulcedo hujus cibi percipiatur.

Prob. 1mo. expressa authoritate S. Thomæ q. 79. *Effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio spiritualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Ubi S. Doctor apertè retractat id quod fortè contra scripserat in 4. sent.

Prob. 2do. Idem esto judicium de communione omni, quæ propter circumstantiam leviter malam suo possit effectu privari, ac de ea quam quis recipit cum aliquo inanis gloriæ sensu, eò, quòd sentiat se propterea à superioribus suis pluris quàm alios æstimatum iri: atqui nihil est cur communio isthæc omni prorsus defectu privari dicatur. Communio enim nisi verè, indigna sit, totali suo effectu privari non potest: atqui communio in præsenti casu, utpote quæ sit actio hominis verè & intrinsecè justi, verè & propriè indigna esse nequit: cùm indigna

gna communio grande sit hominis scelesti flagitium. Certè, is de quo loquimur, & ante suum inanis gloriæ motum justus erat, ex hypothesi; & propter eundem vanitatis sensum à justitia excidere non potuit. Levis enim in Sacramentum injuria non magis à justitiæ statu deturbat, quàm levis injuria in Deum: atqui hæc non, ut fatentur omnes; ergo nèc illa.

Prob. 3tio. Sacramenta, utpotè quæ agunt per modum causæ naturalis, effectum suum producunt, quoties non inveniunt obicem: atqui carentia devotionis, aut irrepens culpæ levis circumstantia, non ponunt obicem augmento gratiæ: 1mo. quia non major est oppositio inter augmentum gratiæ & noxam venialem, quàm inter substantiam gratiæ, & eandem noxam; ergo sicut in facto esse stat gratia significans cum peccato veniali; sic & cum eodem stare potest gratia in fieri, quoties efficax ejusdem gratiæ causa applicari potest; quia si noxa venialis impediat nè res quæ ex opere operato agit, effectum suum producat, impediet à fortiori nè opus de se meritorum ex solo opere operantis, eundem pariat effectum; sicque opus quodcumque, veniali modò culpæ immixtum, à bonitate sua, & sic à merito excidet, atqui id communiori simul & probabiliori Theologorum sententiæ adversatur, prout probavimus Tom. 1. *Tract. de Act. Human. c. 3. a. 2. Sect. 2. Concl. 2.*

Nec obsunt alterius opinionis momenta.

Ad 1. itaque neg. min. etsi enim qui sinè actuali devotione Eucharistiam recipit, eandem recipiat minùs dignè, non tamen si propriè loquaris, eandem indignè recipit. Vera enim & positiva indignitas oritur ex statu mortalis peccati, quem levis indevotio per se non inducit.

Ad 2. neg. min. meritò enim à frequentissima communione, quæ Basilii & antiquiorum tempore, saltèm apud plures erat in usu, retrahuntur, qui ad eam segniter & tepidè accedunt: 1mo. quia sic cautiores efficiuntur; 2do. quia his timendum est nè ex indevotione negativa transeant ad positivam; & è fastidio ad familiaritatem quæ contemptum parit; 3tio. quia plus ex una communione undecumque perfecta, quàm ex languidis pluribus capitur emolumenti.

Ad 3. 1mo. vereri est nè Sacerdotes multi ex iis sint qui nomen habent quòd vivant, dum interea mortui sunt. Certè Conclusio nostra plus de iis procedit, qui interdum in usu Sacramenti leviter delinquunt, quám de iis quibus pene quotidiana sit quædam indevotio; 2do. non desunt quidem Sacerdotes qui imperfectè vivant, sed nec desunt ex iis plures, qui ad graviora quæque propensi, certam contra peccatum in semetipsis virtutem experiantur, quàm sibi, cùm à celebrando

diu

diu abstinent, deesse sentiunt. An porrò nihil est quòd ad vitia proni à vitiorum actibus temperent; 3tio. constat habitus infusus eorumque augmentum non posse experientia cognosci, quia per se & formaliter nec passiones mortificant, nec vitiorum habitus excludunt, nec venialia peccata removent, nec auferunt difficultatem ex actibus vitiosis relictam, sicut habitus acquisiti: ad hos enim effectus necessum est ut gratia & charitas proximè operentur per auxilia actualia, quæ Ministris haud devotè celebrantibus denegantur.

Notandum tamen eos qui frequentiùs tepidè celebrant, * *cum maximo fundamento vereri debere nè sint in statu peccati mortalis, maximè si ferè numquam ferventer ad hoc Sacramentum accedunt. Quòd si quis ex formali intentione vellet cum tepore & distractione ad illud accedere, dicit Nugno talem peccare mortaliter, propter nimium contemptum tanti Sacramenti.*

Ad 4. dist. maj. ut enim quis ex una parte aliquid gratiæ, percipiat, dum ex alia parte venialitet delinquit, sufficit ut circumstantia venialiter mala actui bono adveniens totam ejus bonitatem non auferat; sic enim nec omne illius meritum delet: atqui rem ità esse probavi Tom. 1. In præsenti ergo gratia Eucharistica non augetur per ipsam communicantis indevotionem? absit: sed augetur per ipsum Sacramentum, quòd ex opere operato agit, cùm nullus occurrit obex qui effectui ejus adversetur.

Conclusio IV. Eucharistia, prout etiam est Sacramentum, pœnam peccatis debitam non remittit, ** *directè ex vi Sacramenti*; remittit tamen ex consequenti & *ex quadam concomitantia.*

Prob. 1. pars: Sacramentum non facit directè & ex opere operato, nisi id ad quod institutum est: atqui Eucharistia haud instituta fuit ad remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ: 1mo. quia id nec ex Scriptura, nec ex Traditione deduci potest: 2do. quin ex iisdem fontibus constat Eucharistiam directè institutam fuisse *** *ad spiritualiter nutriendum, non autem ad satisfaciendum,* prout instituta est Pœnitentia; 3tio. quia ea duntaxat per Eucharistiam remitti postulant, quæ prohibent ne anima cum Christo per charitatem uniatur: Eucharistia enim ad hanc unionem primariò instituta est: atqui pœnæ temporales peccatis debitæ nullam cum unione ista, vel fervore charitatis repugnantiam habent; uti in Christo patet, qui temporalibus peccati pœnis obnoxius fuit, & tamen plenissima semper charitate perfusus; ergo.

Confirm. Eucharistia prout est sacrificium vim habet Deo satisfaciendi, ac proinde pœnarum condonationem obtinendi, pro-

* *Conci.* ** *S. Thom.* *** *Idem.*

ut suo loco dicemus; ergo haud necesse fuit eam quatenus est Sacramentum, ad finem hunc ordinari.

Prob. 2da. pars: Quod confert fervorem charitatis, ex consequenti confert id quod charitatis fervorem consequitur: atqui Eucharistiá dat fervorem charitatis, quo excitatur homo ad exercendos virtutum pœnalium actus, quibus pro peccatis satisfieri, ac proinde pœnæ iisdem debitæ condonatio obtineri possit; ergo.

Neque tamen tota pœna peccato debita per Eucharistiam remittitur, sicut remittitur per Baptismum: alioqui nec fideli synaxim accessuro ulla deberet injungi satisfactio; nec qui Eucharistia munitus è vivis excederet, indigeret Ecclesiæ suffragiis, ut à purgantibus flammis liberaretur: quæ duo erronea sunt.

Obj. 1mo. Eucharistia ex dictis remittit tùm venialia per se, tùm & mortalia per accidens: sed quod remittit peccatum, simul etiam aliquid pœnæ temporalis eidem debitæ remittit, pro dispositione illius cui tale peccatum remittitur.

Respondet Ysambert disp. 1. a. 7. concedendo totum: unde duo docet, 1mo. Eucharistiam ex opere operato remittere pœnas peccatis, quæ per ipsam remittuntur, debitas; 2do. eandem temporales cæterorum delictorum pœnas non remittere, nisi quatenus charitatis fervorem restituit, & ad plures actus de se satisfactorios inclinat. Juxta hæc, quibus enucleandis vacare non licet, præcedens nostra Thesis nonnulla indiget modificatione.

Obj. 2do. Non minor est Eucharistiæ vis quàm Baptismi: atqui is pœnam totam remittit.

R. dist. maj. non minor est Eucharistiæ virtus, sed alius est finis, C. & idem est finis ejus quàm Baptismi, N. Eucharistia enim de se non nisi per modum cibi operari potest, adeòque aliud directè non potest, quám spiritualiter nutrire, ad quod pœnæ temporalis remissio non pertinet.

CONCLUSIO V. Eucharistia à peccatis præservat.

Prob. 1mo. ex Scriptura: Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; ergo per panem hunc munimur contra lapsus qui impedirent nè in æternum viveremus.

Prob. 2do. ex SS. Patribus: Chrysost. Hom. 46. in Joan. *Mysticus sanguis dæmones procul pellit, cúm enim Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur.* Cyprianus Ep. 54. *Non est idoneus ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit.* Tridentini Præsules Sess. 13. cap. 2. Eucharistiam aiunt esse *antidotum, quo à mortalibus præservantur*: atqui Sacramentum, quo dæmones procul pelluntur, quo Christiani ad

prælium contra salutis hostes armantur, præservat à mortalibus.

Prob. 3tio. ratione: 1mo. enim communio munit contra concupiscentiam, funestam corruptionis radicem. Nimirum Eucharistia nutrit per charitatem: atqui bellè Aug. L. 83. qq. q. 63. *Nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis*; 2do. munit & contra omnes hostis antiqui impetus; tùm quia, ut docet cit. Homil. Chrysost. *Ab illa mensa discedimus ut leones flammam spirantes; diabolo facti divina virtute terribiles*; tùm quia Eucharistia jus præbet ad auxilia gratiæ actualia, quibus dæmonum insultus propelluntur, secundùm id Ecclesiæ: *Bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.*

Obj. Si Eucharistia vim habet præservandi à mortalibus, habet & vim dandi, tùm perseverantiam, tùm adeptionem gloriæ: atqui falsum consequens. Aliàs, qui vel semel dignè communicaverit, numquam lethaliter peccabit; quod est hæreticum.

R. ad 1. neg. min. *Si quis* enim, aiebat suprà Veritas, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: Atqui hæc quæ est gloriæ vita, perseverantiam præsupponit. Hinc Eucharistia comparatur cibo illi, cujus *in fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb.*

Ad 2. neg. maj. Nam Eucharistia dat quidem vires, queis adjutus homo à lethalibus cavere, & in bono progredi possit; sed quæ ab eo sæpius, proh dolor! miserè abjiciuntur. Et verò Eucharistia ignis est multiplex: quoti autem *diabolico quodam miraculo* tot inter ignes miserè frigescunt, ut jam tempore suo conquærebatur Chrysostomus.

CONCLUSIO VI. Eucharistia non in anima solùm operatur, sed & in corpore.

Prob. Quod minuit fomitem peccati, qui est in membris nostris, quodque corporis nostri resurrectionem & immortalitatem promovet, illud in ipso etiam corpore nonnihil operatur: atqui Eucharistia utrumque præstat: 1mo. enim * *diminuit fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*, cujus augmentum ex Aug. suprà *est diminutio cupiditatis*; 2do. Eucharistia gloriosam corporis resurrectionem & immortalitatem suo modo operatur. Nam 1mo. id utcumque indicat Christus Joan. 6. his verbis: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*; 2do. id adstruunt SS. Patres, quorum alii, ut Nicæni Præsules, Eucharistiam vocant *symbolum resurrectionis*; alii, ut Ignatius Ep. ad Ephes. *pharmacum immortalitatis*; ergo.

* *S. Thom.*

Porrò

Porrò Euchariſtiam immmortalitatem corporum operatur, hoc ſenſu, quòd licet per eam* *non conferatur corpori donum aliquod, quod* ei *ratione gratiæ & gloriæ non debeatur, dabitur tamen proprio & ſpeciali titulo, ſcilicet propter ſpecialem conjunctionem cum Chriſto factam per hoc Sacramentum - - - unde qui non ſuſcipiunt hoc Sacramentum, vel qui ante inſtitutionem ejus vixerunt, non equidem privabuntur aliqua perfectione gloriæ animæ vel corporis, ſi alias perfectione gratiæ & charitatis non ſint inferiores; at privabuntur ſpeciali illo titulo, quia ſcilicet non dabitur eis gloria propter ſpecialem promiſſionem factam huïc Sacramento.*

Conclusio VII. Euchariſtia non prodeſt aliis ex opere operato. Irà S. Thomas.

Prob. 1mo. quia Chriſtus Euchariſtiam inſtituit per modum cibi & potus; atqui cibus & potus non aliis proſunt quàm ſumentibus; ergo.

Prob. 2do. Si Euchariſtia aliis prodeſſet quàm ſumentibus, vel remittendo pœnam, vel gratiam ſanctificantem conferendo, vel tribuendo gratias actuales: atqui non 1. cùm pœnam ne ipſis quidem ſumentibus directè remittat: Et ſi his remitteret, non tamen aliis; quia Sacramentorum effectus tribuitur ut proprium illius à quo ſuſcipiuntur bonum, quod proinde aliis impertiendi facultatem non habet. Non 2. poſſet alioqui dormientis, cujus in gratiam multi communicarent, ſanctitas mirum in modum excreſcere; quod Chriſtianæ aures non ferunt. Non 3. tùm quia effectus ille proprius eſt Euchariſtiæ in ratione ſacrificii ſpectatæ; tùm quia effectus non excedit promiſſionem: porrò promiſſio gratiæ Euchariſticæ non reſpicit niſi ſuſcipientem, juxta illud: *Qui manducat me, vivet propter me.*

Dixi: *ex opere operato*: quia communio prodeſſe aliis poteſt, viventibus quidem per modum meriti de congruo, aut impetrationis; defunctis verò per modum ſuffragii. Communio enim duo habet, 1mo. quòd ſit actus religionis; 2do. quòd excitet charitatis fervorem. Porrò actus religionis de ſe ſatisfactorius eſt ex opere operantis; non pro eo tantùm à quo elicitur, ſed & pro aliis, quod etiam exigit Communio Sanctorum, quam in Symbolo profitemur. Actus vero charitate fervens facilè erumpit in orationes, quæ Deo in proximi gratiam oblatæ, eidem efficaciùs ſuffragantur.

Hinc meritò proſcriptum à Congregatione Tridentini Concilii interprete ſub Alexandro VIII. quoddam Theophili Raynaudii Opuſculum, quo communio pro mortuis facta reprobatur tanquam *pia fraus.* Communio enim licèt defunctis non

* *Suarez.*

non prosit ex opere operato, seu præcisè quatenus est Sacramentum; prodest tamen ex opere operantis, tùm ratione sui ut actus pietatis, tùm ratione precum, quæ eandem præcedunt, stipant, ac subsequuntur, & ejus occasione fervent magis, magisque Deo acceptæ sunt.



PARS SECUNDA.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex Sacrificium.

ALia est apud Catholicos, alia apud postremæ ætatis Novatores notio sacificii. Neque hi ea de re inter se consentiunt: 1mo. enim sacrificium à Philippo Melanchtone definitur: *Cæremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.* Sed prorsùs malè, 1mo. quia Scriptura multarum virtutum opera sacrificiis opponit. Sic Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium;* &. I. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victimæ:* atqui si omnia virtutum opera totidem forent sacrificia propriè dicta, jam non staret oppositio isthæc; neque enim sacrificium sacrificio ritè opponi potest; 2do. quia ex Aug. L. 8. de Civ. cap. ult. *Unum est sacrificium Christianorum*: atqui non unum sed innumera forent, si, quæcumque ad colendum Deum fiunt, vera forent sacrificia. Deus enim innumeris modis colitur, præsertim autem fide, spe & charitate; 3tio. quia ad sacrificiū verū, prout semper in usu fuit, requiritur verum altare; unde altare & sacrificium ab eadem radice, tùm hebraicè, tùm græcè deducuntur; nec ullum uspiam erectum est altare, nisi in ordine ad sacrificia: atqui constat non ad omnia quæ eliciuntur in honorem Dei, requiri verum altare; ergo & constat non id omne quod in honorem Dei præstatur, verum esse sacrificium. Unde Calvinus ipse citatam Melanchtonis definitionem, tacito Authoris nomine, perstringit Lib. 4. Instit. c. 18. §. 13.

2do. definitur sacrificium à Calvino ibid. *Quidquid omnino Deo offertur*: at nihilo feliciori successu: 1mo. quia ipsum sacrificii nomen tamen tam hebraicè, quàm græcè, mactationem sonat

sonat; ergo ad sacrificium non sufficit ratio sola oblationis, sed requiritur insuper rei oblatæ destructio; 2do. quia Exodi 25. & 35. Deo offerri dicuntur lapides pretiosi, byssus, coccus, &c. quin & Levitæ in munus Domino offeruntur ab Aaron Num. 8. atqui nullum ex his verè & propriè dici potest Domino sacrificium esse; 3tio. quia ad sacrificium verum requiruntur, ex omnium Gentium usu, sacerdotium & altare: atqui neutrum ad veram oblationem requiritur. Verè enim obtulit æris minuta duo vidua hæc, de qua Luc. 21. & ea tamen neque Sacerdos erat, neque habebat altare; ergo ad sacrificium strictè & propriè sumptum non sufficit oblatio.

Fateor tamen sacrificii nomen sumi 1mo. *latissimè*, pro actione omni, quæ in Dei gloriam cedit, ut eleemosynæ largitio, divinæ laudis celebratio: unde Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et eo sensu sumitur apud Aug. L. 10. de Civ. cap. 6. 2do. *pressius* pro oblationibus quæ fiunt in usum templi & Ministrorum; & sic primitiæ ac decimæ nonnunquam sacrificia vocantur. At fatendum est simul illud etiam propriè & magis communiter sumi strictiori sensu. Unde sit

CONCLUSIO. Sacrificium definiri potest: Oblatio rei sensibilis ac mystico ritu consecratæ, cum ejusdem destructione vel immutatione, soli Deo per legitimum Ministrum, facta ad recognoscendum ejus in res omnes creatas dominium.

Prob. Ea est legitima sacrificii definitio, quæ totam ejus naturam per genus & differentiam exprimit: atqui talis est definitio allata: & licèt paulò prolixior videatur, nihil tamen habet quod redundet, ut patebit ex terminorum expositione.

Dicitur itaque 1mo. *oblatio*, quæ vox locum habet generis, quatenus per eam sacrificium convenit cum aliis oblationibus, primitiarum v. g. bonorum operum. Habet tamen sacrificium prout oblatio est, unde distinguatur à Sacramento. Eucharistia nempe ut Sacramentum, offertur homini ad ipsius sanctificationem: eadem verò prout est sacrificium offertur Deo in honorem ejus.

Dicitur 2do. *rei sensibilis*, sive hæc animata sit, vel inanimata. Sacrificium enim, prout fieri consuevit, est actio, qua homines in ejusdem Religionis cultum coadunati, publicum honorem Deo per manus publici Ministri exhibent: atqui actio hujusmodi sensibilis esse debet. Neque enim aliter homines inter se, quàm per signa sensibilia communicare possunt. Unde Aug. L. 10. de Civ. c. 5. sacrificium definit: *Invisibilis sacrificii Sacramentum*, id est signum sacrum & externum.

Dicitur 3tio. *ac mystico ritu consecratæ*: quia res quæ Deo offertur, debet ex profana fieri sacra & Deo dicata: atque id signi-

significat verbum *sacrificare*, quod idem est ac *sacrum facere.* Ista autem consecratio semper in veteri Lege certo fiebat ritu qui mysterium aliquod contineret, putà impositione manuum super victimam, aut ejus in altum elevatione. Hanc definitionis partem omittunt Theologi plures: fortè quia quidquid in honorem Dei destruitur aut immutatur, eo ipso sacrum quid fieri censetur, & proinde consecrari.

Dicitur 4to. *cum ejusdem destructione vel immutatione*: quidquid enim sacrificatur, quadantenùs destrui debet, ut constat ex omnibus Judeorum & Gentilium sacrificiis, ubi aut occidebantur animalia, aut fruges saltèm ex parte torrebantur, aut fundebantur liquores, aut res odoriferæ cremabantur. Et verò sacrificium est latriæ cultus, quô protestamur, Deum à nobis haberi ut supremum vitæ & necis Dominum, qui sicut creare omnia potuit, sic & omnia destruere potest: id autem optimè fit, cùm res Deo oblata destruitur, aut immutatur, ità ut ponatur in deteriori statu, & ad naturales suas inepto.

Dicitur 5to. *soli Deo facta*: soli nimirum Deo debetur supremus latriæ cultus, quem sacrificium importat. Unde Exodi 22. *Qui immolat diis, occidetur, præter quàm Domino soli*: & Aug. L. 10. de Civ. c. 4. *Quis sacrificandum esse censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.*

Dicitur, 6to. *per legitimum Ministrum.* * *Nec enim quisquam sumit sibi* offerendi sacificii *honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Unde vindicem expertus est Deum Ozias, qui cùm Rex esset, sed non Sacerdos, sacrificium offerre voluit, II. Paralip. 26. 18. & verò sacrificium, utpotè actio publica, & præstantissima in religione, Ministros specialiter deputatos exigit. Et id hominibus ab ipsa natura inditum est: Ethnici enim semper elegerunt Sacerdotes, qui sacra sua facerent. Sub lege naturæ concessum est jus illud Patribus-familias, eorumque primogenitis. In Mosaica lege assertum est Aaronis stirpi sacerdotium: in lege Evangelica iis quos Deus per primarios Pastores sibi in Ministros elegerit.

Dicitur 7mo. *ad recognoscendum supremum Dei in res omnes dominium*: is enim primarius est finis sacrificii, ut & infimam suam subjectionem protestatur homo, & Deum recognoscat, ut omnipotentem creaturæ suæ arbitrum, cujus in honorem & nostra cuncta, & nos ipsos destruere parati simus, si ipse exigat: quia verò id non exigit, sed prohibet; pro esse nostro, esse alterius rei offerimus & destruimus, ut nos nè vitæ quidem nostræ, si liceret, parcituros esse significemus.

Obj. 1mo. Oblatio similæ, panum propositionis & frixi in sartagine totidem erant sacrificia: atqui in his nulla erat de-

* *Hebr.* 5. 4.

structio. R. neg. min. posito enim quòd oblatio panum propositionis, &c. non oblatio mera fuerit, sed veri nominis sacrificium, quod negant multi, in ea dubio procul intercessit aliqua rei destructio, ità ut aliquid eorumdem panum, sicut similæ & aliorum id genus combureretur. Neque obest silentium Scripturæ, tùm quia haud necesse fuit ut res notæ omnes scriberentur; tùm quia constat non id omne quod ab Authoribus sacris exprimi potuit, semper expressum fuisse, sic Apostolus Hebr. 9. scribit Moysem, cùm vetus Testamentum sanciret, accepisse sanguinem vitulorum & hircorum, *cùm aqua, & lana coccinea & hyssopo*; ac *ipsum quoque Librum, & omnem populum aspersisse*; & tamen de hac Libri aspersione, lana coccinea & hyssopo nihil scripsit Moyses. Quanquam nonnihil panum propositionis combustam fuisse indicat Textus Hebraicus, ubi quod vulgatus Interpres de iisdem panibus ait Levit. 24. v. 9. *Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini*, sic habetur: *Sanctitas sanctitatum hoc ei, de ignitionibus Domini*: ignitio enim combustionem propriè significat.

Inst. Christus semetipsum verè sacrificavit in cruce: atqui Christus nullum circa se actionem exercuit, quæ sui destructiva foret: nihil enim aliud fecit quàm Martyres, qui tamen non dicuntur sui sacrificium obtulisse. R. neg. min. qui enim per se ipsum animam suam sejunxit à corpore, adeò ut verum fuerit eum sibi, non autem tortores vitam eripuisse, ille actionem sui destructivam exercuit: atqui Christus per se ipsum - - - prout ipse prædixerat Joan. 10. his verbis: *Nemo tollit* animam meam *à me, sed ego pono eam à me ipso.* Id autem factum credimus, quando Salvator cum * *voce magna inclinato capite tradidit spiritum.* Et verò grandis ille clamor eò usque erat hominis, non fracti dolore, sed proprio nutu morientis, ut *videns Centurio, quia sic clamans expirasset*, dixerit: *Verè hic homo filius Dei erat.*

Ergo, inquies, verum Deo sacrificium obtulêre illi Martyres, qui positivè morti suæ cooperati sunt, ut Appolonia, & Pelagia, quæ se in ignem aut aquam dedêre præcipites. R. neg. ant. Non enim offert Deo sacrificium, nisi qui sacrificandi intentionem habet: hanc porrò non habuêre Martyres, nisi fortè inculpabiliter nescierint à Deo fuisse constitutum, ne novum aliud in Evangelica lege sacrificium usurpetur præter Eucharisticum. Unde qui Deo placere ratus, in flammas prorumperet, sacrificaret equidem, non secus ac qui agnum vel ovem mactaret, ut olim Judæi; at sacrificaret impiè, saltem materialiter, quia Christus certum pro Lege nova sacrificium instituendo, exclusit cætera.

* *Marc.* 15.

Obj.

Obj. 2do. quod ordinatur ad hominis ſanctificationem, non ordinatur præcipuè ad cultum Dei: atqui ſacrificium - - - unde ex eo innumera Dei in hominem profluunt beneficia. R. diſt. maj. quod ordinatur primario ad hominis ſanctificationem, C. quod ordinarur conſequenter, N. Ea eſt hominis ſacrificantis intentio primaria, ut Deum honoret; at hinc ſibi gratiam ejus conciliat: ſicut qui amico dona in ejuſdem commodum largitur, eumdem ſibi magè magiſque devincit.

Quæres 1mo. an ad ſacrificium requirantur verba.

R. ſacrificium poſſe fieri ſinè verbis, & à fortiori cum verbis populo ignotis. Ratio eſt quia Deus, cui ſoli fit ſacrificium, cogitationes intelligit, ſeu abſque verbis, ſeu his vel illis verbis exprimantur.

Quæres 2do. an ſacrificium ſemper ſumatur pro actu ſacrificandi. R. negat. ſumitur enim ſæpiſſimè pro re ſenſibili quæ ſacrificatur, & ſic definitur. *Res ſenſibilis oblata Deo, & aliqua ſaltèm ſui parte deſtructa, ad proteſtandum eum eſſe rerum omnium authorem, & arbitrum.*

Multiplex eſt ſacrificii diviſio: 1mo. enim ratione ſtatus dividitur in ſacrificium Legis naturæ, Legis antiquæ, & Legis Evangelicæ. Primi generis ſacrificia quo ad rem, & formam ab hominibus ipſis determinata fuiſſe videntur: etſi eorum nonnulla ab ipſo Deo præſcribi potuêre. Secunda á Moyſe quidem promulgata ſunt, ſed à Deo immediate inſtituta. Unicum verò Legis novæ ſacrificium non ab alio quàm ab homine Deo ſanciri potuit.

2do. Ratione materiæ dividitur in victimas, immolationes & libamina: triplex enim erat materia, quæ in ſacrificiis veteribus offerri deberet, 1mo. animalia, non omnis ſpeciei, ſed per legem præſcripta, putà oves, capræ, hædi, boves, vituli, columbæ, paſſeres & turtures, 2do. fructus terræ, ut panis, ſimilia, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum, 3tio. liquores, ut ſanguis, vinum, aqua, oleum, nec quid his amplius. Cùm ergo fiebat ſacrificium ex animalibus, vocabatur hoſtia, ſeu victima; cùm ex terræ frugibus, immolatio; cùm ex liquoribus, libamen. Animalia mactatione & aliquando combuſtione offerebantur; liquores effuſione, fructus immutatione multiplici: panis enim diſſecabtur in fruſta, ſimila clibano, ſartagine vel craticula coquebatur; ſal urebatur, thus adolebatur, ſpicarum manipulus torrebatur, triticum conterebatur.

3tio. Dividitur ratione formæ, ſeu variæ actionis per quam res immutari ſolebat, dividitur, inquam, præcipuè in holocauſtum, ſacrificium pro peccato, & hoſtiam pacificam.

Holocauſtum perfectiſſima erat ſacrificii ſpecies, quia in eo obla-

oblata res comburebatur tota, ità ut nihil inde cederet in usus humanos: sic enim apertissimè significabatur nostra omnia ad Deum pertinere. Holocaustum tamen nonnunquam pro peccato populi & Sacerdotum offerebatur.

Sacrificium pro peccato, partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui eo vescebantur in atrio templi, unde *peccata populi*, id est oblatas pro populis hostias comedere dicebantur. Solebat offerri sacrificium illud pro exterioribus quibusdam peccatis, putà furti, perjurii, calumniæ, item & pro peccatis, quæ quis ex negligentia circa cæremonias legis commisisset.

Hostia pacifica offerebatur, vel ad gratiarum actionem pro benificiis à deo acceptis, vel ad nova impetranda. Dividebatur hostia hæc tres in partes, quarum alia in honorem Dei comburebatur, secunda cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum offerentis.

4to. Dividitur sacrificium ratione finis in latreuticum, Eucharisticum, impetrariorum, & propitiatorium: quæ divisio parum differt à præcedenti. Latreuticum dicitur, quod tantummodò dirigitur ad cultum Dei, testando principatum ejus & nostram servitutem; & id potissimùm fit in holocausto. Eucharisticum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Impetratorium pro beneficiis accipiendis: & utrumque in Lege veteri dicebatur hostia pacifica. Propitiatorium denique offertur pro peccatis, & avertendis eorumdem pœnis. Hæc sacrificia suo unumquodque modo cedebant in honorem Dei, holocaustum quidem absolutè, cætera verò etiam in ordine ad homines: unde holocaustum cæteris præstantius erat.

Duo hic requiruntur, 1mo. an Deus per sacrificia coli possit; 2do. an absolutè debeat.

R. ad 1. Cultus Dei per exteriora sacrificia licitus est & honestus. Quod enim fecère viri sanctiores, Deo primùm approbante, tum & deinceps imperante, de se licitum est & honestum: atqui viri sanctiores sacrificia obtulerunt, 1mo. Deo approbante, ut patet ex facto Abel, ad cujus sacrificium *respexit Deus*, Genes. 4. 2do. Deo imperante, ut ex toto ferè Levitici Libro compertum est, ubi omnis generis sacrificia præcipiuntur.

Confirm. Cultus qui religiosum habet finem, & accommodatus est, ad profitendam tùm Dei majestatem, tùm hominis, quantùm ad corpus & animam, subjectionem, nihil habet nisi honesti: atqui tale est sacrificium, prout ex dictis sequitur. Reprobata quidem quandoque fuerunt sacrificia: unde id Dei apud Isaiam c. 1. *Sanginem hircorum & taurorum nolo*: sed quia

à sanctis animæ dispositionibus sejuncta erant: unde Isaias ibid. subjungit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

R. ad 2. Sacrificium multiplici quidem titulo commendatur, haud tamen strictè præceptum est jure naturali.

Prob. 1. pars 1mo. quia ex dictis, sacrificium est actus religionis; 2do. quia universæ gentes generali quodam impetu in id proruperunt, ut Deum externo sacrificiorum ritu colerent; 3tio. quia difficile admodum erat ut homines ejusdem solis incolæ, in aliquod veræ aut falsæ religionis nomen non convenirent: atqui ex Aug. * L. 19. contra Faust. c. 11. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Etsi porrò non desunt penitùs alia à sacrificiis signacula, quorum exteriori consortio colligari homines possint, constat tamen sacrificia ad hunc finem esse maximè idonea.

Prob. 2da. pars: Quod jure naturali strictè præceptum est, non potest omitti sinè peccato, & quidem gravi, si gravis sit materia, ut est dubio procul materia sacrificii: atqui nihil est in naturæ legibus, unde colligi possit sacrificium tantæ esse necessitatis. Præterquam enim potior cultus Dei qui *spiritus est, in spiritu* consistit, non desunt, media à sacrificiis diversa, quibus exterior eidem Deo cultus honestè & sufficienter exhiberi valeat, qualia sunt laus & oratio vocalis, genuflexiones, & alia id genus; ergo licèt natura homines ad sacrificium moveat, haud tamen illud strictè præcipit.

CAPUT SECUNDUM.

An aliquod sit in nova Lege Sacrificium.

DEletis à Christo veteribus sacrificiis nihil præter Missam habet nova Lex, quod sacrificii nomine insigniri possit: unde præsens quæstio, in eo est an Missa sit verè & propriè sacrificium.

Id porrò quod hodiè Missam dicimus, dictum est olim, 1mo. Liturgia, id est, opus seu officium publicum, quod nempè pro omnibus vivis, & in Christo mortuis offertur; 2do. Synaxis, Latinè adunatio, quia Fideles per Eucharistiam cum Christo & inter se uniuntur; 3tio. Collecta, quia in unum coeunt, ut divinis participent; 4to. Oblatio, quia summæ majestati offertur in propitiationem peccatorum, &c.

Missæ nomen deducunt Hebraistæ quidam eruditi ab Hebraica

* *T. 8. p. 319. C.*

ca voce *Miſſach*, Deutor. 6. 10. oblationem voluntariam ſignificat: Alii paſſim à verbo *mittere*, ità ut *Miſſa* idem ſit ac Miſſio [prout apud Cyprian. *remiſſa* idem ſonat quod remiſſio] ſeu quia oblatio ſacra ex donis à populo miſſis fieret; ſeu quia Sacerdos preces ſuas ad Deum mittit per Angelos, ſicut populus per Sacerdotem; ſeu meliùs, quia peracta re ſacra dimittitur populus clamante Diacono; *Ite, Miſſa eſt*: quo ſenſu Aug. Serm. 49. *Fit Miſſa Catechumenis, manebunt Fideles.*

Miſſa duplex olim diſtinguebatur: Alia Catechumenorum & pœnitentium, quia huic illis intereſſe liceret; & ea ab Introitu durabat uſque ad Offertorium, quo imminenti Diaconus altiori voce clamabat: *Exite Catechumeni, pœnitentes, indigni.* Alia Fidelium quæ ab introitu durabat uſque ad finem; quo tempore dimittebantur Fideles his verbis: *Ite, Miſſa eſt*, ſeu demiſſio eſt. Atque hinc jam colliges quanti apud Veteres foret Miſſa, cujus potiſſimæ parti ne pœnitentibus quidem intereſſe concederetur. An autem ea Miſſæ dignitas ad ſacrificii rationem uſque aſſurgat, diſputatur.

Negarunt Zuingliani, & Calviniſtæ, quorum princeps ſic blaſphamat L. 4. Inſtit. c. 18. *Peſtilentiſſimo errore* diabolus *totum penè Orbem excæcavit*, ut crederet *Miſſam, ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandum peccatorum remiſſionem.* Negavit & Lutherus, qui Libro de Miſſa privata, quem an. 1534. publici juris fecit, ſcribere auſus eſt, ſibi à dæmone in prolixo ea de re colloquio ſuggeſtum ac perſuaſum, Miſſæ ſacrificium abrogandum eſſe: de quo videris Librum cui titulus: *La Conférence du diable avec Luther*, ou *Luther diſciple du diable.*

Ex hinc abrogata eſt Miſſa in variis mundi partibus, apud Helvetios agente Zuinglio; apud Genevenſes ſatagente Calvino, cui impendio curæ fuit, ne vel ipſum oblationis nomen ſervaretur, &c.

Apud Anglos Henricus VIII. etſi ab Eccleſia Catholica diſceſſiſſet, nihil tamen immutatum voluit in Liturgia præter R. Pontificis, S. Thomæ Cantuarienſis, aliorumque Sanctorum aliquot memoriam, quam uſurpato Eccleſiaſtico Primatu, è Miſſalibus expungit. At regnante Eduardo VI. ingens emerſit rei Liturgicæ permutatio; quin & circa an. 1549. à Regni proceribus ad generalia Regni comitia convocatis definitum eſt, Euchariſtiam ſic Sacramentum eſſe, ut ſacrificium non ſit.

His non obſtantibus verum Anglicanæ Eccleſiæ ſacrificium aſſerere conatus eſt non ità pridem Petrus-Franciſcus le Courayer, Canonicus Regularis S. Genovefæ, & ob præclara ſua in Anglicam gentem merita Doctor Oxonienſis, quo ſucceſſu paucis infra expendemus: ſed ante ſtabilienda venit Catholici do-

dogmatis veritas. Hanc autem pluribus argumentis confirmare solent Catholici, quorũ præcipua ad aliquale memoriæ levamentum singulis Conclusionibus prosequemur. Sit

CONCLUSIO I. Solidè evincitur Eucharistiam esse veri nominis sacrificium, ex eo quòd Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Prob. 1mo. ex his Psalm. 109. verbis: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, quæ Apostolus Hebr. 7. 8. & 9. docet ita convenire Christo, ut idem dici non possit Sacerdos secundùm ordinem Aaron. Unde sic: Ut ex prædicti Sacerdotii conditione inferri meritò possit, Eucharistiam sacrificium esse propriè dictum, tria sufficiunt, 1mo. ut Christus quatenus *Sacerdos* sacrificium offerre debuerit, 2do. ut quatenus *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, illud idem sacrificium nonnisi in Eucharistia offerre potuerit, 3tio. ut quatenus *Sacerdos in æternum*, ejusdem offerendi potentiam ad Apostolos suos, eorumque successores transmiserit: atqui tria hæc constant. Et 1mo. Christus prout Sacerdos sacrificium offerre debuit; quandoquidem ex Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum - - - - hostias constituitur*: neque id in dubium vocant Adversarii, sed in oblato semel Crucis sacrificio peractum esse contendunt; 2do. Christus sacrificium, quod prout Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech offerre debebat, nonnisi in Eucharistia offerre potuit. Nimirùm verò Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech eo ritu sacrificium offerre debuit, quo obtulit ipse Melchisedech; sicut Sacerdos secundùm ordinem Aaron debuit sacrificia offerre ritu Aaronico: atqui Melchisedech sacrificium obtulit in pane & vino, secundùm id Genes. 14. 18. *Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Altissimi*; ergo & Christus in pane & vino sacrificiũ offerre debuit. Subsummo: atqui id nisi fecerit in Eucharistia, nullibi fecit; neque enim in Cruce panem & vinum obtulit, sed corpus & sanguinem suum; ergo. 3tio. denique Christus ut Sacerdos in æternum, ejusdem sacrificii potentiam ad Apostolos suos, eorumque in ministerio successores transferre debuit. Nimirum verò qui est Sacerdos in æternum, sacrificium in æternum offerre debet: atqui Christus nonnisi per Apostolos suos, eorumque successores sacrificium in pane & vino offerre potest; ergo necessum est ut ejus offerendi potentiam in Sacerdotes suos transmiserit: prout transmisit de facto, cùm ait: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Prob. 2do. ex SS. PP. qui ex eodem principio eamdem ad nos consecutionem deduxerunt. Cyprian. Ep. 63. *Quis magis*

gis Sacerdos, *quàm D. N. J. C. qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*: atqui nullum aliud in pane & vino sacrificium offerre potuit Christus, quàm Eucharistiæ; ergo Eucharistia illud ipsum est quod à Cypriano sacrificii Dominici nomine insignitur.

S. Clemens Alex. L. 4. Stromat. *Melchisedech*, inquit, *Rex Salem*, *Sacerdos Dei* altissimi, *panem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum*, *in typum Eucharistiæ*. Unde sic: Res per typum adumbrata typo respondere debet: atqui panis à Melchisedech oblatus veri sacrificii rationem habuit: utpotè qui à Sacerdote Dei altissimi sanctificatus fuerit, ac proinde è profano sacer factus.

S. Hieron. Epist. ad Marcellam: *Recurrere* inquit, *ad Genesim*, *& Melchisedech Regem Salem*, *hujus Principem invenies Civitatis* Bethleem, *qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit*, *& mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicavit*. Idem docent cæteri Patres.

Obj. Duo supponit probatio nostra, 1mo. Melchisedech verum panis & vini sacrificium obtulisse, cùm *obviam venit Abrahæ revertenti à cæde Regum; 2do. Christum Melchisedecho assimiliatum fuisse, quantùm ad hanc oblationem, adeò ut non secùs ac Melchisedech sacrificium in pane & vino offerre debuerit: atqui utrumque falsum est. Primum quidem, quia Melchisedech solùm protulit panem ad reficiendos Abrahæ milites ex prælio fatigatos; prout docent Philo L. 1. Allegoriarum, Josephus L. 1. Antiq. c. 11. Unde in Hebraico textu non legitur: *Erat enim Sacerdos*, quasi ea esset causa, cur panem protulerit: sed legitur: *Erat autem Sacerdos*, *& benedixit* Abrahæ. Secundum verò; quia Apostolus Hebr. 7. varia capita secundùm quæ Melchisedech *assimilatus est Filio Dei*, fusè expendens, hæc recenset, 1mo. quòd Melchisedech non solùm Sacerdos foret, sed insuper Rex justitiæ & pacis; 2do. quòd major fuerit Abrahamo, cum ipsi benedixerit & ab eo decimas acceperit; 3tio. quòd fuerit *sinè patre*, *sinè matre*, *sinè genealogia*; quia nullibi legitur genealogia ejus; sed qui leviora hæc recenset, haud prætermisisset sacrificium panis & vini, si tale aliquod obtulisset Melchisedech, & in eo præsertim ritu adumbrâsset Christi sacerdotium; ergo Christus non ex eo dictus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quia in pane & vino sacrificium oblaturus esset.

R. ad 1. neg. min. pro utraque parte. Ad 1. 1. neg. min. etsi enim probabile est, Melchisedechum panes quos secum asportaverat, divisisse sociis Abrahæ, quia moris erat, ut in sa-

* *Genes.* 14.

cri-

crificiis ad gratiarum actionem institutis, veteres nonnihil oblationis degustarent; indubie tamen credimus, eosdem panes ante in sacrificium Domino oblatos fuisse: 1mo. quia non ignorabat Melchisedech Abrahæ milites, qui spoliis graves revertebantur, non indiguisse panibus aliunde quæsitis; ergo quos detulerat secum, non detulerat, ut Abrahæ exercitum reficeret, sed ut Deo, propter insignem viri pii triumphum, solemni sacrificio gratias rependeret; quia cùm Scriptura sacrificium Melchisedech, uti ab Aaronico diversum, pluribus in locis describebat, conveniens fuit, ut alicubi traderet, quale fuerit Melchisedechi sacrificium: atqui si oblatio panum à Melchisedecho facta Gen. 14. non sit veri nominis sacrificium, nullibi loquitur Scriptura de ejusdem Melchisedecho sacrificio; ergo per prolationem panis & vini ab eo factam necessum est, ut intelligatur actio sacrifica; 3tio. quia velint, nolint Calvinistæ, ratio sola cur Melchisedech panem & vinum obtulerit, ea est, quòd esset *Sacerdos Dei altissimi*: hæc autem ratio nullatenus ad rem pertineret, nisi panem & vinum ad sacrificium protulisset, & Deo priùs oblata tribuisset Abrahæ.

Nec obest quod Hebræus textus particulam *vau* conjunctivam habet, non causalem *chi*, quia constat particulam *vau*, seu &, sæpius vim habere causalis *chi*, seu *enim*, vel *quia*. Sic Gen. 20. ait Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *En morieris propter mulierem quam tulisti, & ipsa*, [id est, *quia ipsa*] *habet virum.* Psalm 142. *Non avertas faciem à me, & similis*, [id est, *quia similis*] *ero descendentibus in lacum*, &c.

Ad 1. 2. neg. min. & dico 1mo. Apostolum non omnia recensuisse in quibus Melchisedech & Christus inter se convenirent, sed quædam eaque sublimia reticuisse: sic enim loquitur c. 5. *De quo Melchisedech nobis grandis sermo habendus esset, & ininterpretabilis ad dicendum*; id est: At sermo ille captum vestrum superat, *quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Neque verò decebat ut in Epistola quæ ad infideles Judæos facilè deventura erat, Eucharistiæ mysterium tam palàm aperiretur, quàm in Epistola ad Corinthios fideles: quanquam & illud, obscurè licèt, indigitat Apostolus Hebr. 13. his verbis: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*: si enim Christiani Altari habent, habent & victimam; prout infrà ponderabimus.

Dicò 2do. Paulum oblationis à Melchisedech factæ, & Eucharistiæ per illam præfiguratæ non meminisse, quòd id ad finem ejus non conduceret. Quatuor enim sibi probanda sumit Apostolus, nempe 1mò. sacerdotium Christi haud fuisse secundùm ordinem Leviticum, quia prædixerat David, Christum

fu-

futurum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech: & aliundè Christus non erat è Tribu Levi; 2do. Sacerdotium Christi vel hinc Levitico præstantius futurum, quòd esset secundùm ordinem Melchisedech: quia Melchisedech in Scripturis exhibeatur major quàm Abraham, & proinde quam ipse Levi ab Abrahamo oriundus; cùm & Melchisedech benedixit Abrahæ, & Abraham decimas eidem pependerit; 3tio. Christi sacerdotium, utpotè quod *in æternum* perseverare deberet, præferendum esse Levitico, cui, juxta Jeremiæ prædictionem,* novum Testamentum à Deo substituendum erat; 4to. denique inefficacia fuisse Legis sacrificia, unde necessum erat ut per singulos annos iterarentur: Christi verò sacrificium adeo efficax fuisse, ut unica sui oblatione sanctificationem hominum in æternum consummaverit: jam verò ut quatuor hæc capita probaret Apostolus, superfluum erat, ut vel oblatum à Melchisedech in pane & vino sacrificium, vel sacrificium Eucharistiæ commemoraret; & de re *ad dicendum ininterpretabili* coram *imbecillibus* differeret; ergo.

Inst. Sacerdotium Christi quatenus est secundùm ordinem Melchisedech, debet distinctum esse à sacerdotio Levitico: atqui Sacerdotium Melchisedech fuerit in pane & vino, jam nec sacerdotium Christi, nec sacerdotium ipsius Melchisedech distinctum fuit á sacerdotio Levitico. Siquidem Levitici Sacerdotes in jugi sacrificio, quod diebus singulis mane & vespere offerebant, panem adhibebant & vinum, ex Numer. c. 28. 5.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. ant. adhibebant panem & vinum, ut adjuncta quædam, ac veluti quædam oblationis condimenta, C. ut præcipuam sacrificii materiam, N. præcipua enim jugis sacrificii materia erat agnus anniculus; cui adjungebatur, non panis propriè dictus, sed decima pars similæ conspersæ oleo, ut videre est Exodi 29. 40. Verùm in sacrificio Melchisedech & oblatus est panis simpliciter dictus, & panis ille fuit tota & integra sacrificii oblatio.

Conclusio II. Sacrificii Eucharistici dogma ex Prophetarum oraculis invictè demonstratur.

Prob. ex Malachiæ 1. v. 10. & 11. ubi sic: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Unde sic: Tria in allató textu docet Malachias, 1mo. Deum antiquæ Legis sacrificia rejecturum esse: *Munus non suscipiam de manu vestra*; 2do. instituum iri in nova Lege sacrificium aliud longè præstantius: *Sacrificatur & offertur*, præsens pro futuro, more Prophe-

* *Jerem. 31.*

phetarum; 3tio. posterius illud sacrificium in universo terrum Orbe celebratum iri: *In omni loco sacrificatur*, &c. atqui duo hæc postrema quæ primum supponunt, uni conveniunt Eucharistiæ. Vel enim oblatio munda, & in omni loco offerenda, de qua loquitur Malachias, consistit in ipso Crucis sacrificio, vel in bonis virtutum operibus, quæ aliquando sacrificia spiritualia nuncupantur, prout volunt Calvinistæ: atqui neutrum dici potest. Non 1. oblatio enim de qua Malachias in omni loco & inter Gentes offertur; atqui sacrificium Crucis nec in omni oblatum est loco, nec inter Gentes, sed solùm Jerosolymis; ergo. Non 2. nam 1mo. oblatio de qua vaticinatur Malachias, debet esse munda: atqui in systemate Calvini, nullum est omnino opus, quantumcumque sanctũ appareat, quòd verè mundum sit; cùm juxta Novatorem, omnia Fidelium opera totidem sint peccata ex genere suo mortalia; 2do. oblatio Malachiæ succedere debet oblationibus Judaicis prout rejectis ad minimum *propter* ipsarum *inutilitatem*, Hebr. 7. atqui spiritualia Judæorũ sacrificia nihilo plus inutilia fuerant quàm spiritualia quæ iis succeslêre Gentium opera; cùm utraque & ab eodem prodirent principio, & eadem Christi fide niterentur; 3tio. loquitur Malachias de ea oblationis specie, quæ simpliciter dicitur *Minhha*: atqui Hebraica hæc locutio propriè certum externi sacrificii genus designat, neutiquàm verò sacrificia spiritualia, quæ non simpliciter dicuntur sacrificia, sed cum addito, ut *sacrificium laudis*, *sacrificium justitiæ*, *hostia vociferationis*; 4to. sacrificium spirituale ab omnibus offerri potest & debet; atqui nova oblatio de qua Malachias, ab omnibus offerri non potest. Hæc enim oblatio succedit oblationibus, quæ non nisi per Sacerdotes fieri poterant, & quos solos alloquitur Propheta, ut ex iis ejus verbis liquet: *Ad vos o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum*; ergo.

Prob. 2do. ex Patribus, qui unanimi consensu vaticinium Malachiæ de Eucharistico sacrificio interpretati sunt. Justinus Dialog. cum Triphone Judæo sic loquitur: *De nostris Gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ - - - prædixit* Malachias, *nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

Chrysost. in Psal. 95. *Prædixit Deus per Prophetam - - -* Non est mea voluntas in vobis, &c. *Vide quàm luculenter, quamque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta Hostia.* Aug. L. 18. de Civ. c. 35. *Malachias prophetans Ecclesiam, Judæis apertissimè dicit ex persona Dei:* Ab ortu solis, &c. *Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à solis ortu usque*

ad

ad occasum, Deo jam videant offerri, sacrificium *Judæorum jam cessare, negare non possunt.*

Obj. 1mo. in hoc versu Psalmi 141. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, vox *sacrificium* metaphoricè & spiritualiter intelligenda est: atqui hæc tamen Hebraicè exprimitur per nomen Minhha, ut apud Malachiam; ergo eadem vox apud Malach. sacrificium spirituale significat.

R. neg. maj. & dico in objecto textu, sacrificium strictè sumi pro illa sacrificii specie, quæ quotidie ad vesperam offerebatur ex præscripto Legis. Nempè verò Deum orat Psaltes, ut orationem suam gratam habeat, prout gratum habere solet sacrificium vespertinum. * *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*: id est, sursum ascendat oratio mea, sicut fumus incensi, & oratio in qua supplices tendo manus, sit veluti quoddam sacrificium vespertinum: unde hîc sacrificii nomen tam literaliter sumitur, quàm vox incensi.

Obj. 2do. Justinus in objecto loco, asserit Eucharistiam, de qua prophetavit Malachias, esse tantùm memoriam passionis Christi, & actionem gratiarum: atqui ubi est tantùm memoria passionis Christi, & gratiarum actio pro beneficiis à Deo receptis ibi merum est sacrificium spirituale.

R. neg. maj. siquidem Justinus in toto textu duo facit, 1mo. declarat sacrificium quod prænuntiavit Malachias, esse oblationem Eucharistiæ ex pane & vino confectæ; 2do. aperit ejusdem sacrificii finem, quem in memoria passionis Christi & gratiarum actione reponit; ergo non in sola passionis Christi memoria, & gratiarum actione sacrificium Malachianum reponit, sed primùm & antecedenter in ipsa Eucharistiæ oblatione.

Obj. 3tio. Chrysost. Homil. adversùs Judæos, postquàm Malachiæ textum explicuit de Eucharistia, subdit Eucharistiam esse spirituale sacrificium, & in hoc à legalibus sacrificiis distingui; ergo S. Doctor Malachiæ oraculum de sacrificio tantùm spirituali intelligit. R. neg. conseq. Eucharistia enim, tametsi sacrificium exterius, spirituale sacrificium meritò nuncupatur, 1mo. quia victimam continet, quæ licèt realiter sub panis & vini speciebus existat, iisdem tamen subest modo quodam spirituali; 2do. quia victima hæc spiritualiter immolatur, nempe verborum gladio, de quo infrà; 3tio. quia eadem victima, qua Christus est pascha nostrum, non nisi speciali S. Spiritus efficacia præsens sistitur in altari; 4to. quia nihil spirituale magis quàm Christus penès præcipuam sui partem.

CONCLUSIO III. Eucharistiam verum esse sacrificium evincunt plura novi Testamenti loca.

* *Levit.* 6.

Prob.

Prob. 1mo. ex verbis institutionis, Luc. 22. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens ; Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur :* [Græcè I. Cor. 11. *quod pro vobis frangitur.*] *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novi Testamenti in sanguine meo, qui* calix *pro vobis,* & ut addit Matthæus, *pro multis fundetur, græcè funditur.*

Unde sic : Ut Eucharistia sit sacrificium, sufficit ut in ea sit oblatio victimæ cum effusione sanguinis : atqui ex prædicto textu legitimè colligitur prædictam oblationem reperiri in Eucharistia. Vel enim in citato textu exprimitur oblatio, quæ Deo actu fieret cum effusione ; vel ea quæ postmodùm in Cruce facienda erat ; vel demùm sola actio porrigendi panem Apostolis ad manducandum, & vinum ad bibendum : atqui neutrum è postremis duobus dici potest.

Non I. 1mo. quia agitur de oblatione & effusione, quæ actu fiebant, loquente Christo, prout indicant verba præsentis temporis, *datur, frangitur, funditur* : porrò dum hæc loquebatur Christus, necdum dabatur corpus ejus, aut fundebatur sanguis in Cruce ; 2do. agitur de effusione ope calicis facienda, prout liquet ex Græco Lucæ textu, qui sic habet : *Hic calix, novum Testamentum in sanguine meo, pro vobis effusus* : atqui in Cruce nulla facta est sanguinis è calice effusio ; ergo effusio de qua loquitur Lucas, ad Crucem referri non potest.

Non II. loquitur enim Christus de actione, quæ non solùm Apostolos respiciebat, sed & alios plures ; ut hinc patet quòd Christus non tantùm ad præsentes dicit, *Quod pro vobis funditur* ; sed & dicit : *Quod pro vobis & pro multis* effunditur. Atqui actio porrigendi panem ad manducandum, & vinum ad bibendum, solos Apostolos respicere poterat ; quia soli ii fuerunt quibus porrigi potuerint panis & vinum ; ergo.

Obj. Ut nihil in gratiam sacrificii è verbis institutionis colligi queat, sufficit, ut voces *datur* & *funditur*, idem sint ac voces *dabitur* & *fundetur* ; tunc enim manifestè pertinent ad sacrificium Crucis : atqui voces *datur*, &c. Prob. min. 1mo. ex ipso Canone Missæ, in quo legimus. *effundetur* ; 2do. quia si ipsa Missæ actione funderetur sanguis, Missa non esset incruentum sacrificium. 3tio. quia præsens vel etiam præteritum sæpe in Scripturis accipitur pro futuro, ut in his verbis : *Ego pono animam meam : Puer natus est nobis* ; ergo.

R. ad 1. neg. min. quam nulla ex allatis probationibus evincit. Non I. utraque enim lectio vera est, seu in præsenti *funditur*, id est, nunc in Cœna, seu in futuro ; *fundetur*, id est, paulò post in Cruce ; imò & deinceps usque ad mundi finem in sacrificio à Sacerdotibus celebrando, consequenter ad hæc

verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Utraque ergo lectio tenenda est; præsertim autem prima, cùm Evangelistæ & Paulus scripserint in præsenti: *Datur, effunditur*; neque à proprio & simplici literæ sensu recedendum sit absque urgentissima ratione, quæ in præsenti nulla est.

Non II. ut enim sacrificium cœnæ cruentum foret, deberet sanguis Christi realiter egredi ab ejus corpore, & in propria specie fundi: porrò nonnisi sub specie vini funditur, dum in calice offertur Deo, ac deinde mittitur in ora sumentium.

Non. III. etsi enim præsens, & præteritum non infrequenter sumuntur in Scripturis pro futuro, constat tamen præsens pro præsenti, & præteritum pro præterito longè frequentiùs accipi; ergo, si quid conficere velit Kemnitius, necessum est ut demonstret in objectis textibus, *datur*, idem esse ac *dabitur.* Id autem donec præstet, respirare licebit.

Prob. 2do. ejusdem sacrificii veritas ex Apostolo I. Cor. 10. sic ille: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant* Gentes, *dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, &c.

Ex quibus sic: Qui comparat Eucharistiam cum sacrificiis Gentilium & Judæorum, in quantum hæc sacrificia sunt, ille non minùs Eucharistiam habet pro sacrificio, quàm Gentilium & Judæorum sacrificia: atqui Apostolus - - - Qui enim contendit Christianos per communicationem corporis Domini, fieri participes victimæ in altari, seu mensa Domini oblatæ, sicut Gentiles idolothyta manducando, fiunt participes altaris dæmoniorum; Judæi verò manducando hostias, participes sunt altaris Levitici; is utique Eucharistiam comparat cum Gentilium & Judæorum sacrificiis, in quantum hæc sunt sacrificia: atqui contendit Apostolus Christianos, &c. Unde eò reducitur tota ejus ratiocinatio: *Fugite ab idolorum cultura*, proindeque á dapidus quæ iisdem immolatæ sunt: sicut enim Israelita qui legales hostias comedit, ubicumque comedat, particeps fit Altaris Judaici; sicut rursùs, qui Eucharistiam sumit, particeps est mensæ seu altaris Domini; sic & mensæ, seu altaris dæmoniorum participem se facit, qui ubicumque, sciens & volens, vescitur idolothytis. Meritò igitur docet Trid. Sess.

22. c. 1. mundam, de qua vaticinatus est Malachias, oblationem, non obscurè innui ab Apostolo, *cùm dixit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri; per mensam utrobique altare intelligens.*

Conclusio IV. Eucharistiam verum esse sacrificium probat constans Ecclesiæ doctrina & praxis.

Prob. 1mo. ex Conciliis: Ephesinum I. in Declaratione 11ma. Anathematismi II. hæc habet: *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem - - - credentes* esse *proprium corpus effectum, & sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat.* Ubi habes & sacrificii nomen, & rem nomine expressam, videlicet proprium Christi corpus, quod incruento modo proponitur, seu offertur.

Chalcedonense, in quo nemine Patrum reclamante Eucharistia ab Ischyrione, Diacono Alex. vocatur *terribile & incruentum sacrificium,* quod *offertur & celebratur:* Hic habes quidquid vocum adhibuit Trid. Synodus, quò grandem Eucharisticæ oblationis ideam ingereret: *Incruenta hostia, Terribile & incruentum sacrificium,* Sacrificium quod *offertur* etiamnum, quod *celebratur,* &c.

Toletanum X. vulgò XII. an 681. omnium Hispaniæ Ecclesiarum fidem sic exhibet Can. 5. *Toties illi vero & singulari sacrificio participandum* est, *quoties corporis & sanguinis D. N. J. C. immolatio facta* fuerit. *Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris. Certum est quòd hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sanguinis - - Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participâsse cognoscitur*; atqui ubi sunt Ministri sacrificantes, ubi est hostia & immolatio, ubi est altare in quo celebretur oblatio, ubi est participatio à Sacrificiis necessariò facienda, ibi necessariò est sacrificium, non laudis, non olim duntaxat peractum in Cruce, sed quod in actione exteriori & quotidiana consistat; ergo. Idem decernit Conc. Lateran. IV. Can. 1.

Prob. 2do. ex Patribus: Cyrillus Hieros. Catech. 5. *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace*: atqui ubi est hostia incruento ritu immolata, ibi est sacrificium, prout etiam agnoscit Cyrillus; ergo.

Chrysost. Hom. 24. in I. Cor. *Christus pro cæde brutorum se ipsum jussit offerri*; ergo Christus sacrificium sui substituit sacrificio animalium: atqui ex eodem Chrysost. id quotidie præstant Sacerdotes, quod ipse Christus. Sic enim loquitur S.

Doctor Hom. 2. in II. Timoth. *Sacra oblatio, sive illam Petrus, sive illam cujusque meriti Sacerdos offerat, eadem est quam dedit ipse Christus Discipulis, quamque Sacerdotes modò quotidie conficiunt.*

Verùm hic pluribus immorari superfluum fuerit, cùm in præsenti nostram esse Traditionem confiteatur Lutherus in Libro contra Henricum VIII. Angliæ Regem: *Ultimo,* inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, & ridet meam stultitiam, quòd solus velim sapere præ omnibus. Hoc est quod dixi, Thomisticos asinos nihil habere quod producant, nisi multitudinem hominum, & usum antiquum.* Addit paulò infra, nihil se curare, si *mille Augustini, & mille Cypriani* contra se stent. Unde L. de Missa privata: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ; Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos: verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.* Hæc, rogo, num furor sunt, an dementia? utrumque: furor desipiens.

Non ergo novum quid commenti sunt, sed totius retrò Ecclesiæ fidem secuti fuêre Trid. PP. cùm hæc de sacrificio sanxêre Sess. 22.

Can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quàm Christum nobis ad manducandum dari; anathema sit.*

Can. 2do. *Si quis dixerit illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium, tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Prob. 3tio. ex Liturgiis, in hunc modum: Ut è variis mundi Christiani Liturgiis invictè deducatur, Eucharistiam verum esse sacrificium, sufficit, ut in iis apertè reperiatur altare, oblatio, victima quæ Christus sit realiter præsens, & sacrificium, potissima gratiarum omnium origo; atqui omnia ista in Liturgiis Orbis universi plenissimè reperiuntur. Habentur enim hæc indubiè in his Sacramentarii Gregoriani verbis, quæ ut abominationem abjecit Lutherus: *Te igitur clementissime Pater - - supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata; imprimis quæ tibi offerimus*

rimus

rimus pro Ecclesia tua. Memento Domine famulorum famularumque tuarum, &c. *qui tibi offerunt hoc sacrificium*, &c. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ - - - quæsumus, Domine, ut placatus accipias*, &c. *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ratam, rationabilem facere digneris*, &c. *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram*, &c. atqui eadem hæc quo ad sensum occurrunt in omnibus mundi Christiani Liturgiis, Cophiticis, Armenis, Nestorianis, aliisque, quotquot sunt, Orientalis; ut videre est, apud R. P. le Brun, Tom. 2. & seq. Neque hæc vel alii ab aliis mutuati sunt, cùm se se anathematisent; vel à nobis depromsêre; cùm ad minimum ritus suos tanto studio servent, quanto suos Latini; ergo omnia hæc à primario, eoque Apostolico fonte prodiisse necessum est.

Atqui hinc exurgit argumentum præscriptionis ei simile, quo realis præsentiæ dogma confirmavimus. Nimirum extra dubium est, Eucharistiæ sacrificium ab universa Ecclesia octavo sæculo admissum fuisse; quandoquidem tunc eodem uteretur Canone; quo etiamnum utitur: atqui non potuit Ecclesia tota octavo sæculo sacrificium confiteri, quin illud idem anteà semper admiserit. Ecqui enim fuêre novi erroris artifices? quo illi ævo prodierunt? quì factum, ut omnes Orbis Episcopi, Presbyteri omnes, abjecto Canone, qui nihil haberet de sacrificio, Canonem cruento Christi sacrificio lethaliter injuriosum amplexi sint? qua portentosa animarum conversione accidit, ut sectæ capitali odio adversùm se furentes, in eundem omnes sensum, sensusque exprimendi rationem convenerint. Id, si bene auguror, soli capient Calvinistæ.

Obj. Patres, cùm Missam dicunt sacrificium, loquuntur, vel de eleemosynis quæ fiebant in Missa, & quæ quoddam sunt sacrificii genus, vel de oratione, quæ Cœnæ celebrationem comitabatur; preces enim quædam sunt sacrificia, &c.

R. neg. ant. nam loquuntur Patres, 1mo. de sacrificio, quod offerebatur super altari, ut patet ex Optato. Milev. L. 6. contra Donatistas: *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere?* 2do. de sacrificio, quod offerre prohiberentur, tùm mulieres, secundùm id Tertull. L. de virgin. veland. c. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia - - - tingere, offerre*; tùm & ipsi Diaconi, ut liquet ex Canone 18. Nicæni Concilii; 3tio. de sacrificio quod iidem Patres expressè dicunt, corpus esse & sanguinem Christi; ergo non loquuntur, vel de eleemosyna, vel de aliis sacrificiis spiritualibus & impropriè dictis; hæc enim nec altari indigent, nec mulieribus aut Diaconis interdicuntur, &c.

Conclusio V. Sacrificii Eucharistici veritatem probant, quæ in eo occurrunt sacrificii veri conditiones.

Prob. Ad sacrificium propriè dictum quinque requiruntur, 1mo. Minister, qui constitui debet *in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia*, Hebr. 5. 2do. materia sensibilis. *necesse* siquidem est Ministrum *habere aliquid* exterius *quod offerat*, munera nempè & hostias, ibid. c. 8. 3tio. forma: res enim sensibilis, quæ offertur, mutationis quidpiam subire debet, ut constat ex omnibus sacrificiis propriè dictis; ad id autem opus est aliqua Ministri actione, quæ cùm applicetur materiæ, forma meritò nuncupatur; 4to. finis legitimus, agnitio nimirum supremæ Dei majestatis, & cultus ejusdem; aliàs actio cæteroqui sancta, quidquid sit, sacrificium non erit; 5to. altare cui superponatur victima; ut patet ex usu præcipuè nationis sanctæ, quæ nusquam aras, nisi in ordine ad sacrificia, erexit: atqui conditiones illæ ad amussim concurrunt in Eucharistia. Habet enim hæc 1mò. Ministros primarium quidem, Christum, & secundarios, videlicet Sacerdotes: * *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens*, non per se solum, sed *Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Habet 2do. sensibilem materiam, nimirum externas panis & vini species, sub quibus Christus continetur. Habet 3tio. formam, vi cujus quantùm de se est, corpus à sanguine separatur. Habet 4tò. legitimum finem, nempè cultum Dei. Ecquis cultus supremo numine dignior, quàm quo Christus ipse, Deus & homo, Deo Patri offertur. Habet 5to. & altare in quo offeratur, ut constat ex perpetuo omnium mundi Ecclesiarum usu; ergo habet Missa quidquid necessum, ut sacrificium censeatur.

Conclusio VI. Eucharistiæ sacrificium plurimis miraculis comprobatur.

Suppono ad miralum divinum requiri, 1mo. ut sit opus quod omnes naturæ vires superet: *Miraculum voco*, ait Aug. L. de veritate credendi, c. 16. *quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem credentis excedit*; 2do. ut opus illud de se ad finem bonum ordinetur; quidquid enim operatur Deus positiva actione, finem habet necessariò sanctum: unde quæ ad impietatis vel erroris confirmationem eliciuntur prodigia, vel elici supponuntur; etsi Deo ut permittenti adscribi possunt, non sunt tamen sensu nostro verè divina; 3tio. ut idem supernaturale opus ab indubiæ fidei Scriptoribus recenseatur, quales sunt qui rem vel suis, vel certis aliorum oculis conspexêre; qui nullo partium studio tenentur; qui mendacii nusquam postu-

* *Trid. Sess.* 22. c. 2.

postulati sunt; qui potestatibus sublimioribus, & ante omnia Superioribus Ecclesiasticis subjacent, &c. His positis

Pro. Conclusio ex pluribus portentis, quæ de ævo in ævum transmisêre viri omni exceptione majores. Tria apud Cyprianum occurrunt Tract. de Lapsis.

Primum quod *præsente ac teste* Cypriano *evenit*, spectat infantulam, cui paululùm panis in vino idolis oblato intincti in os infusum erat: de ea jam supra.

Secundum contigit fœminæ, quæ in apostasiam lapsa, Cypriano celebrante Eucharistiam furtim accessit. Ea enim statim omni respiratione interclusa, palpitans, cum summa membrorum suorum commotione, humi procubuit *Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen,* ait S. Martyr: *quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.*

Tertium evenit fœminæ alii, quæ *cùm arcam suam, in qua Domini sanctum* corpus reposuerat, *manibus indignis tentâsset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne accederet attingere.*

Quartum recenset S. Optatus Milevit. Lib. 2. contra Donatistas: cùm enim istorum Episcopi sacrilega impietate jussissent *Eucharistiam canibus fundi, non sinè signo divini judicii - - - iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi sancti corporis reos dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.*

Quintum hauriemus è Sozomeno L. 8. Histor. c. 5. sic ille: *Tempore Mysteriorum mulier,* quæ Macedonianæ sectæ addicta, Catholicam se simulabat, *id quod* è divinis mysteriis *acceperat, retinens, quasi Deum oratura, caput submisit. Ancilla verò, quæ ei astabat, id quod domo attulerat, clanculum ei tradidit: quod cùm mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit. Tùm mulier verita nè quid sibi gravius eveniret, tanto erga se patrato miraculo, confestim ad Episcopum pergens, se ipsam accusavit; simulque lapidem ostendit, qui morsus vestigia retinebat, materia quadam prorsùs ignota, & colore inusitato præditum - - - Quod si cui fortè hæc minùs credibilia videntur, testis est lapis ipse in thesauro Ecclesiæ CP. etiamnum servatur.*

Sextum refert Gregorius Mag. L. 3. Dial. c. 3. hæc ille, *pergenti quodam die in Græciarum partibus* Agapito, (*hujus sanctæ Rom. Ecclesiæ* Pontifici) *curandus oblatus est mutus & claudus, qui neque ulla verba edere, neque ex terra unquam surgere val bat. Cùmque qui* eum obtulerant *propinqui, fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinùs venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolavit. Quo peracto, ab Altari*

ri exiens, claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo, eum mox à terra in propriis gressibus erexit: cùmque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. Miserati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illicò metus & reverentia invasit.

Septimum tantæ est dignitatis, ut totum ipsis Evagrii verbis referri mereatur: sic ille L. 4. Histor. Eccl. c. 36. *Vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit,* pueri impuberes evocentur, qui eas manducent. *Id igitur eo tempore cùm accidisset, una cum aliis pueris convocatus est filius Vitrarii cujusdam, qui secta erat Judæus. Hic puer parentibus causam moræ ex ipso sciscitantibus, id quod factum fuerat exposuit, & quid ipse unâ cum reliquis pueris degustasset. Pater ira atque indignatione succensus, illicò filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare consueverat. Mater verò puerum quæritans, cùm reperire non posset, per totam urbem circuibat, plorans atque ejulans. Tertio demum die ad ostium officinæ mariti sui stans, filium nominatim inclamare cœpit, flens ac se ipsam lacerans. Tùm puer agnita matris voce, ei respondit ex fornace: statimque mater perfractis foribus introgressa, puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenus ambusserat. Qui postea interrogatus, quonam modo illæsus permansisset, mulierem quandam purpurea indutam veste crebrò ad ipsum ventitasse dixit, & aquam ipsi porrexisse, & carbones, qui juxta ipsum erant, restinxisse; cibum quoque esurienti præbuisse. Quæ cùm nuntiata essent Justiniano, Imperator puerum simul ac matrem regenerationis lavacro initiatos Deo dicavit. Patrem verò Christianæ Religionis Sacramenta percipere penitùs recusantem, tanquam proprii filii interfectorem, in Sycensi suburbio cruci suffigi præcepit.* Hæc Evagrius, qui teste Photio in Bibliotheca Cod. 29. *in dogmatum veritate cæteris* Historicis *accuratior est.*

Ex iis sic: Non aliam tot prodigiorum eventu doctrinam confirmare potuit Deus, quàm quæ à SS. Doctoribus Christianæ plebi tradebatur: atqui hi Catholicam, quam tuemur, de sacrificio doctrinam tradebant & tenebant. Nimirum verò habebant Altare & sacerdotes legitimè consecratos; habebant oblationem; eamque corporis & sanguinis Domini, habebant & habere gloriabantur sacrificium, &c.

Obj. 1mo. non probatur Traditione, vel miraculis, quidquid Scripturis apertè reprobatur: atqui Missæ sacrificium - - Sic enim loquitur Apostolus Hebr. 10. *Una oblatione consummavit* Christus *in sempiternum sanctificatos.* Et suprà: *Omnis*

qui-

quidem Sacerdos Leviticus *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Unde sic: Ubi unum duntaxat admittitur Christi in Cruce sacrificium, ibi aliud quodcumque reprobatur: atqui in objecto textu unum duntaxat, &c. Ibi enim unum est sacrificium, ubi unica oblatione sanguinis in Cruce effusi adeò consummantur sanctificati, ut jam alia nulla oblatione indigeant: atqui, &c.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. dist. min. sanctificati una sanguinis Christi oblatione consumantur, quantùm ad plenam pro peccatis satisfactionem, C. quantùm ad satisfactionis hujus applicationem, subd. una consumantur oblatione, quo ad substantiam, C. quo ad offerendi modum, N. Ut ex Paulo nihil adversùm nos extundi possit, duo sufficiunt, 1mo. ut quidquid ille de infinita cruenti Crucis sacrificii virtute prædicavit, id nos necessariò confiteamur; 2do. ut nihil horum negaverit quæ sacrificio Eucharistico tribuimus: atqui utrumque constat. Primum quidem: id enim unum de sacrificii Crucis efficacia docet Apostolus, nempè cruentam Christi oblationem tanti fuisse valoris, ut in ea plenum fuerit nostræ sanctificationis pretium: unde non fit ut Christus novam inveniat redemptionem, quasi prior illa mundo redimendo impar fuerit, perinde ac antiquæ Legis sacrificia, quæ sæpius iteranda erant: atqui hæc nos plenis faucibus confitemur Catholici; ergo. Secundum non minùs evidens est: 1mo. quia constat Apostolum illius solùm sacrificii iterationem excludere, per quod oportuisset Christum **frequenter pati ab origine mundi*: atqui pateretur equidem Christus frequenter, si pluries immolaretur in Cruce, non autem si mysticè immoletur Eucharistia; 2do. quia ubique docet Apostolus, necessum esse ut pretium redemptionis nostræ, quantumvis à Christo sufficienter solutum, nobis applicetur; ergo sicut pretium illud per Sacramenta, per orationes, per ipsam Christi in cœlis intercessionem, quotidie citra ullam sacrificii semel in Cruce oblati injuriam applicatur; sic & per Eucharistiæ sacrificium applicari potest. Quapropter duplex certo sensu sacrificium habent Christiani, aliud redemptionis in Cruce, quod plenam nobis promeruit peccatorum remissionem, aliud religionis in Eucharistia, per quod eadem remissio nobis applicatur: primum se habet ut sol, qui à nullo alio, sed à quo alia quæcumque lucem suam mutuantur: secundum se habet ut solis radius, quo mediante lux solis diffunditur. Jam verò radius nedum nocens soli, summam è contra plenitudinem ejus supponit; ergo pari jure nedum sacrificium religionis

* *Hebr.* 9. 26.

nis quidquam detrahat sacrificio redemptionis, summam ejus fœcunditatem commendat.

Quin & istud religionis sacrificium reipsa idem est quo ad substantiam cum sacrificio redemptionis, *sola offerendi ratione diversa.* Unde Chris. in c. 10. Ep. ad Hebr. Hom. 17. *Quid ergo,* inquit, *an non quotidie offerimus? Offerimus planè,* respondet, *sed in memoriam revocando Christi mortem: & ipsa una est, non multæ.*

Inst. 1mo. ex Apost. ibid. v. 18. *Ubi* peccatorum *remissio* facta est, *jam non est oblatio* rursus facienda *pro peccato:* atqui in Cruce facta est plena peccatorum omnium remissio. Ibi nempe delevit Christus *chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis,* Coloss. 2. 14. R. ut suprà dist. min. in Cruce facta est plena peccatorum remissio quo ad solutionem pretii redemptionis nostræ, C. quo ad applicationem pretii hujus, N. Quemadmodum igitur Christus, licèt semper pro nobis interpellet, Hebr. 7. 25. haud tamen sacrificio à se olim in Cruce oblato detrahit, quasi illud nova indigeat interpellatione tanquam supplemento; sic neque eidem Crucis sacrificio detrahit, cùm ejus merita nobis applicat, seu per sacrificium Missæ, seu per alia quæ in eundem finem instituere voluit media.

Inst. 2do. si ut applicetur virtus sacrificii Crucis, novo opus sit sacrificio, novis opus erit Sacerdotibus qui idem sacrificium offerant: atqui falsum consequens. Sic enim loquitur Apost. Hebr. 7. *Alii quidem* in veteri Lege *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem,* Christus,*eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Unde sic: Qui sempiternum exercet sacerdotium, non indiget novis qui sibi succedat Sacerdotibus, sicut indigebant Levitici Sacerdotes: atqui ex Apostolo Christus, &c.

R. ad 1. dist. maj. novis opus erit Sacerdotibus tanquam ministris Christi, ejusque vicariis, C. tanquam offerentibus primariis, qui Christo in dignitate sacerdotali succedant, N. Itaque opus est Sacerdotibus ut in omni loco efferatur oblatio munda, quam prænuntiarunt Prophetæ: Verùm absit ut iidem Sacerdotes sempiterno Christi sacerdotio adversentur, aut eam inducant Ministrorum pluralitatem, quam Apostolus soli antiquæ Legi competiisse declarat. Ad id enim necesse foret, ut novi Testamenti Sacerdotes Christo succederent, prout Aaroni successêre Eleasarus, Phinees, aliique deinde, qui non minùs fuêre summi Sacerdotes, quàm ipse Aaron. Porrò successionem hanc, ut Christo injuriosam rejiciunt Catholici. Cur enim verè & propriè succedebat Aaroni Eleasarus? quia tota unius dignitas, jura tota ad alium devolvebantur, ità ut posset

is,

is, ſicut & ille, non eaſdem in individuo, ſed ſimiles hoſtias offerre nomine proprio: atqui Chriſtiani Sacerdotes, nec totam Chriſti dignitatem habent; nec proprio nomine, ſed Chriſti offerunt; nec aliam offerunt victimam, quàm quæ primùm oblata eſt à Chriſto; ergo ſtat Evangelicos Sacerdotes eſſe quidem Chriſti Miniſtros, ac pro eo legationi fungi, non autem ei ſuccedere; ergo ſtat rurſus unum duntaxat eſſe, ſemperque futurum in Chriſtianiſmo ſummum Sacerdotem, &c. Unde

Ad 2. vel concedo totum, quia reipſa non indiget Chriſtus Sacerdotibus, qui ſibi ſuccedant; etſi voluerit indigere Miniſtris,* qui myſteria ſua conficiant & diſpenſent; vel neg. maj. ut quæ falsò ſupponat, Chriſtum in ſyſtemate Catholico ſuos habere in Sacerdotio ſucceſſores.

Obj. 2do. Id unum facere poſſunt Miniſtri Chriſti quod ipſe Chriſtus in ultima Cœna feciſſe legitur: atqui Chriſtus in ultima Cœna accubuit quidem menſæ, & Sacramentum diſtribuit diſcipulis; at non legitur quidpiam obtuliſſe Patri.

R. 1mo. neg. maj. multa enim fecit Chriſtus in ultima Cœna, quæ ab Evangeliſtis prætermiſſa ſunt, tùm quia hæc ex circumſtantiis intelligebantur; tùm quia ſuus eſſe debebat Traditioni honos. Sic nullibi ſcribunt Authores ſacri, Chriſtum in calice quem Apoſtolis obtulit, vinum aquâ temperatum poſuiſſe; imò nequidem diſertè ſcriptum eſt, vinum ab eo tunc temporis adhibitum fuiſſe: & tamen neutra actio in dubium revocatur.

R. 2do. neg. min. Neque enim ut quis ſacrificet neceſſe eſt ut in terminis dicat: *Offero*; alioqui nè in Cruce quidem Chriſtus verum obtuliſſet ſacrificium; ſed ſufficit ut actio illius veram importet oblationem: hanc porrò importabat actio Chriſti, cujus ſanguis actu è calice fundebatur, tùm in gloriam Patris, tùm in ſalutem eorum qui credituri erant: unde Salvator, & Patrem alloquitur & Diſcipulos; Patrem, cùm ad eum ſolum ſuam gratiarum actionem direxit; Diſcipulos verò, cùm & eos ordinavit Sacerdotes, & ſui ſacrificii participes eſſe voluit.

Inſt. 1mo. Si Chriſtus ſe Patri in ſacrificium pridie mortis obtulerit, debuit jam tùm redemptionis noſtræ opus conſummare: atqui falſum conſequens. Alioqui enim vel Filius ſua nos morte non redemiſſet, quod Scripturis adverſatur; vel Pater debitum humani generis ſibi bis perſolvi voluiſſet, quod juſtitiæ repugnat. R. ad 1. neg. maj. ut enim conſummaretur opus redemptionis noſtræ, neceſſe erat ut hæc vel illa Chriſti actio hunc in finem ordinaretur: porrò Chriſtus incruentum ſui in ultima Cœna ſacrificium non ordinavit ad plenam re-

*I. Cor. 4.

demptionis nostræ consummationem, sicut nec ad eam ordinavit vel emissi in circumcisione sua sanguinis effusionem, vel preces suas,quæ tamen,utpotè Theandricæ actiones, mille mundorum redemptioni satis superque fuissent; ergo Christus sua nos sola morte completè redemit, nec proinde duplex ab eo pretium exegit Pater.

Inst. 2do. Si res ità sit, prima Eucharistici sacrificii oblatio nullum quo ad homines effectum habuit: atqui absurdum consequens, &c. R. neg. maj. & dico sacrificium Eucharistiæ, cùm à Christo prima vice oblatum est, eundem habuisse effectum quem quotidie parit, & ideo applicativum fuisse sacrificii Crucis proximè futuri.

Obj. 3tio. Admitti non potest sacrificium quod derogat efficaciæ sacrificii Crucis: atqui Eucharistiæ sacrificium derogat - - - - Enim verò Crucis sacrificium vim habet infinitam: atqui non subsistit vis illa posita Eucharistici sacrificii necessitate. Quod enim nonnisi dependenter ab alio vim suam habet, non habet per se vim infinitam: atqui admissa semel Eucharistici sacrificii necessitate, sacrificium Crucis nonnisi, &c.

R. ad 1. 2. & 3. neg. min. nam veram equidem est vim sacrificii Crucis applicari per sacrificium Eucharistiæ. quemadmodum, juxta Adversarios, applicatur per Baptismum & sanctam Cœnam: at simul verum est, idem Crucis sacrificium vim de se habere infinitam: Ecqui enim applicaretur virtus, quæ non subsisteret. Quapropter, Eucharistiæ, sacrificium, nedum Crucis sacrificio deroget, summa est illius commendatio. Quod enim infinita Crucis merita applicat, eadem merita indubiè supponit & commendat.

Obj. 4to. Doctrina nostra supponit 1mo. necessum esse ex institutione Christi, ut in Lege nova exterior latriæ cultus Deo impendatur; 2do. hunc Dei colendi morem à prioribus Ecclesiæ sæculis apud Christianos viguisse: atqui utrumque falsum est. Primum quidem; tùm quia Christus sensibilem cultum à suis amandavit Joan. 4. ubi sic: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*; tùm quia independenter à Missæ sacrificio suum habet Christiana Religio sacrificium, Crucis videlicet. Secundum verò, quia ad sacrificium requiruntur altaria: atqui deerant hæc apud primævos Fideles: ut liquet ex ista Cæcilii ethnici quærela apud Minutium Felicem: *Cur nullas aras habent* Christiani *nulla templa*, &c.

R. ad 1. neg. min. quam nulla ex allatis probationibus demonstrat. Non prima ex Joan. 4. tùm quia si eo loci excluderetur à Christiana Religione quidquid sensibile est, excluderen-

rentur etiam Sacramenta, quorum tamen aliqua à Protestantibus servata sunt; tùm quia nusquam meliùs Patrem in spiritu & veritate adorant Christiani, quàm cùm ei Filium suum unigenitum mysticè immolatum offerunt; tùm quia sacrificium Missæ reipsa spirituale est secundùm præcipuam sui partem, Hostiam nempe quæ immolatur, & virtutem quæ ex illa cumulatè dimanat; tùm quia Christi verba, si penitiùs inspiciantur, prænuntiant Eucharistiæ sacrificium, quod neque *in monte* Garisim, *neque Jerosolymis* duntaxat, sed in *omni loco* deinceps offerendum erat, uti prædixerat Malachias.

Non secunda quæ petitur è sacrificio Crucis: quin & ex illa nova nobis exurgit probatio in hunc modum. Non minùs sacrificii proprii expers esse debet Religio Christiana, quàm sacrificii expers fuerit vera quæcumque Religio, seu ante, seu post Moysen: atqui dempto Eucharistiæ sacrificio, nullum habet Christiana Religio sacrificium, saltèm quod sibi proprium sit. Nam 1mo. sacrificium Crucis haud proprium est Religionis Christianæ, sed commune veris, quotquot ab initio mundi fuêre, Religionibus: cùm justi omnes sub Lege, seu naturæ, seu Mosaica, per hujus sacrificii influxum sanctificati sint; 2do. sacrificium Religioni cuipiam à Deo traditum, debet ipsam perpetuò comitari: atqui sacrificium Crucis, etsi quo ad effectum permanet, reipsa tamen desiit in se, statim ut oblatum est: imò nec unquam verè fuit tempore Christianæ Religionis, quia hoc non incœpit propriè nisi post Christi mortem; ergo.

Non tertia quæ petitur ex fictitio Altarium defectu. Constat enim ex Cypriano & aliis Christianos omni ævo Altaria habuisse. Ea tamen ut plurimùm Ethnicis ignota erant, quia diligentissimè cavebant Christiani, nè sacris nostris interessent Gentiles; seu quòd vereri esset nè pretiosa pedibus conculcarent porci; seu quòd immineret persecutio: atque hinc Fideles in cryptis plerumque aut speluncis, vel certè in privatis domibus sacra peragere cogebantur, quo etiam factum est ut ab Ethnicis vulgò æstimarentur Athei, eò quia nulli numini palàm sacrificarent.

Obj. 5to. Eucharistia est Sacramentum: atqui idea Sacramenti excludit rationem sacrificii. Sacramentum enim homines respicit, sacrificium verò cultum supremi Numinis. R. dist. min. excludit rationem sacrificii sub eo respectu sub quo est Sacramentum, C. sub omni respectu, N. Eucharistia sub diversis respectibus est Sacramentum & sacrificium. Sacramentum quidem, quatenus est signum sensibile gratiæ animam piè dispositam nutrientis. Sacrificium verò, quatenus Deo exhibet victimam mysticè immolatam, primariò in recognitionem supremi

premi ejus dominii & secundariò ad impetrandam nobis delictorum condonationem.

Inst. Lex nova nonnisi unicum habet sacrificium: atqui posita responsione nostra multiplex erit in lege nova sacrificium. Siquidem præter sacrificium Crucis, tot erunt sacrificia, quot celebrabuntur Missæ: hæc porrò sacrificiorum multiplicitas nonnisi impiè admitti potest; ergo.

R. ad 1. neg. min. & paucis dico, sacrificium Christi morientis pluries quidem repeti, vel potiùs, continuari in Missa, sed non ideo multiplicari; quia sicut in Missa idem est qui in passione testamenti conditor, ità idem est & ejusdem victimæ sacrificus. Unde Missa novam peccati remissionem non spondet, sed remissionis antiquæ applicationem; vel si mavis, remissionem novam respectu subjecti, cui dimittitur, quod anteá dimissum non erat; antiquam verò respectu principii, quod per media à se sancita summam & inexhaustam Crucis virtutem effundit.

Obj. 6to. Ad sacrificium rei viventis requiritur ejusdem mactatio, seu occisio: atqui nulla in Missæ sacrificio intervenit occisio victimæ, est enim, juxta nos, Christus ipse victima: porrò *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur.* Pro solutione sit

---

CAPUT TERTIUM.

In quo sita sit Sacrificii Missæ essentia.

Duo hic inquirimus, 1mo. quæ res propriè in Eucharistico sacrificio offeratur; qua præcisè actione eadem res offerri dicenda sit: seu, ut loquuntur alii, quæ sit victima, seu materia sacrificii, & quæ ejus forma.

§. I. *Quæ Sacrificii materia.*

Tria tantùm occurrunt in præsenti de quibus lis moveri possit, videlicet 1mo. panis & vinum ex quibus conficiuntur corpus & sanguis Christi; 2do. ipsum illud corpus; 3tio. species sacramentales, sumptæ vel solitariè, vel prout totum morale cum Christi corpore & sanguine constituunt. Porrò potest aliquid esse res oblata vel primò & per se; vel tantùm ex consequenti: quemadmodum potest aliquid esse primò & per se, seu vi verborum, in hoc Sacramento; & esse duntaxat in illo per concomitantiam. Rursus potest aliquid esse conditio rei oblatæ, nec tamen esse pars ejusdem rei: pars enim intrin-

intrinseca rei oblatæ est objectum circa quod versatur actio sacrificii: conditio autem requiritur tantùm in objecto ut terminet actum sacrificii. His præmissis, sit

Conclusio I. Res seu victima primò & per se oblata in sacrificio Missæ est Christi corpus & sanguis. Est de fide.

Prob. 1mo. ex verbis istis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, quod pro vobis frangitur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur,* ut habet græca S. Lucæ editio. Unde sic: Quod datur, quod frangitur, quod funditur, est primò & per se victima sacrificii: atqui corpus est id quod datur; & sanguis id quod funditur, &c.

Prob. 2do. ex Patribus suprà adductis, qui omnes id quo ad sensum tradunt, quod his verbis Gregorius Nyss. Orat. 1. Paschali: *Arcani sacrificii modò idem est Sacerdos & Agnus*: sed Agnus, qui à Sacerdote mactatur, est Christus ipse secundùm corpus & sanguinem; ergo.

Prob. 3tio. ex Trid. Sess. 21. c. 1. ubi sic: Christus; *Corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini* Deo *Patri obtulit*, & Can. 2. ibid. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut non ordinâsse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.* Unde sic: Id quod Christus primò & per se Patri obtulit in sacrificium, & à Sacerdotibus offerri præcepit, est primò & per se victima sacrificii: atqui ex Tridentino - - - Ut quid enim sacra Synodus corporis & sanguinis oblationem primò recenset, nisi quia oblatio corpus & sanguinem primò & per se attingit?

Conclusio II. Res ex consequenti oblata in sacrificio Missæ est totus Christus.

Prob. 1mo. ex Patribus & Conciliis, quæ unanimiter docent eandem esse incruenti Missæ ac cruenti Crucis sacrificii victimam; eundemque in utroque, si ità loqui fas est, sacrificio Sacerdotem esse ut & hostiam: atqui 1mo. res oblata in Cruce, non fuit tantùm corpus & sanguis Domini præcisé sumpta; sed ex consequenti Christus totus, secundùm id I. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*; 2do. Christus, non penès corpus tantùm & sanguinem, sed penès se totum fuit Sacerdos; ergo non penès corpus tantùm & sanguinem, sed penès se totum est victima.

Neque tamen ratio victimæ toti Christo competit primò & per se: quia id solum in sacrificio rationem victimæ primò & per se habet, quod áctio sacrificativa per se & primò attingit: atqui actio sacrificativa, seu verborum gladius, per se & primò totum Christum non attingit, sed corpus & sanguinem

Hoc

Hoc est corpus meum: *Hic est sanguis meus*; ergo non competit toti Christo victimam esse nisi consequenter. Cave nihilominus nè Christum totum dixeris esse victimam quasi per accidens: quia totus est victima ex intentione quodam modo directa; quatenus voluit poni consequenter, eo ipso quo corpus suum & sanguis per consecrationem sub panis & vini speciebus ponerentur.

Conclusio III. Corpus & sanguis Christi, quatenus sunt sacrificii nostri victima, necessariò postulant species panis & vini, non tamen eas intrinsecè tanquam partem sui constitutivam includunt; sed tantum requirunt ut conditionem essentialem.

Prob. 1. pars, 1mo. quia ex dictis sacrificium Missæ respondet sacrificio Melchisedech: atqui si sacrificium nostrum esset omnino independens à speciebus panis & vini, nihil haberet per quod sacrificio Melchisedech responderet; 2do. Missæ sacrificium, sicut quodcumque aliud, sensibile esse debet: atqui sacrificium Missæ non aliunde quàm à speciebus panis & vini habet, ut sensibile sit. Corpus enim & sanguis Christi, cùm modo invisibili existant in Eucharistia, nullo sensu percipi possunt; 3tio. ex Trid. Sess. 22. c. 1. Christus *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit*: *ac sub earumdem rerum symbolis* offerri *præcepit*; ergo sacrificium Missæ symbola panis & vini necessariò postulat.

Prob. 2. pars: Eadem est sacrificii Missæ victima, quæ sacrificii Crucis, sola offerendi ratione diversa: atqui victima sacrificii Crucis ut sic non includebat species panis & vini, tanquam partem sui essentialem, ut per se constat. Aliunde diversa offerendi ratio in eo est quòd victima sinè speciebus in Cruce cruento modo oblata sit; in Missa autem sub speciebus incruentè offeratur; ergo.

Prob. 3. pars: Quod ad rem aliquam absolutè requiritur, vel requiritur tanquam pars ejus essentialis, vel tanquam conditio sinè qua eadem res in tali statu esse non potest: atqui ex dictis species panis & vini ad sacrificii nostri victimam, posita Christi institutione, absolutè requiruntur, nec tamen requiruntur ut partes eidem essentiales; ergo superest ut requirantur tanquam conditiones, nempe ut continens relativè ad contentum, & signum relativè ad rem significatam.

Obj. 1mo. Quidquid est pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ, est etiam pars essentialis victimæ sacrificii: cùm Sacramentum Eucharistiæ prout est permanens, idem planè sit cum victima hujus sacrificii: atqui species Eucharistiæ sunt pars essentialis Eucharistiæ ut sacramenti; ergo.

R. neg.

R. neg. maj. Sacramentum enim & victima sacrificii essentialiter discrepant, in eo videlicet, quòd Sacramentum essentialiter importet signum sensibile; sacrificium verò duntaxat importet victimam, quæ in honorem Dei immoletur; quod cùm speciebus ratione sui non conveniat, quia mactari solius est substantiæ, non accidentium; nihil mirum, si species quæ Sacramenti essentiam ingrediuntur, non ingrediantur essentiam sacrificii. Quapropter consecratio, ut est Sacramenti effectiva, terminatur ad sacramentale compositum ex Christi corpore, ejus sanguine, & speciebus panis & vini; ut verò est sacraficativa, terminatur ad corpus & sanguinem Christi tanquam oblata & moraliter in honorem Dei destructa ab speciebus panis & vini: unde Eucharistiæ Sacramentum in facto esse, & prout est aliquid permanens, aliquid essentialiter includit, quod non includit sacrificii victima præcisè qua talis.

Inst. 1mo. Ut species sint pars intrinseca sacrificii, ut & sacramenti, sufficit ut Christus instituerit sacrificium visibile, sicut & visibile instituit Sacramentum: atqui Christus *visibile* instituit *sacrificium*. R. dist. min. instituit sacrificium visibile, quo ad symbola sub quibus res seu materia sacrificii offerri deberet, C. visibile quo ad rem oblatam præcisè, N. Voluit enim Christus ut eadem in Altari nostro offerretur victima, quam obtulit ipse in ara Crucis: atqui victima hæc secundùm se in Eucharistia invisibilis est; ergo requirit quidem species panis & vini, ut conditiones, eo ferè modo, quo Paschalis agnus certas prærequirebat qualitates, sinè quibus offerri non poterat; at eas, non magis quàm idem agnus, requirit ut partem sacrificii constitutivam.

Inst. 2do. ex Aug. *Sacrificium Ecclesiæ duobus constat, visibili elementorum specie, & invisibili D. N. J. C. carne & sanguine*: atqui quod elementis constat, non secùs ac corpore & sanguine Domini, non minùs essentialiter species includit, quàm corpus & sanguinem. R. in hoc Lanfranci, non verò Aug. textu, ut alibi pluries, sacrificii nomine intelligi Sacramentum: unde infrà sic concludit: *Est igitur* in Eucharistia *Sacramentum & res Sacramenti.*

Obj. 2do. Illud est de essentia rei, sinè quo res nec esse nec concipi potest: atqui sacrificium sinè speciebus externis concipi non potest. R. dist. maj. sinè quo tanquam parte intrinseca, & primo rei principio, C. sinè quo tanquam conditione, N. sicut ergo Sacramentum non constat intentione Ministri tanquam parte intrinseca, licèt sinè ea perfici non possit; sic sacrificium Missæ speciebus intrinsecè non constat, etsi iis seclusis subsistere non possit. Et verò ea est natura conditionis omnis

mnis *finè qua non*, ut ea dempta rem tolli necesse sit: & tamen implicat id quod tantùm est conditio *finè qua non*, esse rei constitutivum.

CONCLUSIO IV. Panis & vinum sunt necessariò materia *ex qua*, seu terminus *à quo* sacrificii: at non sunt propriè ejusdem Hostia.

Prob. 1. pars. Illud est materia ex qua sacrificii Missæ, ex quo tanquam ex præsupposito exurgit ejusdem sacrificii victima: atqui ex pane & vino tanquam ex præsuppositis, non quidem ut permaneant, sed ut transubstantientur, exurgit hujus sacrificii victima, nempè corpus & sanguis Christi, & ex consequenti anima & divinitas, quæ eis adhærent; ergo.

Prob, 2. pars: Si panis & vinum essent Hostia sacrificii, vel tota, vel non: atqui neutrum dici potest Non. 1. quia ex dictis constat, Christus ad minùs esse principalem sacrificii nostri victimam. Non 2. quia non idem quo ad rem oblatam esset Eucharistiæ sacrificium cum sacrificio Crucis; quandoquidem in Cruce Christus solus, in Eucharistia verò panis & vinum simul cum Christo forent Hostia: atqui tamen SS. Doctores unam utrobique Hostiam esse volunt; ergo.

Obj. 1mo. Ecclesia panem offert ut *immaculatam hostiam*, prout ex Offertorii verbis liquet: unde Cyprianus & alii Patres aiunt, panem & vinum *offerri*, *sacrificari*, &c. R. neg. conseq. neque enim Sacerdos, cùm *immaculatam hostiam* nuncupat, attendit ad panem in se, sed ad Agnum immaculatum, qui paulò post sub panis speciebus offerri debet. Certè Hostiam illam offert Sacerdos *pro peccatis suis*, *pro Christianis vivis atque defunctis*, *ut sibi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam*; hæc autem absit ut à pane tanquam à victima etiam partiali expectentur. Nihil ergo facit Sacerdos circa panem, ipsum offerendo, quàm ut ei consecrationem quandam, & sanctitatem conferat moralem in ordine ad sacrificium decentiùs peragendum.

Quod ad Patres spectat, dicunt ii quidem non raró, Christum obtulisse panem & vinum; sed quia vel sub eorum specie ponatur Hostia vi consecrationis; vel quia Christus sit verus panis vitæ, & vinum germinans virgines; non autem quia panis & vinum sint veri nominis hostiæ.

Obj. 2do. Sacrificium Christi est secundùm ordinem Melchisedech: atqui in hujus sacrificio panis & vinum veræ erant hostiæ; ergo & in sacrificio Christi. R. dist. maj. est secundùm ordinem Melchisedech, quatenùs panis & vinum, quæ à Rege Salem oblata sunt, sunt materia ex qua confici debet sacrificium novæ Legis, C. quatenùs debent esse victima sacri-

crificii Christiani, prout victima fuerunt sacrificii Melchisedech, N. Nec aliter inter utrumque sacrificium similitudo quæri debet; alioqui sicut panis & vinum sola fuêre hostia, quam obtulit Melchisedech; ità & sola forent novæ Legis victima, quod fidei adversatur.

§. II. *Quæ sit forma Sacrificii.*

Quæritur qua præcisè actione conficiatur essentialiter Eucharistiæ sacrificium. Porrò antè omnia constat, actionem hanc in *Missa Catechumenorum* inquiri non debere: quæ enim in ea fit peccatorum confessio, inclinatio multiplex, Epistolæ & Evangelii lectio, &c. nihil habet per quod confici possit illa hæc circa Christi corpus immutatio, quæ sacrificii ideam necessariò ingreditur: unde hæc tanti momenti actio ex ipsa *Fidelium Missa* repeti debet. In hac autem sex distinguntur actiones, quæ huc referri possint, nimirum 1mo. ea panis & vini oblatio, quæ Offertorium dicitur, & consecrationem præcedit; 2do. actio ipsa consecrationis, qua panis in corpus, & vinum in sanguinem transmutantur; 3tio. nova corporis hujus & sanguinis oblatio, quæ fit per verba hæc: *Unde & memores nos servi tui - - offerimus præclaræ majestati tuæ*,&c.4to. fractio Hostiæ tres in partes: 5to. sumptio Sacramenti à Sacerdote; 6to. demum ejusdem distributio populo facta; & idcirco sex sunt, aut fingi possunt præsenti de re opiniones de quibus sit

Conclusio I. Ratio sacrificii non consistit in ea panis & vini oblatione, quæ fit ante consecrationem.

Prob. 1mo. quia Christus verum & perfectum in ultima Cœna sacrificium obtulit: atqui nec ex Scriptura, nec ex Traditione habemus, vocalem id genus oblationem ab eo factam fuisse.

Prob. 2do. Mera ad sacrificium præparatio, non est ipsummet sacrificium; atqui oblatio de qua loquimur, mera est, &c. ut constat ex Occidentalium Liturgia, in qua post oblationem illam dicitur: *Veni sanctificator - - - & benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.*

Prob. 3tio. Res quæ in novæ Legis sacrificio offertur, est ipsum corpus Domini: atqui in Offertorio non ipsum Domini corpus offertur, sed nuda panis substantia; ergo.

Conclusio II. Neque etiam consistit sacrificium in distributione Eucharistiæ Fidelibus facta.

Prob. 1mo. Sacrificium nonnisi à Sacerdote fieri potest: sed distributio fieri potest à Diaconis.

Prob. 2do. in eo non consistit sacrificium Missæ, quo sub-

lato non tollitur sacrificium: atqui sublata Eucharistiæ distri-stributione non tollitur sacrificium. Potest enim consistere tametsi è plebe nemo communicet; juxta Trid. Sess. 22. Can. 8. Et verò Distributio illa relativè ad Fideles est ipsius sacrificii participatio, secundùm id I. Cor. 10. *Nonnè qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* atqui participatio sacrificii sacrificium jam peractum supponit; ergo.

Conclusio III. Oblatio quæ post consecrationem fit per hæc verba, *Unde & nos memores*, &c. non est pars essentialis sacrificii; & multo minùs tota ejusdem essentia.

Prob. 1mo. Ad rationem sacrificii requiritur immutatio rei oblatæ: atqui oblatio prædicta nullam in Christi corpus mutationem inducit.

Prob. 2do. Sacrificium principaliter offertur in persona Christi: atqui oblationis hujus verba non dicuntur in persona Christi, sed Ministri & plebis: *Unde & memores nos servi tui, sed & plebs tua sancta - - - offerimus*, &c.

Prob. 3tio. quia etsi ad sacrificii essentiam necessariò requiritur oblatio quæpiam, haud necesse est eam verbis exprimi. Satis enim demonstrat se aliquid offerre Deo, qui reipsa & opere exercito illud offert.

Itaque, ait Bellarminus, oblatio isthæc est quædam testificatio, quòd tota Ecclesia consentiat in oblationem à Christo factam, & simul cum illo offerat. An autem ea sit pars integrans sacrificii, disputant Doctores: Ut ut est, sedulò cavendum Sacerdoti, ne quid eorum omittat, quæ in Canone Missæ observanda præscribuntur.

Obj. Sacrificium necessariò consistit in oblatione: atqui non in ea quæ consecrationem præcedit; ergo in ea quæ sequitur. R. dist. consistit in oblatione quæ rei oblatæ immutationi juncta sit, C. in oblatione purè verbali, quæ circa victimam nihil operetur, qualis est oblatio de qua loquimur, N.

Conclusio IV. Fractio & commixtio Hostiæ non pertinet ad essentiam sacrificii. Ità S. Thom.

Prob. 1mo. quia si Hostia in calicem decidat, quando Sacerdos cum ea super calice signum crucis exprimit, nec jam frangi possit, hic integra ad sumptionem usque relinquitur; ut ex Missali Ramano docent Bellarm. Lugo, & alii: atqui tamen plenum tunc offertur sacrificium.

Prob. 2do. Fractio fit solùm circa species panis: atqui actio sacrificativa circa utrumque panis & vini speciem fieri debet. Siquidem sacrificium Missæ est sacrificium secundùm ordinem Melchisedech: is porrò non panem tantùm attigit sacrificando, sed & vinum; ergo.

Obj.

Obj. Essentia sacrificii Missæ in ea actione consistit, quæ sacrificium Crucis disertè repræsentat; est enim Missæ sacrificium imago sacrificii Crucis: atqui fractio Hostiæ, &c. R. neg. min. frangitur enim Hostia ut pars ejus cum sanguine misceatur: porrò Ecclesia hac sanguinis & corporis unione gloriosam Christi resurrectionem, non verò cruentam ejus mortem, exhibere intendit, secundùm id Missæ Mauritii Rothomagensis, *Per particulam Oblatæ immissæ in calicem ostenditur corpus Christi quod resurrexit à mortuis.*

Conclusio V. Communio Sacerdotis non est pars essentialis sacrificii: est tamen pars integrans.

Prob. 1. pars: 1mo. quia si consumptio hostiæ per Sacerdotem, sit de essentia sacrificii, non magis certum est Christum in Eucharistia verum obtulisse sacrificium, quàm certum sit eum Eucharistiam sumpsisse: atqui falsum consequens. Est enim de fide Christum verè sacrificâsse in ultima Cœna: atqui de fide non est eum Eucharistiam sumpsisse; licèt multò probabilius sit eum fuisse convivam simul & convivium.

Prob. 2do. ad sacrificium requiritur essentialiter actio rei oblatæ immutativa: atqui sumptio rem oblatam non immutat; Tùm quia hanc solùm movet localiter ad motum specierum; tùm quia si mutaret, maximè eo quòd, ut Bellarmino placet, sumptionem sequitur specierum alteratio, ex qua fit ut corpus Christi sub speciebus esse desinat: atqui hæc ratio nulla est, 1mo. quia actio sacrificii præcipuè constitutiva debet fieri in Altari: consumptio autem vi naturalis caloris fit in stomacho; 2do. in principiis Bellarmini, si quis trajectas in stomachum species, necdumque alteratas evomeret, mutilum, imò nullum foret sacrificium: atqui videtur id esse contra communem Ecclesiæ sensum. Ecclesia enim Hostiam de novo vult consecrari, quoties sacrificium minimè perfectum fuerit: atqui nullibi præcipit Ecclesia, ut qui etiam necdum egressus ab altari species evomeret, hostiam novam consecret; ergo.

Prob. 3tio. ex S. Gregorio Nyss. Orat. 1. de resurrect. *Cùm,* inquit, *corpus edendum & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit* Christus, *jam arcana ratione corpus erat immolatum*; ubi immolatio ac proinde sacrificium sumptionem præcedit.

Prob. 2. pars, quia vult Ecclesiæ Traditio, ut si Celebrans, repentino morbo correptus, utramque speciem sumere non poterit, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramque speciem sumat, ut perficiatur Sacramentum, ait S. Thomas: atqui ex ea lege sequi videtur, communionem celebrantis pertinere ad integritatem sacrificii, non autem esse tantùm juris divini. Quandoquidem ut administretur viaticum

in periculo mortis, ubi receptio ejus divino jure præscripta est, non permittit, saltèm expressè, imò nullatenùs juxtà plures, Ecclesia, ut Sacerdos minimè jejunus sacrum faciat.

Hic not. Sacerdotem ex ea Hostia communicare debere, quam consecravit; non ex alia. Unde monent Rubricæ, ut si in formula mox consecrata appareat vermis, qui ejus sumptionem impediat, alia consecretur; quod ut plurimum non liceret, quia posset è Tabernaculo sumi Hostia antè consecrata, ut perficeretur sacrificium.

Obj. contra 1. part. 1mo. id quod repræsentat sacrificium Crucis, est de essentia sacrificii Missæ: atqui specierum consumptio, &c. Prob. min. ex Apost. I. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, &c. *mortem Domini annuntiabitis.*

R. dist. maj. quod repræsentat per se & proximè sacrificium Crucis, C. quod repræsentat ratione alterius præsuppositi, N. Consumptio specierum per se & proximè repræsentat sepulturam Christi, quæ dubio procul cruento ejus sacrificio essentialis non fuit; at passionem ejus non repræsentat nisi ratione alterius, quodcumque tandem illud sit. Siquidem specierum consumptio est ipsa cœlestis agni manducatio, quæ agnum jam immolatum supponit. Unde Domini mortem annuntiat, qui carnem ejus comedit, quia caro illa est victimæ, naturaliter quidem in ara crucis, mysticè verò in altaribus nostris immolatæ.

Obj. 2do. Illud pertinet ad sacrificii essentiam, quod præcipuè à sacrificaturis fieri mandavit Christus, atqui Christus communionem corporis sui præcipuè à Sacerdotibus sacrificaturis fieri manducavit: *Accipite*, inquit, *comedite*, &c. *Bibite ex hoc omnes*, &c. *Hoc facite*, &c. Et verò aiunt Tolentani Patres: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans* participabit? ergo. R. neg. maj. ex illo enim Christi mandato unum sequitur, quod sponte concedimus, nempè communionem extrinsecum esse sacrificii terminum; quia eo potissimum fine institutum est sacrificium, ut victimæ sanctæ participes essemus: At non sequitur, communionem illam ad sacrificii rationem pertinere. Et verò communio posterior est sacrificio, utpotè quæ sit participatio ejus; ergo illud peractum supponit.

Nec nocet canon V. Toletani Concilii: Ex eo enim sequitur duntaxat, sacrificium cui sacerdos non participaverit, non fore legitimum, quia vel Christus ipse, vel saltèm Ecclesia, sub gravi statuit, ut Eucharistiæ sacrificium semper á Ministro offerente, nomine populi, sumeretur. Quin & manifestè supponit idem Canon suam jam ante sacrificio veritatem constare,

re, quam ei participet Minister, ut ex his verbis liquet: *Quasi non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis D. N. J. C. immolatio facta constiterit*; ergo juxta Concilium jam ante communionem *facta* est *immolatio corporis & sanguinis* Christi: ubi autem præexistit immolatio victimæ, ibi præexistit sacrificium.

Obj. 3tio. ad sacrificium necessaria est victimæ à Sacerdote participatio; ergo sumptio essentialis est sacrificio Missæ. R. neg. ant. holocaustum enim potissima erat sacrificii species: & tamen nulla erat Sacerdoti pars in holocausto.

Obj. 4to. Sacrificium statim ut essentialiter completum est, omnem suum effectum habet: atqui Missæ sacrificium non omnem suum effectum habet statim à consecratione; Quandoquidem ea etiam peracta offeratur idem sacrificium pro defunctis; ergo. R. dist. maj. omnem suum effectum habet ex opere operato, C. ex opere operantis N. sacrificium statim à peracta consecratione eum omnem parit effectum, quem ex opere operato parere potest: unde necessum est ut offerentis intentio jam ante consecrationem directa sit pro iis, quibus specialiter opitulari desiderat. At nihilominùs post consecrationem orat Sacerdos pro vivis & pro defunctis, quia optat ut iis omnibus prosit sacrificium, tam ex opere operantis, quàm ex opere operato. Cæterum jam in ipsa panis oblatione orat Minister *pro omibus Christianis Fidelibus vivis atque defunctis.*

Conclusio VI. Sacrificium essentialiter consistit in sola oblatorum consecratione, prout ad sumptionem, tanquam finem extrinsecum terminatur.

Prob. 1. pars, 1mo. ex S. Gregorio Nysseno, Orat. 1. in resurrect. hæc ille: *Cùm* Christus *corpus edendum & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum*: atqui Christi corpus non alia quàm consecrationis via immolatum esse potuit, cùm Discipulis datum est ad comedendum; ergo cùm Sacerdotes eodem sacrificent ritu, quo Christus ipse, necesse est ut ii consecrando sacrificare dicantur.

Prob. 2do. In ea actione consistit sacrificium, quæ rem oblatam immutat: atqui consecratio --Illa enim actionem oblatam, seu victimam immutat quantùm est de se, quæ quantùm est de se separat sanguinem viventis à corpore ejus: atqui consecratio per se & ex vi verborum separat sanguinem --- Quæ enim vi verborum ponit solum corpus sub specie panis, & solum sanguinem sub specie vini, hæc, quantùm de se est, separat sanguinem à corpore viventis: atqui consecratio, &c. Hinc Patres mysticam in Eucharistiæ sacrificio agnoscunt sanguinis

 effu-

effusionem, quæ fiat *per gladium verborum*, ut loquitur S. Cyrillus. Quod nervosè his verbis expressit Bossuetus: *Tel est le sacrifice des Chrétiens - - - où le glaive est la parole qui separe mystiquement le corps & le sang.* Idem docet Chrysost. Homil. de proditione Judæ, ubi sic: *Vox illa*, Hoc est corpus meum, *usque ad Christi adventum præstat sacrificio firmitatem.*

Prob. 3tio. Actio, cui independenter ab aliis competit tota sacrificii definitio, sacrificii constitutiva esse debet: atqui consecrationi à cæteris Missæ actionibus præcisæ competit - - - 1mo. enim importat *oblationem*; cùm victimam Deo præsenter, non quidem in actu signato, seu per verbum, *offerimus*, quod in veteribus sacrificiis non usurpabatur; sed in opere exercito, sicut offerebantur Deo animalia, eo ipso quo in Altaribus Leviticis jugulabantur, & Christus ipse se se in ara Crucis obtulit, facto potius quàm verbis; 2do. importat oblationem *rei sensibilis*, Christi nimirum per Eucharisticas species sensibiliter exhibiti; 3tio. oblationem *Deo factam*; cùm nulla actio magis ad Dei cultum ordinetur, quàm consecratio, opus Christi præstantissimum; 4to. *per Ministrum legitimum*, Sacerdotem videlicet, quem Christus potissimùm elegit ut consecraret; 5to. *per immolationem*, seu hæc consistat in mystica corporis & sanguinis separatione, prout hactenus diximus; seu, ut aliis placet, sita sit in illa Christi ad punctum redactione, vi cujus in Altari ponitur modo quodam mortuo, de qua infra; 2do. *ad testificandum Deum esse vitæ & mortis authorem*: vitæ quidem; cùm Christus per consecrationem accipiat esse quod anteà non habebat, scilicet sacramentale; mortis verò, quatenus ibidem modo quodam mortuo existit, & ad quandam sui ex futura communione destructionem ordinato.

Obj. 1mo. Actio sacrificativa est essentialiter actio victimam immutans & destruens: atqui consecratio nec immutat, nec destruit victimam, nimirum corpus Christi. Quod enim è contra victimam ponit & producit sub speciebus, eandem non destruit: atqui consecratio, &c.

R. 1mo. neg. maj. in sensu objectionis; & dico ad sacrificium non requiri actionem, qua hic & nunc res oblata destruatur, sed sufficere actionem qua verè & realiter offeratur res, quæ vel destruenda sit, vel olim destructa fuerit. Cùm enim sacrificium non habeat nisi esse morale, ad ejus essentiam & existentiam necesse non est, ut partes ejus, oblatio scilicet & immolatio physicè conjungantur; sed ad eas sufficit unio moralis, quæ fit per offerentis intentionem; ità ut oblatio aliquando immolationem sequatur, & aliquando præcedat. Atque id patet ex sacrificio Expiationis: *in eo enim ad expianda populi delicta

* *Levit. c. 16. & c. 23.*

delicta assumebantur hirci duo, quorum alter primò mactabatur, dehincque summus Pontifex sanguinem ejus oblaturus Sanctuarium introibat; alter è contra priùs offerebatur vivens, & postmodum in desertum mittebatur. Inde, porrò sic argumentari licèt: In Sanctuario per Sacerdotes Aaronicos nulla fiebat immolatio; & nihilominus verum in figuram sacrificii Christiani offerebatur sacrificium; quia oblatio sanguinis victimæ præsupponebat, & sensibiliter repræsentabat immolationem jam extra Sanctuarium factam; ergo ut apud Christianos veritas respondeat figuræ, haud necesse est ut in consecratione nova fiat immolatio, sed sufficit realis oblatio victimæ olim in Crucis ara immolatæ, & in altari substantialiter & sensibiliter positæ sub separatis speciebus panis & vini, in quibus repræsentatur effusio & separatio sanguinis à corpore, quæ in reali Agni immaculati immolatione præcessit.

Confirm. Sacrificium Crucis & sacrificium Missæ sunt unum revera & idem sacrificium, neque differunt nisi * *sola offerendi ratione*: atqui si nova fiat in Missa immolatio, jam non sola offerendi ratione different, sed & immolatione; nec proinde adeò rigorosè erunt unum & idem. Et verò cùm ad sacrificium ex parte actionis concurrant oblatio & immolatio, necessum est ut sacrificii unitas, vel ab oblationis, vel ab immolationis unitate potissimùm petatur: atqui non ab unitate oblationis; cùm hæc pluries iterari possit; ergo ab unitate immolationis. Ergo dici optimè potest, ad Missæ sacrificium nulla nova opus esse immolatione, sed sufficere oblationem à Christo semel in Cruce peractam.

Neque ideo cruentum erit Missæ sacrificium; quia in eo verè quidem, & realiter offeretur victima quæ se se olim cruentè immolavit; non autem victima prout hodie se se eodem modo cruentè immolans. Unde hic suberit quidem victimæ cruentæ, seu Dominicæ Passionis oblatio, sed incruenta; neque enim jam Christus in propria specie offertur, sed in aliena, eaque formaliter sacrificii objectivè cruenti repræsentativa.

R. 2do. neg. min. dici enim potest victimam in Missa aliquo sensu destrui; dici & melius potest eam immutari. Et quidem 1mo. dici potest victimam destrui aliquo sensu; quatenùs nempe vi verborum corpus sub specie panis separatur à sanguine, & sanguis sub specie vini à corpore; 2do. dici potest & meliùs, victimam, seu Christum, verè & realiter immutari, in quantum per consecrationem redactus ad punctum, in Altari ponitur modo quodam mortuo, & ad naturales sensuum functiones inepto, & quidem in ordine ad destructionem in communione consumandam. Jam verò si in sacrificiis liba-

* *Trid. Sess.* 22. c. 2.

minum satis erat ad immutationem sacrificativam, ut vinum in terram effunderetur, quia tunc licèt nihil amitteret physici, corrumpebatur tamen moraliter, quatenùs ineptum fiebat ad usus humanos; quidni Christus in statu mox exposito constitutus, sufficientissimè immutari dicatur?

Dixi *& meliùs*: Separatio enim corporis à sanguine, seu Christi occisio, quantùm est ex vi verborum, haud satis esse videtur ad actionem propriè sacrificativam: quia sanguinem hoc sensu separari à corpore, nihil aliud est, quàm sanguinem reipsa separatum iri à corpore, nisi Deus hoc impediret; de facto autem nullatenùs separari, quia obstat Dei voluntas; nulla porrò est vera & actualis immutatio, ubi mutatio esset posita quadam conditione, sed nunquam est ex certo ejusdem conditionis defectu.

Et verò secundùm hanc expositionem habet consecratio, quòd & corpus ac sanguinem, directè & quantùm de se est, seorsim ponat; & utrumque sic ponat modo utriusque moraliter destructivo; unde non solùm separat corpus à sanguine, sed & utrumque moraliter corrumpit, quatenùs utrumque in statu cujusdam exinanitionis collocat; ergo etiam juxta nos habet consecratio unde repræsentet cruentam sanguinis à corpore separationem, licèt id haud opinemur satis esse ad eam immolationis speciem, quam in sacrificio requirunt plures Theologi. Ut solvatur difficultas ab initio proposita,

Obj. 2do. Quod immolatur, necessariò præexistit immolationi suæ: atqui corpus Christi non præexistit consecrationi. Quod enim per consecrationem producitur, non præexistit consecrationi: atqui corpus Christi, &c.

R. 1mo. neg. maj. licèt enim communiter contingat, ut victima suæ præexistat immolationi, non tamen videtur id esse necessarium; sed sufficit, ut quod ex se vivere postulat, à vivendo prohibeatur, & ponatur per modum rei mactatæ. Quapropter absolutè loquendo, sacrificium fieret a Sacerdote, qui cùm posset rem in quodam vitæ & honoris gradu producere, eam in decliviori statu, imò & mortuam produceret, ut supremum Dei dominium profiteretur. Certè, ait Tertull. Apolog. 9. *Homicidii festinatio est prohibere nasci.*

R. 2do. neg. min., & dico 1mo. corpus Christi, quod in Cœlis consecrationi cuilibet præexistit, dici posse materiam futuri sacrificii: neque enim ad id necessum est ut jam tunc actu & de facto sanguis ejus à corpore separetur, aut ut in decliviori constituatur statu; sed sufficit ut è cœlis in terram illabi possit, ibique sacramentaliter immolari, atque id merè

con-

gruit analogiæ fidei: Christus enim & sempiternum habet sacerdotium, & non aliam sacerdotii hujus exercitio materiam præbere potest, quam se ipsum; ergo dum etiam in Cœlis degit, & ipse propria sacrificii materia; materia, inquam, quæ semper, obediente Deo voci hominis, sacramentalis victima fieri possit.

DICO 2do. Christum esse etiam in Sacramento, priùs quàm immoletur, non quidem prioritate reali, sed prioritate rationis. Consecratio enim tria præstat, 1mo. producit & quasi præparat victimam Deo dignam, quatenùs panem & vinum convertit in corpus & sanguinem Christi; 2do. sacrum illud corpus constituit in statu decliviori; 3tio. Christum totum in actu exercito offert Patri in supremum illius honorem; ergo sicut prius est Christum esse in inferiori statu, quàm offerri ut victimam, sic & prius est illum poni simpliciter, quàm poni in hoc vel illo statu; ergo iterum Christus antè concipitur esse in Sacramento, quàm ibidem immoletur.

Ex dictis solvitur argumentum, quod in quadam sua consultatione sic proponebat P. Le Courayer: Si præsentia realis ad Sacrificii positionem necessaria sit, utique ut victima realiter destrui possit: atqui in Eucharistia nulla est destructio realis, sed tantùm repræsentativa; ergo præsentia realis ad stabiliendam Sacrificii ideam necessaria non est.

R. enim 1mo. neg. maj. requiritur enim præsentia realis, non ut realiter immoletur victima; id enim semel cruentè factum est in Cruce, nec jam in Altaribus nostris iteratur: sed ut idem Christus, qui se se realiter in Cruce obtulit, realem hanc corporis sui oblationem verè & propriè continuet. Malè igitur confundit Dissertator immolationem victimæ, cum oblatione victimæ immolatæ: oblatio victimæ ad sacrificium necessaria est; non itèm actualis ejusdem victimæ immolatio.

R. 2do. neg. min. status enim ille declivior in quo constituitur Christus, potest sano sensu appellari vera & physica corporis Christi immutatio: hæc autem quoddam est immolationis genus ad sacrificium sufficiens.

Obj. 3tio. In die Parasceves verum offertur sacrificium: atqui tamen nulla tunc fit consecratio: ergo consecratio non est de essentia sacrificii.

R. neg. maj. nusquam enim offertur sacrificium Altaris, absque eo quòd Sacerdos in persona Christi, utpotè principalis offerentis, loquatur; atqui in illo Præsanctificatorum Officio non loquitur Sacerdos in persona Christi; quia incongruum judicavit Ecclesia, ut Christus inducatur loquens ea ipsa die, qua mortuus recolitur; ergo nec tunc offertur sacrificium. Unde

de quod hac die ait Ecclesia: *Fiat sacrificium nostrum*, &c. intelligitur latiori sensu, quem probè intelligunt Fideles; nimirum de quodam hesterni sacrificii complemento, quatenùs tunc consumitur Hostia, quæ pridie consecrata fuerat. Vel breviùs: Vox sacrificii hic sumitur, non pro actione sacrificandi, sed pro re sacrificata, quàm sibi & populo prodesse ad salutem præcatur Sacerdos.

Quæres 1mo. an Missæ sacrificium essentialiter differat à sacrificiis ultimæ Cœnæ & Crucis.

R. negat. quia eadem est utrobique Hostia, idem & principalis offerens, nimirum Christus.

Differt tamen accidentaliter sacrificium Missæ, 1mo. ab ultimæ Cœnæ sacrificio; tùm statu, quia in ultima Cœna Christus se se ut mortalem obtulit; in Missa verò offert se quidem in statu mortis, sed ut jam non moriturum: unde Joannes agnum vidit * *tanquam occisum*, sed tamen verè *stantem*; tùm actionis modo, quia in ultima Cœna obtulit se Christus immediatè; in Missa verò offert se per manus Sacerdotum; tùm effectu morali, quia sacrificium Cœnæ meritorium erat & satisfactorium; non itèm Missæ, ubi Christus propitiari equidem potest & merita sua applicare, non autem, utpotè extra statum viæ, mereri de novo; tùm significatione, quia Cœnæ sacrificium mortem Christi ut futuram, Missæ verò, ut præteritam repræsentat.

Differt 2do. à sacrificio Crucis penes modum offerendi; hic nempe cruento modo immolata est salutis Hostia, quæ jam incruento modo offertur & immolatur. Hic solutum omninò redemptionis nostræ pretium quod jam applicatur.

Quæres 2do. an Missæ sacrificium essentialiter differat ab Eucharistiæ Sacramento. R. ea non differre vel penes principium quo producuntur; quia utrumque eadem actione, consecratione nimirum, conficitur; vel penes actionis terminum; quia idem utrobique terminus est, videlicet Christus. At differre tamen penes essentiam, 1mo. quia sacrificium, cùm sit oblatio victimæ, primariò involvit actionem ejusdem victimæ sacrificativam, & transeuntem: Eucharistia verò ut Sacramentum, cùm in re permanente consistat, actionem hanc præsupponit, sed non includit ut partem sui; 2do. quia de ratione sacrificii est ut primariò ad cultum Dei ordinetur: Sacramentum verò nostram in sanctificationem essentialiter constitutum est.

§ III. *An ad sacrificium requiratur binæ speciei consecratio.*

Non quæritur an licitè fieri possit unius tantùm speciei consecra-

* *Apoc. 5. 6.*

secratio: id enim nemo non pro grandi piaculo habet; utpotè Christi exemplo, & constanti Ecclesiæ praxi adversum. Quæstio igitur est, an speciei utriusque consecratio ad sacrificii validitatem necessaria sit.

Negant ii omnes, qui utriusque speciei consecrationem, vel jure solùm humano necessariam existimant, ut Adrianus, Major, Sanctesius; vel jure quidem divino, sed in quo Ecclesia dispensare possit. Affirmant ex adverso alii communiùs cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 12. Ità Sylvius, Tournely, &c. Sit

Conclusio I. Utriusque speciei consecratio ad sacrificium divino jure necessaria est.

Prob. 1mo. ex I. Corint. 11. ubi, post relatam panis & vini consecrationem, Apostolus unicuique speciei subjungit: *Hoc facite*, &c. atqui verba hæc verum consecrandi præceptum important; ergo cùm præceptum illud & *à Domino* sit, & in utramque seorsim speciem cadat, dicendum est geminæ speciei consecrationem esse de jure divino.

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 22. c. 1. ubi dicitur, *Christum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini in ultima Cœna Deo obtulisse, & Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: Hoc facite:* atqui hæc divinum utriusque speciei offerendæ præceptum complectuntur.

Conclusio II. Haud tamen requiritur utriusque speciei consecratio ad essentiam sacrificii.

Prob. 1mo. Ideo adversarii consecrationem utriusque speciei ad sacrificii essentiam requirunt, quia illud volunt sic à Christo fuisse institutum, ut non expresse tantùm, sed & expressissimè sacrificium Crucis repræsentaret: atqui hæc ratio omni ex parte nutat: 1mo. quia ut repræsentetur mors Christi sufficit ut repræsentetur separatio animæ illius à corpore: hæc autem separatio non tam pro principio habuit effusionem sanguinis, qua non obstante Christus adhuc per aliquod tempus vivere poterat, quàm ipsam Christi voluntatem; 2do. quia per verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, exprimitur indubiè ea Dominicæ mortis repræsentatio, quæ ad sacrificii nostri essentiam sufficit: atqui verba: *Hoc facite.* &c. unicuique speciei seorsim, non duabus simul, quasi alia aliam essentialiter præexigat, applicantur ab Apostolo, qui I. Cor. 11. bis eadem post uniuscujusque speciei consecrationem refert. Lucas verò ea semel recenset, sed statim à corporis cosecratione, & ante consecrationem sanguinis; 3tio. quia Eucharistia prout Sacramentum, debet etiam repræsentare mortem Christi, secundùm id I. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &*, id est, vel

vel *calicem bibetis, mortem Domini anuntiabitis donec veniat:* atqui Eucharistia quatenùs Sacramentum sufficientissimè per speciem unicam repræsentat mortem Christi; nec specialis quæpiam ratio afferri potest, cur expressior ejusdem mortis repræsentatio necessaria sit ad essentiam sacrificii, ergo.

Prob. 2do. ubi est oblatio victimæ totius à legitimo Ministro facta, non autem oblatio partis tantùm victimæ, ibi plenum occurrere debet sacrificium: atqui in consecratione solius panis est oblatio victimæ totius, nimirum totius Christi; ergo.

Obj. 1mo. Christus Sacerdotibus legem imposuit id faciendi, quod ipse tanquàm Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech fecerat: atqui Christus quà talis Sacerdos corpus & sanguinem suum in pane & vino consecravit; ergo utraque illa species jure divino ad essentiam sacrificii necessaria est.

R. 1mo. argumentum istud peccat in forma; quandoquidem consequentia plus dicit quam præmissæ; in his enim de essentia siletur, non itèm in illa.

R. 2do. dist. maj. Christus legem imposuit id faciendi quod ipse fecerat, sed non probatur legem hanc imposuisse sub pœna nullitatis, C. secùs, N. Et certè Melchisedech verum in solo pane, vel solo vino sacrificium obtulisset; ergo & verum solius panis vel vini specie etiamnum offerretur à Sacerdotibus. Debent tamen ii, sicut & Christus, sub gemina specie offerre, non quia id exigat essentia sacrificii, sed ut in figurato nè unus quidem apex transeat de figura.

Obj. 2do. Unicum est in Missa sacrificium: atqui duplex foret in hypothesi nostra. Ibi enim duplex est sacrificium, ubi duplex est actio sacrificativa totam Christi passionem per se sigillatim repræsentans: atqui, juxta nos, duplex est, &c.

R. 1mo. Ecclesiam, cùm de sacrificio nostro loquitur, non abhorrere à numero plurali; ut cùm ait: *Hæc sancta sacrificia illibata*: eæ enim voces ad sacrificium referuntur magìs, quàm ad panem & vinum necdum consecrata; quæ certè ut talia non offerimus pro Ecclesia.

R. 2do. neg. min. unitas enim sacrificii ex unitate victimæ repetenda est, non ex actione victimæ sacrificativa: unde qui agnos duos uno ictu mactâsset, duplex obtulisset sacrificium. Porrò una tantùm est victima in Sacro Christianorum: unde qui plures hostias consecrat, etsi multiplicat species rei oblatæ, non tamen sacrificium, quia rem ipsam oblatam non multiplicat.

Obj. 3tio. In opinione nostra consecratio calicis erit tantùm pars integrans sacrificii: atqui falsum consequens. Alioqui enim effectus quem sacrificium parit ex opere operato, producere-

ceretur statim ab ipsa panis consecratione: atqui non producitur nisi post consecrationem calicis; ergo. R. ad 1. &c. 2. neg. min. non enim potior est ratio cur effectus Eucharistiæ quatenùs sacrificii differatur post utriusque speciei consecrationem, quàm cur effectus ejusdem Eucharistiæ quatenùs Sacramenti differatur in Sacerdote post sumptionem utriusque speciei: atqui nihil est, cur Sacerdoti nullum obicem habenti differatur, &c.

Obj. 4to. Ex assertione nostra sequitur Ecclesiam dispensare posse ut Missæ sacrificium in una tantùm specie conficiatur: atqui est id absurdum.

Negant plures min. quia ex Trid. Sess. 21. c. 2. Ecclesia in Sacramentis immutare potest, quæ immutanda judicaverit, salva eorum substantia; ergo & in sacrificio immutare poterit, modo, substantia ejus remaneat salva. Verum his ego pluribus non immorabor, persuasus scilicet, Ecclesiam, nec hactenùs illa sua, si tamen sua sit, potestate usam fuisse; nec usuram deinceps. Certè ad potestatis tam supremæ usum, necesse est in primis ut de potestate ipsa quasi geometricè constet: porrò quæ in hac Sectione disputavimus, etsi tenuitati nostræ veri magis similia videntur, haud tamen certè cujusdam probabilitatis metas excedunt; imò nec majori Theologorum numero approbantur.

CAPUT QUARTUM.

Quale sit sacrificium Missæ.

SAcrificium ex dictis dividitur in Latreuticum, seu Honorarium, quo exhibetur Deo cultus Latriæ; Eucharisticum, quo debitæ Deo grates propter ejus beneficia rependuntur; Propitiatorium, cujus finis, præter cultum, est placatio Dei offensi; & Impetratorium, quo nova à Deo beneficia consequi enitimur. Quæritur an eæ qualitates sacrificio Missæ competant.

Eucharistiæ sacrificium, sumpto impropriè sacrificii vocabulo, honorarium esse & eucharisticum concedunt Protestantes; quia Eucharistiæ dispensatio & manducatio fiunt, tùm ad Dei cultum, tùm in gratiarum actionem pro singulari Dominicæ Passionis beneficio. At eandem Eucharistiam sacrificium propitiatorium & impetratorium esse negant, nè in ea veri sacrificii rationem agnoscere cogantur. Sit

Conclusio I. Sacrificium Missæ est propitiatorium.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Matth. 26. *Hic est sanguis meus qui*

qui pro multis effundetur, Græcè, ut & apud Lucam, *effunditur in remissionem peccatorum.* Unde sic: Ubi est effusio sanguinis in remissionem peccatorum, ibi est sacrificium verè propitiatorium, ut à simili patet in sacrificiis Leviticis: atqui non in Cruce solùm facta est sanguinis Christi in remissionem peccatorum effusio, designata per verbum futurum *effundetur* sed & in Eucharistiæ institutione actu fiebat eadem effusio, per verbum præsens, *funditur*, expressa; prout suprà probavimus p. 447.

Hebr. 5. *Omnis Pontifex - - - - pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis:* atqui habet indubiè Ecclesia Dei suos Sacerdotes; ergo hi ad offerenda *pro peccatis* sacrificia constituti sunt. Jam verò sacrificium offerri pro peccatis, & propitiatorium esse, voces sunt synonymæ.

Prob. 2do. ex constanti Patrum doctrina. Cyrillus Hierosl. Catech. 5. *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Chrysost. Lib. 6. de Sacerd. sic de Christo in Altaribus nostris oblato loquitur: *Pro tota civitate, imò pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans ut omnium peccatis sit propitius, non vivorum tantùm, sed etiam eorum qui obierunt.* Ambrosl. L. 1. de Offic. c. 48. *Offert Christus se ipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.* Aug. q. 57. in Levit. *Illis* populi Judaici *sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Ex iis, quibus alia plura adjici possint, sic disputo: Ibi est sacrificium propitiatorium, ubi offertur Hostia propitiationis, Hostia quæ peccato non hujus tantùm civitatis, sed universæ Terræ dimittit, Hostia per quam vera fit peccatorum remissio: atqui ex citatis Patribus, &c. Meritò igitur Trid. Sess. 22. Can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium, tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Prob. 3tio. ratione Theologica: ex hæreticorum confesso Eucharistia in remissionem quorumcumque peccatorum instituta est; ergo vim habet remittendi peccata etiam graviora: atqui non ut Sacramentum; cùm ut sic instituta sit ad spiritualem animæ jam spiritualiter viventis alimoniam, ut supra probavimus; ergo superest, ut quatenùs sacrificium vim habeat peccata remittendi.

Obj. 1mo. Hebr. 9. *Sinè sanguinis effusione non fit remissio* pecca-

peccatorum : atqui in incruento Missæ sacrificio nulla est sanguinis effusio.

R. 1mo. objecta Apostoli propositio moraliter intelligenda est, quia ut plurimùm in veteribus sacrificiis fiebat sanguinis effusio; non autem rigorosè, quasi nullum prorsus esset sinè sanguinis effusione sacrificium. Contrarium enim patet, tùm ex cap. 16. & 22. Levit. tùm ex ipso Pauli textu, qui sic habet: *Et omnia* PENE *in sanguine secundùm Legem* Mosaicam *mundantur, & sinè sanguinis effusione*, &c. ubi ad vitandam consecrationem necessum est, ut vox limitativa *penè*, utramque versiculi partem ex æquo afficiat. Unde

R. 2do. dist. maj. sinè sanguinis effusione non fit remissio in antiqua Lege, transeat, propter rationem mox allatam. In nova Lege, subd. sinè sanguinis effusione actuali vel præterita, C. actuali necessariò, N. Cùm enim Missæ sacrificium idem sit moraliter cum sacrificio Crucis, cujus, non iteratio est, sed continuatio; quæ primùm in isto facta est effusio sanguinis, illi sufficit, & in eo fieri censetur. Quin & sanguis Christi in Missa effunditur, quatenùs verè & substantialiter libatur in ora sumentium.

Inst. 1mo. Apostolus eam in nova Lege requirit sanguinis effusionem, unde vim suam habebant sacrificia Legis antiquæ: atqui sacrificia hæc vim suam ab actuali sanguinis effusione habebant; ergo & in Lege nova vel requiritur nova sanguinis effusio, vel si hæc desit, deest & sacrificium.

R. dist. maj. requirit quantùm ad aliquid, C. requirit quantùm ad omnia, N. Itaque debuit juxta Apostolum; nova Christianorum Victima sanguinem suum dare pro nobis; quia oportuit Christum per proprium sanguinem in-are in Sancta: at non debuit, juxta Apostolum Victima hæc, Christus nimirum, sanguinem suum cruentè pluries effundere. Ideo quippe in veteribus sacrificiis nova quotidie novi sanguinis effusio necessaria erat, quia victimæ legales id quod valori deerat, numero compensare debebant: at verò Victimæ nostræ Christo, cùm infiniti sit valoris, satis fuit semel in Cruce sanguinem suum effundere: tametsi interim sanguinis hujus merita per certa media applicari velit, inter quæ primas sibi partes vindicat Missæ sacrificium.

Inst. 2do. Si res ità sit, Eucharistia vim suam totam habet a sacrificio Crucis: sed quod vim omnem suam haurit ab alio propitiatorium dici non potest; sed tantùm propitiationis antiquæ applicativum; ergo. R. dist. min. id quod vim suam haurit ab alio, propitiatorium non est, si vis hujus principium & substantiam in se non contineat, C. si contineat, N. Porrò

Eucharistia, cùm Victimam in ara Crucis immolatam, realiter in Altaribus nostris præsentem sistat, omnem sacrificii Crucis vim & fundum continet; ergo non metaphoricè tantùm sed verè & propriè impetratoria est, qui ubicumque offertur corpus Christi prælo Crucis subactum, ibi necessariò occurrit tota ejus propitiatio.

Obj. 2do. Si Missa esset sacrificium propitiatorium, communio unius prodesset alteri: atqui non magis unius communio prodest alteri, quàm Baptisma susceptum à Petro, Joanni prodesse queat.

R. neg. maj. communio enim est susceptio Sacramenti, proindeque ad suscipientis utilitatem primariò ordinatur: sacrificium verò est oblatio victimæ; hæc autem iis omnibus, quorum in gratiam offertur, prodesse potest; unde communio habet se ad communicantem, sicut Baptismus ad eum à quo recipitur: sacrificium autem habet se ut oratio, quæ non oranti tantùm proficit, sed & iis pro quibus dirigitur.

Conclusio II. *Sacrificium Missæ est impetratorium.*

Prob. 1mo. Id per quod bona tum spiritualia, tùm temporalia consequimur, meritò dicitur impetratorium: atqui per Missæ sacrificium consequimur, 1mo. bona spiritualia; tùm quia sacrificium Missæ est applicativum meritorum sacrificii Crucis: Christus autem in Cruce bona quæcumque spiritualia nobis promeruit; tùm quia ex præcedenti Concl. valet Missæ sacrificium pro peccatis dimittendis: atqui eo ipso & à fortiori valere debet, sive pro aliis necessitatibus quæ ex peccato ortæ sunt, sive pro impetrando virtutum augmento. Qui enim sacrificio Missæ placatus, in gratiam cum inimicis redit, quantò faciliùs eodem mediante sacrificio amicis suis uberiores gratias largietur? 2do. & bona temporalia, cùm hæc nobis utilia sunt. Siquidem vetera sacrificia, totidem erant Eucharistici sacrificii figuræ: atqui per vetera sacrificia impetrabantur gratiæ etiam temporales. Sic 2. Reg. 24. David pro sedanda peste, *obtulit holocausta & pacifica; & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga.* Sic 2. Machab. 3. Onias pro Heliodori salute hostiam obtulit, & homini impio vitam promeritus est; ergo ut figuram vincat realitas, necessum est ut Christianum sacrificium ad bona etiam temporanea valeat. Unde docet Chrysost. Homil. 18. in Act. Apost. offerri sacrificium pro fructibus terræ. Aug. L. 2. de Civit. c. 8. meminit sacrificii ad purgandam à dæmonis vexatione domum oblati, &c.

Prob. 2do. ex perpetua Ecclesiæ praxi, cujus testes sunt, 1mo. Liturgiæ omnes antiquæ; Jacobi scilicet, Chrysost. Basilii, &c. in quibus præcipuè quidem oratur pro fide, & justitia, sed &

simul

ſimul pro pace, pro ſalute infirmorum, pro fructuum ubertate; 2do. Patres, ut Tertull. L. ad Scapulam c. 2. ubi: *Sacrificamus*, inquit, *pro ſalute Imperatoris*, &c.

Prob. 3tio. ex citato Can. 3. Trid. ubi definitur, ſacrificium Miſſæ offerri *pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus*; quæ ultima vox, ut indefinita, veram quæcumque ea ſit coram Deo neceſſitatem importat.

Obj. 1mo. Ubi res infinita ordinatur ad rem caducam, ibi eſt ordinis perverſio: atqui in oblatione Miſſæ pro temporalibus bonis res infinita, tùm quo ad ſubſtantiam, tùm quo ad valorem, ordinatur ad res caducas, & maximè viles.

R. diſt. maj. ubi res infinita ad rem caducam ordinatur primariò & tanquam ad finem ultimum, C. ubi ordinatur tantùm ſecundariò, & ut cauſa ad effectum, N. porrò ſacrificium Miſſæ ordinatur primariò ad cultum Dei, ſecundariò autem ad terrena bona: non ut in iis ultimum finem conſtituamus, ſed ut eorum ope ad ſuperiora enitamur. Sic aras inviſimus pro avertenda à gregibus lue; quia ut flagello hoc iram ſuam demonſtrat Deus, ſic & ejuſdem ceſſatione omnipotentiam ſuam, cujus celebratio pars eſt divini cultus. Cæterùm haud neceſſe eſt ut effectus tantæ ſit dignitatis, quantæ eſt ipſius cauſa, ut de Deo, rerum etiam viliſſimarum opifice, conſtat.

Obj. 2do. Ea ſolùm bona per ſacrificium Miſſæ impetrari poſſunt, quæ Chriſtus nobis morte ſua promeruit atqui Chriſtus non promeruit nobis caduca bona; cùm ea deſpici velit, Matth. 6. *Nè ſolliciti ſitis quid manducetis*, &c. R. diſt. min. non promeruit bona temporalia nudè ſpectata, [neque enim mortuus eſt Chriſtus, ut ſimpliciter longævi eſſemus ſuper terram, ſed ut ex peccatoribus juſti & beati efficeremur] C. ſpectata in ordine ad ſalutem, & tanquam media, quibus aliqui & ſe & alios ad Deum deducere poſſint. N. Orat enim, & ſanctè orat Eccleſia, ut *ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus*, ſed potiùs conſequamur *æterna*. Atque hinc etſi cupiditatis animo terrenas opes expetere non licet, licet tamen eaſdem ut noſtræ & alienæ ſalutis inſtrumenta expetere; hoc enim ſenſu ſubſunt ordini divinæ prædeſtinationis, quæ facta eſt in Chriſto. Quòd ſi Deus terrena hæc, quæ nocitura prævidet, largiri nolit, haud moleſtè ferunt veri Chriſtiani: imò gratulantur ſibi, datum pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credant, ſed ut etiam pro illo patiantur temporalium privationem, & quæ inde profluunt incommoda.

Nec obeſt iſtud Matth. *Ne ſolliciti ſitis*, &c. Hic enim ea tantùm prohibetur inquieta ſollicitudo, quæ Gentilium, ſpem ſuam in hujus vitæ theſauris conſtituentium propria eſt, non au-

autem moderata Christianorum, qui cæteroqui, ut notat Tertull. famem non timent, quia non timent mortem.

Inst. Absurdum est in eo Mysterio temporalia flagitare, in quo communicantes passionibus Christi se suaque devovent & immolant Christiani; atqui in Mysterio altaris, Christiani, &c.

R. dist. maj. absurdum est temporalia flagitare animo iisdem fruendi, C. animo iisdem utendi, tanquam mediis, quibus Deo diutiùs & tranquillè magis famulari valeamus, N. Et unde tot D. Pauli conatus, ut sanctorum viscera quiescerent, si homine Christiano indigna sit omnis temporanea sollicitudo?

Quæres qui fuerint instituendi sacrificii fines.

R. sex præcipuè. Primus est, nè Religioni omnium sanctissimæ deesset sacrificium juge, quod nec ipsis Judæis defuerat: Habet quidem sacrificium Crucis Christiana Religio, quæ ut nova & & vera mater viventium, ex latere novi Adam in cruce dormientis educta est: At præter illud *redemptionis* sacrificium, decebat institui sacrificium *Religionis*, cujus oblatione Christiana plebs in unum collecta supremum Deo cultum penderet.

Secundus est, ut ex Capite & membris Christo & Ecclesia exurgeret & offeretur victima totalis, Deo digna. Nimirum Christus est Caput Ecclesiæ, ipsa verò * *corpus ipsius & plenitudo ejus*; ergo ut Caput voluit esse victima; sic & Capitis membra victimas fieri convenit. Jam verò in sacrificio Redemptionis Christus se solum sinè membris suis id est sinè Ecclesia obtulit; ergo oportuit, aliud [non tamen verè aliud, ut ex dictis liquet,] exurgere sacrificium, in quo caput & membra conjunctim offerantur, tùm per ipsum Caput, seu Sacerdotem magnum; tùm & per ipsa membra, id est, Fideles, qui regalis ejus Sacerdotii, plus vel minus participes effecti sunt.

Tertius est, ut passionis beneficium, aliaque omnia, quibus nos in Christo & per Christum cumulavit Pater cœlestis, condignè à nobis recolantur. Ut enim benè ait Aug. Lib. de spir. &c. c. 11. *cultus Dei in hoc maximè constitutus est, ut anima Deo non sit ingrata.* Unde Salvator in ipsa sacrificii sui institutione: *Hoc facite in meam commemorationem*: Jam verò gratiam beneficio passionis parem nonnisi in Christo referre possunt mortales. Ecquid enim Domino retribuent? bona sua? horum certè non eget. Regna & regnorum incolas? ** *Omnes gentes quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*; ergo super est, ut per ipsam nostri in Christo, & Christi in se ipso oblationem *** *offeramus hostiam laudis semper Deo.*

Quartus est, ut Fideles præsens habeant remedium adversùs pec-

* *Ephes.* 1. 23. & 5. 27. ** *Isai* 40. *** *Hebr.* 13.

peccata & peccati pœnas, seu hæ in exterioribus flagellis positæ sint; seu in eo, quod peccatum sequitur, divinæ justitiæ in hac vel in futura vita satisfaciendi debito. Constat enim ex Trid. Sess. 22. c. 10. per salutaris hujus sacrificii virtutem remitti peccata, *quæ à nobis quotidie committuntur*, id est, venialia. Constat rursus ex eodem ibid. c. 2. placatum sancta ista oblatione Dominum *crimina & peccata etiam ingentia* dimittere; constat denique ex Can. 3. ibid. idem sacrificium offerri *pro pœnis & satisfactionibus*; ergo nullum est ex hujusmodi malis, cui Missa potentissimè non occurrat; & hinc præsertim sacrificii propitiatorii nomine gloriatur.

Quintus est, ut in justis augeatur gratia. Si enim valet sacrificium istud pro obtinenda peccatoribus venia; quidni & justis pro consequendo gratiæ augmento?

Sextus est, ut Christiana Religio non sibi soli prosit, sed & iis etiam qui in regione mortis constituti, sinè Deo sunt in hoc mundo, ut ex omnibus fiat ovile unum, sicut unus est Pastor. Siquidem impetratio sacrificii nostri ad omnes etiam infideles diffunditur: & licèt iis per preces nostras opitulari valeamus, haud dubium quin potentiùs medeamur per continuationem sacrificii illius, quod pro suis etiam inimicis obtulit Redemptor noster.

CAPUT QUINTUM.

Quomodo operatur Sacrificium Missæ.

QUæstio est, an Christus externo sacrificii actui, merita sua sic annexuerit, ut per eum, independenter ab offerentis dignitate, certò remittantur peccata & peccatorum pœnæ, modò non sit obex ex parte subjecti: Quod est inquirere an sacrificium peccata & pœnas remittat ex opere operato. Potest autem sacrificium peccata & pœnas remittere vel *immediatè*, si sacrificium per se & nullo alio intermedio prædictos effectus producat; quo pacto Sacramenta, dempto obice, effectum suum operantur: vel *mediatè*, si sacrificium in eo cujus gratia offertur, aliquid producat, ad cujus positionem ponatur ipsa peccati & pœnæ condonatio. In primo casu sacrificium operaretur per modum signi & Sacramenti: in secundo per modum impetrationis, quatenus impetraret homini gratias, quibus ille ad sinceram conversionem excitetur. Sit

Conclusio I. Sacrificium Missæ & peccatum & peccati

pœnas remittit ex opere operato; non tamen eadem prorsus ratione.

Prob. 1. pars: 1mo. quia sacrificium Missæ, vel ex opere operato remittit peccatum & peccati pœnas, vel solùm ex opere operantis: atqui posterius istud dici non potest. Opus enim operantis, vel est devotio celebantis, vel devotio illius pro quo celebratur: atqui sacrificium operatur 1mo. independenter à devotione celebrantis: *Hæc* enim, ait Trid. Sess. 22. c. 1. *Illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest.* Neque verò congruum erat, ut Christiana plebs, quæ sæpius suspectam habet Ministrorum probitatem, suspectam haberet sacrificii nostri virtutem; independenter à devotione illius pro quo celebratur. Major enim est sacrificii Christiani efficacia, quàm boni cujuscumque operis alterius: atqui si ullam de se vim haberet sacrificium, sed solum dependenter à devotione subjecti, jam peculiare *nihil* præ cæteris bonis operibus haberet; ergo.

Prob. 2do. Sacrificium Missæ peccata remitti ex Trid. ibid. c. 2. quia in eo *idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit*; ergo sicut utrobique eadem est victima, ac proinde idem offerens, ità & utrobique eadem debet esse efficacia: atqui sacrificium Crucis vi propria peccatum & peccati pœnas remisit. Neque enim minor fuit ejusdem virtus, quàm Baptismi, qui vim suam totam habet à Cruce; ergo.

Prob. 3tio. Sacrificium Missæ defunctis prodest, quantùm ad pœnæ temporalis relaxationem; de quo infrà: atqui non eis prodest ex opere, seu celebrantis, qui fortè mortaliter reus, nihil á Deo in aliorum gratiam impetrare potest, seu defunctorum, qui extra viam positi nihil jam mereri possunt; ergo sacrificium nostrum per se & de se vim habet, qua Deum movet ad pœnæ temporalis relaxationem.

Ut pars 2. meliùs intelligatur, sit

Conclusio II. Sacrificium mediatè tantùm peccata remittit, & gratiam adauget; pœnas verò peccati & satisfactiones justis immediatè remittit.

Prob. 1. pars: 1mo. enim quod eatenus remittit peccata, quatenùs certas in anima parit dispositiones, quarum ope peccator remissionem delictorum consequi valeat, illud non per se statim, sed alio mediante remittit peccata: atqui sacrificium eatenus - - - Prob. min. ex Trid. Sess. 22. c. 2. ubi sacrificium Missæ dicitur propitiatorium, quia *hujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*; ergo Missæ sacrificium im-

immediatè gratiam pœnitentiæ obtinet, mediante verò gratiæ hujus usu, remissionem peccatorum præstat.

Prob. 2do. Si sacrificium immediatè remitteret peccata, hæc eodem remitteret modo, quo Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta remittunt; unde ei qui solam habet attritionem remitteretur peccatum vi sacrificii, sicut remittitur vi Sacramenti Pœnitentiæ: atqui falsum consequens; Tùm quia alia esse debet Sacramenti primò & per se ad delenda peccata instituti operatio, quam sacrificii; cùm diversorum mediorum diversa sit agendi ratio; Tùm quia alioqui nulla esset frequentandæ Pœnitentiæ necessitas; cùm per sacrificium multò faciliùs haberi posset quidquid per pœnitentiam, non sinè labore plurimo comparatur; Tùm quia dormienti, qui cum attritione decumbere cœpisset, remitti possent per sacrificium peccata: atqui hæc totidem sunt absurda.

Credimus porrò venialia non aliter quàm mortalia remitti vi Missæ: 1mo. quia alioqui venialia illa per extrinsecam condonationem sinè ullo hominis actu dimmitterentur; id autem non congruit naturæ peccati etiam venialis; quod exigit destrui per aliquid sibi contrarium; 2do. quia nulla sufficienti ratione constat, venialia immediatè per sacrificium remitti. Quòd enim Trid. Sess. 22. c. 1. ubi loquitur de remissione venialium, contritionem non requirit, quam tamen requirit c. 2. ubi lethalium remissionem attribuit sacrificio; summam tantùm probat sagacitatem sacræ Synodi, quæ sua sic verba temperaverit, ut nè minitioribus quidem Scholæ placitis præjudicium inferret. Quanquam id secundi capitis: *Peccata* ETIAM *ingentia*, subindicat alia etiam non ingentia mediante pœnitentia remitti.

Prob. 2. pars de gratiæ augmento: 1mo. quia nulla est ratio cur sacrificium secundam gratiam magis immediatè & sinè ullo hominis actu producat, quàm primam; 2do. quia alioqui augeretur in immensum gratia, seu in justo dormiente, seu præsertim in infantibus baptisatis, pro quibus pluries offerretur sacrificium; quæ omnia à communi Fidelium sensu, & à sacrificii intentione prorsus aliena sunt; ergo eò duntaxat augetur gratia per sacrificium, quod justis actualis impetrat gratias, vi quarum in ipsis gratia crescat aut crescere valeat.

Prob. 3. pars de remissione pœnæ temporalis peccato debitæ, quæ reatus dici solet: Sacrificium Missæ remittit pœnam piè defunctorum peccatis debitam, quo de infrà: atqui pœnam hanc remittit, non quidem sinè aliqua eorum dispositione, sed sinè ullo eorum actu verè satisfactorio; cùm ejus jam incapaces sint, ut extra viam constituti; ergo.

Obj. 1mo. Si sacrificium peccata remittat, vel prout impetra-

tratorium est, vel prout propitiatorium: atqui neutrum dici potest. R. neg. min. & dico 1mo. per sacrificium quatenùs propitiatorium est, effici ut Deus ponat aversionem, ob quam peccatoribus uberiora ad eliciendam contritionem auxilia subtraxisset; sive tam modica sit aversio, ut tota per unum sacrificium tollatur; sive tanta, ut nonnisi pluribus auferatur: atque hic effectus infallibilis est, nisi obstet peccatoris improbitas perseverans. Dico 2do. per sacrificium prout impetratorium obtineri actuales gratias uberiores ad eliciendum contritionis actum; nisi etiam occurrat obex, qualis esse posset actualis peccati effectus.

Dixi, *gratias uberiores*, non autem, infallibiliter efficaces; quia istæ non plus sacrificio promissæ sunt, quàm Sacramentis.

Inst. Ut sacrificium quocumque modo peccata dimittat, duo requiruntur, 1mo. certa Dei promissio, 2do. infallibilitas effectus: atqui neutrum hic reperitur. Non certa Dei promissio, cujus nè verbum quidem est in Scripturis. Non infallibilitas effectus; cùm plures ex iis pro quibus offertur sacrificium, nihil ex eo recipiant. R. neg. min. & dico ad 1. divinam promissionem reperiri in his Christi verbis: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Idem probat sacrificii hujus identitas cum sacrificio Crucis: huic enim præsto erat divina promissio: Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Ad 2. Dico, infallibilem esse sacrificii ut & cujuscumque Sacramenti effectum: unde sicut non rarò contingit ut Sacramenta propter obicem nihil operentur, sic & idem sacrificio nostro contingere potest. Et verò Crucis sacrificium, unde haurit Missa, quidquid valoris habet, non eundem in omnibus peperit effectum.

Obj. 2do. Si sacrificium pœnam peccati remittat vel æterternam, vel temporalem; itèm vel justis, vel injustis; demum vel totam vel ex parte: atqui nihil horum dici potest. R. ad 1. neg. min. & dico 1mo. non remitti pœnam nisi justis, quia injustis utpotè inimicis nulla sit pœnæ condonatio.

Dico 2do. non remitti pœnam nisi temporalem: quia semper remissa est æterna pœna, ubi remissa est culpa lethalis: veniali enim tantùm debetur de pœna temporanea.

Dico 3tio. non omnem pœnam unoquoque sacrificio remitti: alioqui perperam pro eodem defuncto pluries offerretur sacrificium. Quapropter si de viventibus sermo sit, credibile est, plus ei remitti temporalis pœnæ, qui meliùs dispositus est, quàm minùs bene disposito: ità ut sacrificium, quemadmodum Sacramenta, unicuique plus aut minùs prosit, * secun-

* S. Thom.

cundum modum devotionis ejus. Quo ad defunctos verò probabile est, Deum vel rationem habere gradus piæ dispositionis in qua decesserint, vel pœnas eorum moderari secundùm occulta justitiæ suæ judica. Sed de his infra.

Addo nunquam remitti pœnam antequam contracta fuerit: unde sicut non acquiruntur Indulgentiæ pro peccatis futuris, sic nec sacrificium Missæ pro pœna nondum debita exsolvi debet; tùm quia debiti solutio debitum supponit; tùm quia anticipata pœnæ solutio, peccandi facilitatem daret.

Etsi autem sacrificium prout pœnæ expiatorium est, præsentem indigentiam requirit, non tamen prout est impetratorium. Licèt enim non possim satisfacere pro culpa necdum commissa; orare tamen possum pro auxilio in necessitatibus futuris, & in has voces erumpere: * *Nè projicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, nè derelinquas me.*

Quæres an sacrificium vim habeat, non tantùm ex opere operato, sed & ex opere operantis, id est, ex devotione illius à quo offertur. R. affirmat. 1mo. quia valet per modum orationis: oratio autem fructum parit eò majorem, quò fervidior est; 2do. quia si cætera justorum opera eò uberiorem, ipsis, & aliis, sibi quidem de condigno, aliis autem impetrativè, gratiam comparant, quò à charitate vividiori profluunt, quidni & sacrificium Missæ?

Suus tamen semper inest sacrificio principalis valor, non solùm ex parte Victimæ, quæ Deo acceptissima est, sed & ex parte Christi, primarii offerentis. Unde qui accepta stipe plures in malo statu Missas fecit, haud deinceps parem numerum refundere tenetur: etsi non abs re sit, ut pia oratione compenset, id quod impietate sua abstulisse videtur.

Habet etiam sacrificii oblatio vim aliquam impetrandi, quatenus est ab Ecclesia ut ab offerente per Ministrum publicum; etiamsi non sit is in statu gratiæ. Ratio est, quia Ecclesia semper est sancta, ac proinde semper grata Deo.

CAPUT SEXTUM.

De valore Sacrificii.

QUæstionis sensus est, an opus sacrificii, quod ex se & essentialiter habet ut dignitatis sit simpliciter infinitæ; hoc etiam ex Christi institutione habuerit, ut virtutem operandi haberet infinitam, an finitam duntaxat. Fatentur enim omnes sacrificium utrolibet modo à Christo institui potuisse.

* *Psalm.* 70.

Duplex volvitur in Scholis ea de re opinio. Scoti prima, quæ docet effectum sacrificii esse finitum & determinatum in se, adeò ut si offeratur pro pluribus, minuatur in singulis. Secunda ex adverso tradit, effectum sacrificii eo sensu infinitum esse, quòd, sive in pluribus, sive in uno, tantum, præstet quantum juxta uniuscujusque dispositionem præstare potest; quod vocant infinitum extensive & intensive. Ità Vasquez, Pignatelli, &c. Sit cum istis

CONCLUSIO. Sacrificium Missæ valoris est infiniti, tum extensivè, tùm & intensivè.

Prob. Ea causa virtutem extensivè & intensivè infinitam habere meritò dicitur; quæ ità parere potest effectum intensiorem & extensiorem in uno subjecto, ut eumdem & ejusdem perfectionis effectum efficere possit ut in pluribus & pluribus in infinitum: atqui Missæ sacrificium, 1mo. parere potest effectum semper intensiorem in subjecto sive offerente, sive pro quo offertur. Ideo nempe, juxta Adversarios, Sacramenta majorem semper effectum parere possunt, ideoque vim habent intensivè infinitam, quia operantur juxta dispositionem subjecti, quæ major semper & major esse potest: atqui pariter, ex S. Thoma, sacrificium operatur juxta mensuram dispositionum subjecti, quæ semper adaugeri potest, ergo. 2do. idem sacrificium ità effectum hunc in uno subjecto parere potest, ut æque omnino eundem in pluribus producat, sive ii sint offerentes, quales sunt qui adstant sacrificio, sive tantum pro illis offeratur.

Et quidem fatentur ex Adversariis plerique, fructum ex eorum qui offerunt numero non imminui. Ecquis credat, accedente Petro ut Missæ serviat cum Joanne jam ad id parato, dimidio minorem à Joanne fructum percipi, quàm si solus ministrâsset? Quis in animum inducat, Parochiales Missas quæ tantopere commendantur, minùs ratione sacrificii prodesse, quàm privatas, quibus unus & alter intersunt?

Sed neque minuitur sacrificii fructus ex numero eorum pro quibus, seu in confuso, seu nominatim offertur: 1mo. enim sacrificalis oblatio unicuique prodest secundùm quantitatem suæ devotionis, ex S. Thoma q. 79. a. 5. & 7. atqui quantitas devotionis Petri nihil tollit de quantitate devotionis Pauli; ergo de fructu qui respondet devotioni hujus nihil tollitur ex consortio illius: 2do. si minueretur fructus ex numero eorum pro quibus sacrificium offertur, efficacior esset Missa in minori Communitate; quàm in majori: inefficacior verò, quæ in Commemoratione Fidelium omnium offertur, si pridie plures animæ

in aliarum societatem devenerint; atqui hæc valde absurda sunt, & infinitam sacrificii nostri dignitatem dedecent, ergo.

Obj. 1mo. ex doctrina nostra sequitur, 1mo. sacrificium Missæ non plus prodesse iis, qui stipem dant, aut pro quibus specialiter offertur; 2do. æquè prodesse singulis, si duo partem stipendii conferant, ac si solus totum stipendium daret: atqui consequens pro prima & tertia parte adversatur communi Fidelium sensui; pro secunda verò damnatum est à Concilio Constantiensi Sess. 8. ubi reprobata est hæc Wiclefi propositio 19. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.*

R. neg. maj. Fiat enim hypothesis triplex: Petrus Sacerdos primam Nativitatis Dominicæ Missam celebrat pro decem pagi incolis in communi; secundam pro iisdem, specialiter verò pro duobus qui stipendii partem contulêre; tertiam pro uno, qui totum solus stipendium dedit. Jam dico cæteros, qui stipem non dederunt, & quos suppono dispositos *ut quatuor*, non minùs ex secunda & tertia Missa fructus recipere, quàm ex prima; quia contendo fructum non dividi tanquam finitum, ità ut aliqua ejus portio decedat uni, quia uni vel duobus accrescit: at non ideo dico, eos qui stipem, vel soli, vel duo dederunt, non plus recipere emolumenti; quin & contrarium tueor duplici de causa, 1mo. quia crescere debet frúctus pro quantitate incrementi devotionis; plus autem, cæteris paribus, devotionis habet, qui Sacerdotem adjuvat; aut opem ejus efflagitat ardentiori modo; 2do. quia, & id Conclusioni nostræ supplendum, de institutione sacrificii est, ut eos inter quos applicatur, aliquis servetur ordo: unde plus Sacerdoti proderit, quàm cæteris; plus danti stipendium, quàm non danti; plus assistentibus, quàm qui non asistunt; plus nominatim & speciali intentione designatis, quàm pro quibus generatim solùm offeratur, sive ii vivant, sive defuncti sint. Quapropter sicut fatentur adversarii, plus juvari eos, qui sacro assistunt, quia assistentiam hanc Christus pro speciali quadam dispositione habere voluit; sic & plus juvabuntur, qui stipem dabunt, quia & id quoque pro speciali dispositione habere voluit sacrificii nostri Institutor: sicque quod Christi majestatem decet, lucrabitur unus, absque eo quòd alteri quidpiam depereat. Unde objecta Wiclefi propositio nihil ad nos

Obj. 2do. Damnata est ab Alex. VII. propositio isthæc n. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre*: atqui si Missæ valor sit infinitus, & æquè multis prosit ac uni, non erit contra justitiam

unum pro pluribus stipendiis sacrificium offerre. Quod enim nemini nocet, justitiæ non repugnat: atqui quod pro Joanne & Petro simul offeram, neutri nocebit. R. neg. min. Stipendium enim nullatenus respicit opus sacrificii, quod nullo pretio æstimari potest, sed tantùm Ministri personam prout humano modo sustentabilem: atqui sive opus Missæ unius integrum applicetur multis, sive dividatur, sive valeat finitè, sive infinitè, semper manet invariata Ministri ut sustentabilis persona; Neque enim per hoc quod sacrificium pluribus integrè prosit, majori indiget alimento; ergo quacumque posita opinione de valore sacrificii, præfixum eodem modo manet stipendium; ergo qui majus & majus seu à pluribus, seu ab uno, nisi ex liberalitate datum, accipit, peccat contra justitiam.

Inst. Si Sacerdos qui novum accipit stipendium, ideo justitiam lædit, quia jam ex priori habet unde sustentetur, peccabit qui in die Nativitatis Dominicæ tria pro triplici Sacro recipit stipendia: rursum verò non peccabit, qui promissa gratis Joanni Missa, à Petro pro eadem stipendium accipiet, atqui hæc inaudita sunt, ergo. R. neg. min. pro 1. parte: cùm enim Missæ stipendium haud plenè ad honestam Ministri sustentationem sufficiat; nihil mirum si Sacerdos, sicut plus quàm Diœcesana lege constitutum est, recipere sustentationis titulo potest cùm liberè datur, sic & pro tribus Missis tria stipendia recipere valeat. Ut ergo seria hic moveretur difficultas, quærendum esset, an Sacerdoti, cui data sunt in annum totum stipendia omnibus inspectis sufficientissima, ut celebret pro quo volet, novum deinceps stipendium recipere valeat, ut pro hoc vel illo celebret: hunc porrò haud difficulter comparaverim cum Parocho, qui sufficientissimum reditum habet, & à quo quidpiam ultra exigi vetuit sacra Congregatio.

Ad 2. part. responderi potest cum Cajetano, homine * *summi ingenii, nec minoris pietatis*, in q. 79. S. Thomæ, a. 5. *Una Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, &c. offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro eleemosyna sua totam sibi Missam dari, aut suo defuncto: nihil enim minùs ipse habebit, si mille alii petant eandem Missam pro se ipsis & aliis defunctis, quàm si pro ipso solo celebrari dicatur.*

Sunt tamen qui Missam uni promissam, alii denuò promitti nolint; tùm quia Conclusio nostra in opinione posita est; nec proinde exponi debet periculo is qui stipem dat; tùm quia

* *Bellarm. de Script. Eccles.*

cùm specialiter spondetur Missa, sponderi videtur & is etiam valor, quem habet ipsa non solùm ab opere operato, sed & ab opere Ministri : is verò cùm finitus sit, divisus inter plures, minor continget singulis.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ministris Sacrificii.

MInistrorum nomine eos hic omnes intelligimus, qui ad sacrificii oblationem quomodocumque concurrunt. Ut autem suus unicuique in oblatione tantæ dignitatis gradus servetur, sit

CONCLUSIO I. Christus principalis est in sacrificio Missæ offerens.

Prob. 1mo. Christus Psalm 109. & Hebr. 7. vocatur *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* : atqui non alia de causa dicitur Sacerdos, &c. quàm quia oblatum semel in ara crucis sacrificium, usque ad mundi consummationem offert; non dico, per successores suos, Sacerdoti enim in æternum constituto non succeditur; sed per Ministros suos; ergo Pontifex in æternum, in æternum sacrificium suum offerre debet. Hinc Conc. Lateran. IV. c. 1. *De summa Trinitate* : *In* Ecclesia, inquit, *idem ipse Sacerdos est & sacrificium.*

Prob. 2do. Sacrificium Legis novæ tale esse debuit ut Deo semper placeret, quatenùs mundum ac purum; & sic insigniter discreparet à Judaicis sacrificiis, quæ non raro polluta erant, tùm ex parte victimæ, tùm ex parte offerentis: atqui ut sacrificium purum sit & mundum, non sufficit rei oblatæ mundities, sed saltèm requiritur summa principalis Offerentis puritas; quia oblatio sacrificii propriè non consistit in re quæ offertur, sed in actione, qua res eadem offertur; ergo ex institutione divina necesse fuit, ut in novæ Legis sacrificio principalis Offerens semper mundus esset & integer. Unde Hebr. 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus,* &c.

CONCLUSIO II. Soli Sacerdotes sacrificium Missæ verè & propriè offerunt.

Prob. Sacrificium Missæ ab iis duntaxat confici potest, qui supernaturalem ad id muneris potestatem accepêre, atqui potestatem hanc accepêre Sacerdotes, ut patet ex eorum consecratione; accepêre autem soli: Hanc enim si qui præter ipsos receperint, vel ab hominibus, vel à Christo. Non 1. cùm po-

testas

testas supernaturalis à puro homine tradi non possit. Non 2. cùm Christus facultatem hanc Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus tradiderit; ergo.

Obj. Qui sacrificium offert, debet esse Minister Christi, Ecclesiæ & populi: atqui non omnes Sacerdotes Ministerium illud obire possunt. Certè enim Christi personam non geret Sacerdos peccator, diaboli mancipium. Non ferret Ecclesiæ vota hæreticus à ministerio per Ecclesiam præcisus; ergo. R. dist. maj. qui sacrificium offert licitè simul & validè, debet esse Minister Christi, Ecclesiæ ac populi conjunctim, C. qui sacrificium offert validè simul & illicitè, N. Ut enim qui sacrificium offerat validè, satis est ut Christi Minister esse pergat: atquî non rarò fit, ut Christi Minister esse pergat, qui præ impietate sua, nec populi, nec Ecclesiæ apud Deum interpres esse meretur. Nimirum efficitur aliquis Christi Minister per potestatem Ordinis: porrò potestas illa semper perseverat, neque ab Ecclesia pendet, quo ad functionum validitatem.

Ergo, inquies, nihil operatur Ecclesiæ prohibitio. R. neg assumptum. Facit enim, 1mo. nè Sacerdos licitè offerat; 2do. ne minister præcisus in oblatione sacrificii agat ut ab Ecclesia deputatus. *Si Sacerdos*, ait S. Thom. q. 8. art. 7. *ab unitate Ecclesiæ præcisus, Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi; sed quia est ab Ecclesiæ unitate superatus, orationes ejus*, quæ nimirum ab Ecclesia institutæ sunt, *efficaciam non habent*: id autem quanti sit, norunt quicumque Ecclesiæ dignitatem metiri norunt.

CONCLUSIO III. Fideles aliquo etiam sensu sacrificium offerunt.

Prob. 1mo. ex his Liturgiæ verbis: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum - - - pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium* & paulò post: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæ sumus, Domine, ut placatus accipias*, &c.

Prob. 2do. Non debuit Christiana plebs deterioris esse conditionis, quàm Judaica: atqui Judaica plebs, non quidem actu propriè Sacerdotali, qui erat penes familiam Aaron, sed concursu & approbatione sacrificia offerebat. Sic Exodi 5. *Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Sic Num. 26. dicitur ad multitudinem: *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis.* Sic David & Salomon holocausta obtulisse dicuntur, haud profectò per se, quia Sacerdotes non erant, sed per Ministros Domini.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacrificii subjecto.

PEr subjectum sacrificii eos intelligimus quorum in gratiam offerri illud potest aut debet. Ex his autem alii hodieque vivunt, alii jam obiêre.

§. I. *An Missa pro vivis omnibus offeratur.*

Viventium alii per Baptismum renati non sunt, ut Infideles & Catechumeni; alii regenerationis gratiam obtinuêre. Hi porrò vel justitiæ serviunt; vel peccato: & ex his alii ab Ecclesia se præciderunt, ut schismatici; alii ab ea præcisi sunt, ut hæretici, &c. De his omnibus dicendum: sit itaque

CONCLUSIO I. Missæ sacrificium pro fidelibus universis, justis vel peccatoribus offertur.

Prob. 1mo. Non meliùs de Sacerdotis sacrificium offerentis intentione habita aut habenda judicari potest, quàm ex verbis quibus utitur inter offerendum: atqui hæc ad universa Ecclesiæ membra, seu sana sint, seu peccati lue infecta se se extendunt. *Offerimus tibi*, ait, *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus*: ex iis autem qui orthodoxæ fidei adhærent, non pauci sunt peccatores.

Prob. 2do. Hebr. 5. *Omnis Pontifex constituitur - - - - ut offerat sacrificia pro pro peccatis*: atqui non tantùm pro levioribus. Sic enim fructus potior deesset ministerio ejus; ergo etiam pro gravioribus.

Obj. 1mo. Infantes sunt Ecclesiæ membra: atqui tamen non offertur sacrificium Missæ pro infantibus, qui reipsa, fructus ejusdem incapaces sunt; 2do. peccatores donec à fide deficiant, sunt de fidelium numero: atqui indigne sunt ut pro se offeratur sacrificium; 3tio. energumeni, & fideles erant & justi esse poterant: & tamen vetuit Illiber. Synodus Can. 29. nè pro his Missa offeratur.

R. ad 1. neg. min. etsi enim infans satisfactorium Missæ fructum recipere nequit, quia per lavacrum mundatus à culpa & pœna, nihil justitiæ divinæ debet: potest tamen impetratorium sacrificii effectum recipere, quo ad animam & corpus, ut utrumque suo modo conservetur. R. ad 2. dist. min. indigni sunt peccatores, sed tamen verè indigent sacrificii impetratione,

ne, ut convertantur, C. secus, N. R. ad 3. neg. min. Verba enim Eliberini Canonis energumenum quidem arcent à communione, quia ii soli offerebant, qui communionis sacræ futuri erant participes; at non excludunt à sacrificii fructu. Cæterùm communionem ipsam energumenis præmiserunt aliæ Synodi, ut Arausicana I. Can. 14. atque hujus ope sanata est puella nomine Araba, quæ ob conspectam impudicè Veneris imaginem, à dæmone meatum gutturis ejus occupante sic vexata est, ut septuaginta diebus nec cibum nec potum trajecerit, quamvis id tentatum sit pluries: etsi Araba nec famem nec sitim toto eo tempore senserit.

Obj. 2do. Si sacrificium pro Fidelibus universis offerri debet. non licebit unum ab eo excludere ut alter efficaciùs juvetur: falsum consequens. Annon enim stipem Petro negare possum, ut Lucam potentiùs adjuvem? R. neg. min. & dico Sacerdotem, qui quempiam excluderet, nisi excuset decrepita stoliditas, graviter peccaturum 1mo. contra legem charitatis; quæ etsi non jubet pro singulis nominatim orari, neminem tamen excludi patitur; 2do. contra intentionem Ecclesiæ quæ sacrificium sibi commissum ad filios suos universim extendi vult. Unde liquet aliam esse corporalis eleemosynæ, cujus quis Dominus est, conditionem, aliam sacrificii, utpotè boni communis. Cæterùm Fidelis, quem Sacerdos à generali oblatione excludet, privabitur equidem eo sacrificii fructu, qui ex privata Sacerdotis intentione pendet, sed non alio.

CONCLUSIO II. Catechumeni & Infideles nullum habent jus ad sacrificium; & hoc tamen pro illis offerri potest.

Prob. 1. pars. Ii soli ad sacrificium jus habent, qui sunt de familia Christi: atqui Cathechumeni non sunt de Christi familia, & multò magis Infideles. Nemo enim est de Christi familia, nisi qui in ea natus est per Baptismum; ergo.

Prob. 2da. pars, 1mo. quia in veteri Lege sacrificabatur pro vita Regis Darii & filiorum ejus, I. Esdræ 6. 2do. quia id I. Timoth. 2. *Obsecro igitur fieri obsecrationes, orationes - - - - pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*, &c. exponunt plerique Patres de orationibus quæ fiunt in sacrificio: sic Tertull. L. ad Scapulam: *Sacrificamus pro salute Imperatoris*; 3tio. quia offerri potest sacrificium, tùm ut augeatur familia Christi, tùm nè quid ab Ethnicis principibus molestiæ ferat: atqui est id sacrificium offerre pro conversione & bona dispositione Infidelium; 4to. quia sacrificium Altaris idem est quo ad substantiam cum sacrificio Crucis: istud autem pro omnibus oblatum est, etsi ad illud jus nullum haberemus, utpotè inimici.

Obj. Id Aug. Lib. 1. de origine animæ, c. 9. *Quis offerat corpus*

corpus Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi; atqui Infideles, &c. R. cum S. Thoma in 4. dist. 12. id intelligi debere de iis qui sunt membra Christi actu vel potentia: offert enim etiam pro membris Christi, qui offert pro aliquibus ut fiant membra Christi.

Conclusio III. Ex natura rei licet sacrificium pro excommunicatis, hæreticis & similibus offerre: id tamen attentis Ecclesiæ legibus non licet.

Prob. 1. pars: Hæretici & alii id genus, pejores non sunt, sive iis qui Christum crucifixêre, sive tyrannis, qui in Ecclesiam sævierunt: atqui ex præcedenti Concl. pro iis offerri potest sacrificium Missæ, sicut pro iis oblatum fuit sacrificium Crucis.

Prob. 2. pars: Privatio communium Ecclesiæ suffragiorum potior est pœna excommunicationis prout hodie decerni solet: atqui communia inter suffragia primas tenet Missæ sacrificium.

§. II. *An Missa pro defunctis offerri possit.*

Defunctorum alii æternis ignibus addicti sunt; alii Purgatoriis flammis torquentur; alii jam Dei visione fruuntur. De his omnibus movetur quæstio. Sit

Conclusio I. Pro damnatis, nec debet, nec potest offerri sacrificium.

Prob. 1mo. ex trito hoc: *In inferno nulla redemptio*. 2do. quia reprobi à Christo Matth. 25. amandantur *in ignem æternum*; porrò ignem hunc verè & strictè æternum esse alibi probavimus; 3tio. quia ex Aug. Lib. 21. de Civ. 24. *Si de aliquibus ità certa esset Ecclesia, ut qui sint illi etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso*; ergo sicut non sacrificatur pro Diabolo, sic nec pro quocumque reprobo.

Obj. 1mo. Aug. Enchir. c. 112. approbat Origenistarum sententiam, quatenùs tenet damnatorum supplicia, non quidem finiri, sed per orationes nostras imminui. Sic ille: *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenùs mitigari - - - non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus*: atqui utiliter pro reprobis sacrificatur, si eorum cruciatus mitigari possunt.

R. neg. ant. licèt enim S. Doctor hanc Originianæ, opinionis partem toleret, ut non omnino adversam scripturis divinis, reipsa tamen illam non approbat. En verba ipsius: *Frustra non-*

nonnulli, imò quàm plurimi, æternam damnatorum pœnam & cruciatus sinè intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ità futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo - - - quæ putant in eis terribiliùs esse dicta quàm veriùs. Hic porrò si non rejicitur penitùs damnatorum sublevatio, certè non approbatur. Quin & expressè paulò anteà reprobatur à S. Doctore; sic enim suo non aliorum nomine loquitur c. 110. *Cùm ergo sacrificia, sive Altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur; pro non valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis* ETIAMSI NULLA SUNT ADJUMENTA MORTUORUM, *qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio,* seu punitio, (prout expressè intelligit D. Thomas in 4. dist. 45. a. 2.) Ubi juxta S. Doctorem sacrificia nullum valde malis adjumentum procreant; procrearent porrò, si eorum cruciatus temperarent.

Fatendum tamen ex mitioribus illis Augustini verbis factum esse, ut viri magni nominis existimaverint reproborum tormenta in inferis leniri posse. Ità S. Antonin. Vincentius Bellovac. Gerson, &c. Verùm opinio hæc, non modo difficilis est, sed teste S. Thoma 3. p. q. 71. a. 5. *præsumptuosa, Sanctorum dictis contraria, vana, nulla authoritate fulcita & irrationalis.* Et verò contra eam militant duo præcipuè, 1mo. quòd decrescente in dies pœna, ii saltem, qui ob unum peccatum torquentur, ab omni tandem cruciatu immunes fierent; 2do. quod malè prohiberet Ecclesia ne pro reprobis offeretur sacrificium: atqui id prohibet tamen, ut constat ex Conc. Triburiensi, Can. 31. ex Bracarensi I. Can. 17. &c. Atque hinc exploditur Glossa in c. 23. XIII. q. 2. ubi orationes prodesse dicuntur, non quidem valde malis, sed *malis mediocriter, ad hoc ut minùs puniantur*, non tamen ut unquam ab inferis liberentur.

Obj. 2do. Judas Machabæus jussit offerri sacrificia pro Judæis quibusdam, quorum **sub tunicis* post mortem inventa sunt idolorum donaria, *à quibus Lex prohibet Judæos*: atqui Judæi illi in peccato mortali decesserant; ergo. R. neg. min. tùm quia dicitur Judæos illos *cum pietate dormitionem accepisse*; tùm quia donaria hæc non ad idolorum reverentiam acceperant, sed ex ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest; tùm quia legem qua id prohibebatur, etsi non sinè aliqua negligentia, ignorare potuerunt; tùm quia etsi eam cognovisse suppo-nantur,

* *Machab. II. c. 12.*

nantur, piè præſumebat Machabæus, eos in extremo vitæ ſpiritu ſceleris ſui pœnituiſſe.

Obj. 3tio. Pro iis offerri poteſt ſacrificium, qui ab inferni pœnis liberari poſſunt: atqui damnati, &c. Prob. min. ex precibus Miſſæ, ubi ſic: *Domine J. C. libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*: &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. & per inferni pœnas intelligit Eccleſia pœnas Purgatorii, C. & intelligit pœnas ignis diabolo & Angelis ejus in æternum præparati, Subdiſt. & tunc Eccleſia orationes ſuas referendo ad illud inſtans, quo animæ migrant à corporibus, precatur ut Fideles non fiant ſocii dæmonum, C. & intendit precari ut ab inferni propriè dicti pœnis liberentur, ſi in eas miſerè incurrerint, N. Per inferni pœnas intelliguntur vel pœna Purgatorii, & tunc nihil mirum, ſi Eccleſia Fideles ſuos ab iis, omni qua poteſt via, liberare conetur: vel pœnæ dæmonibus præparatæ, & tunc ſpectat pia mater ad illud inſtans, quo animæ migrant à corporibus, & orat ut filii ſui, nedum de numero ſint reproborum, in ſinum veri Abrahæ recipiantur.

Obj. 4to. Conſtat Trajanum & Falconillam ex inferis liberatos fuiſſe orationibus Gregorii & Teclæ; prout refert S. Damaſcenus in Orat. de defunctis. R. argumentum hoc á nobis verſatum eſſe in Tom. præced.

Quod ſpectat ad peccatores, etiam idololatras, quos narrant Hiſtoriæ à mortuis ad vitam revocatos eſſe; dicendum cum S. Thoma in Suppl. q. 71. art. 5. *quòd non erant in inferno finaliter deputati.*

Conclusio II. Sacrificium Miſſæ, ut aliud quodcumque Eccleſiæ ſuffragium, pro animabus in Purgatorio detentis piè & utiliter offertur.

Prob. 1mo. ex 2. Machab. 12. ubi Judas Machabæus *duodecim millia drachmas* * *argenti miſit Jeroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religiosè de reſurrectione cogitans - - - Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Ex iis ſic: Ut ex citato textu inferri poſſit, Eccleſiæ ſuffragia, & à fortiori Miſſæ ſacrificium, defunctis prodeſſe, duo ſufficiunt, 1mo. ut id disertè tradat locus à nobis adductus; 2do. ut quatenus id tradit, maximæ authoritatis eſſe debeat: atqui utrumque conſtat. Primum quidem; cùm diſertè doceat, pium eſſe pro iis exorare qui in peccatis quibuſdam mortui ſunt, quia ſic fiet ut ab iiſdem

* *Duodecim drachmarum millia faciunt Romanæ monetæ mille & ducenta ſcuta.* Menochius Edit. Turnem. hic.

dem solvantur. Secundum non minùs evidens est. Vel enim Liber ille Canonicus est, ut tota tenet Ecclesia; vel non, uti Novatoribus videtur. Si Canonicus est, prout sensêre Origenes, Tertull. Cyprian. Ambrosius, &c. jam propositio nostra spectat ad fidem. Sin verò, non desinit idem Liber tantæ ad minus esse authoritatis, quantæ Josephus, Sallustius, aliique coævi rerum Scriptores; quos circa Gentium suarum ritus nemo in iis præsertim quorum testes fuêre, falsi postulare ausit; ergò.

Prob. 2do. Quod semper & ubique in Ecclesia servatum est, nec ab alio Concilio institutum reperitur, meritò ab Apostolica Traditione oriri judicatur: atqui talis est ritus orandi pro mortuis, ut à peccatis solvantur. Hujus enim ante Concilium Carthaginense III. Can. 29. meminêre Eusebius Cæsariensis L. 4. de vita Constantini, Cyprianus Ep. 66. Tertull. Lib. de Corona militis, c. 3. Hinc Chrysost. Homil. 69. ad populum Antiochen. *Non temerè*, inquit, *hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis agatur defunctorum commemoratio? sciunt enim illis inde contingere multum lucrum, multam utilitatem.*

Prob. 3tiò. quia statim ut emersit contraria Aërii opinio circa an. 350. ubique Gentium explosa est, ceu turpis error in fide, prout docent Epiphan. Aug. L. de hæres. c. 53. &c.

Obj. Si per sacrificia juventur animæ purgantes, vix, attenta Missarum quæ ubique celebrantur, multitudine, fieri potest, ut Purgatorium non quotidie evacuetur: atqui tamen aliud credit Ecclesia, quæ sacra in perpetuum celebrat Anniversaria, pro iis etiam, quorum in gratiam, ipso obitûs tempore, Missæ plures celebratæ sunt, ut in Regum morte contingit. R. binam animarum purgantium classem distingui posse; alteram earum, quæ culparum suarum absolutionem in hac vita obtinuerunt; & has dicimus, facili negotio per sacrificiorum multitudinem liberari. Alteram earum, quæ cum culpis pluribus minimè condonatis è vita migrarunt; & de iis haud veremur asserere, earum pœnam non ità brevem fore. Neque multum proderit sacrificiorum, etiam specialiter applicatorum, multitudo: quia fructus remissionis pœnæ proveniens ex opere operato à sacrificiis, non magis infallibilis est quàm effectus Sacramentorum, porrò Sacramentorum effectus in iis tantùm infallibilis est, obicem qui non habent: habent autem obicem, qui culpas veniales habent. Unde cùm remitti non possit pœna ante dimissam culpam, quia quandiu manet culpa, manet intrinsecè homo dignus pœna; consequens est sacrificia nusquam quantum ad remissionem pœnæ, totam suam efficacitatem sortiri, donec culpa prorsus expuncta sit. Quomodo autem, & qua successione, ea venia-

lium

lium dimiſſio, (quæ ex dictis non fit immediatè per ſacrificium,) fiat in Purgatorio, per actus dilectionis & patientiæ, expendunt alibi Theologi, & fortè res eſt in theſauris divinis ſignata.

Interim, ſatagamus ut per congruæ pœnitentiæ labores, omnium culparum veniam ante obitum conſequamur; juxta id quod monuit Chriſtus Matth. 5. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es cum eo in via, nè forte - - - mittaris in carcerem: Amen dico tibi, non exibis inde donec reddas noviſſimum quadrantem. Illud ſcitote*, ait S. Bernardus de obitu Huberti, *quia poſt hanc vitam in Purgatorii locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur uſque ad noviſſimum quadrantem.*

Conclusio III. Sacrificium Miſſæ, nec Sanctis offertur, nec pro Sanctis, ut iis ad pœnæ vel culpæ remiſſionem proſit: pro iis tamen piè offertur, tùm ut in eis honoretur Deus, & ipſi in Deo, tùm ut eorum apud Deum interceſſio obtineatur.

Prob. 1. pars, tùm quia ſacrificium eſt cultus latriæ; is verò uni Deo debitus eſt: tùm quia hæc ſemper fuit Eccleſiæ fides. Unde Aug. Lib. 8. de Civ. c. 27. *Quis audivit aliquando ſtantem Sacerdotem ad Altare - - dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; cùm apud memorias eorum offeratur.* Idem docet Trid. Seſſ. 22. c. 3.

Prob. 2. pars, quia Sanctis Deo apertè fruentibus, nihil ſupereſt luendum pœnæ vel culpæ.

Prob. 3tia. pars, quæ contra Pſeudoreformatos definita eſt à Trid. Seſſ. 22. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit.* Prob. inquam, ex univerſalis Eccleſiæ conſenſu. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 5. *Cùm hoc ſacrificium offerimus*, inquit, *mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum Apoſtolorum Martyrum. ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.*

Sic Aug. Tract. 84. in Joan. *Non ſic*, ait *Martyres commemoramus* ad Altare, *quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro iis oremus, ſed magìs ut orent pro nobis.*

Liturgia S. Baſilii, cui cæteræ omnes in hoc puncto conſonant, Sanctorum memoriam facit, *ut aſſiduas preces pro nobis offerant.*

Obj. cum Kemnitio: Sacrificii oblatio in honorem Sanctorum non tam apertè, quam palpabiliter repugnat inſtitutioni divinæ. Non enim dixit Chriſtus: Hoc facite in commemorationem Sanctorum, benè verò: *Hoc facite in meam*

commemorationem; ergo. R. ad 1. neg. ant. quæ non tam apertum est, quàm palbabile mendacium. Ad 2. neg. conseq. qui enim præcipit ut aliquid fiat, non censetur prohibere, nè simul certum quid fiat, nisi id vel importet natura rerum, vel declaret Ecclesia, fida Christi voluntatum interpres: atqui neque rerum natura exigit, ut non honorentur Sancti secundariò & quasi accidentaliter in sacrificio, quod primariò & directè ad Dei cultum ordinatur; nec usquam declaravit Ecclesia, prætermitti omnino debere amicos Sponsi, in ipsius Sponsi commemoratione. Imò expresse voluit ut commemorata Hostia per quam vicerunt Sancti, simul recolerentur Sanctorum victoriæ, quibus accensi, simul & freti, nos etiam aliquando triumphare mereremur; ergo.

Inst. 1mo. Sacrificii oblatio supremus est latriæ cultus: atqui cultum hunc non licet divertere ad Sanctos ut divertit Ecclesia Pontificia. R. neg. min. pro secunda parte. Non enim offert Ecclesia sacrificium Sanctis in honorem Dei, sed Deo in honorem Sanctorum: unde Sanctis non facit aras, sed de Sanctis facit aras Deo, ut ait Aug. Serm. 318.

Inst. 2do. Ecclesia Romana sacrificium offert *ut Sanctis proficiat ad honorem*: atqui latriæ cultum in honorem creaturarum offerre, mera est impietas. R. dist. maj. offert Ecclesia sacrificium in honorem Sanctorum, offert, inquam sed Deo, tanquam authori virtutum, quas in Sanctis & per Sanctos operatus est, C. offert, quasi Sanctos ipsos supremo cultu afficere intendat, N. Itaque sicut in Republica ob reportatam de hostibus victoriam solemnes Deo gratiæ exsolvuntur, quod quadantenus in hominis victoris honorem cedit; sic in Ecclesia penditur Deo sacrificium laudis, quòd per Sanctos, veluti manus suæ instrumenta, mirabilia operari dignatus fuerit. Unde tametsi hinc honorentur amici Dei, solus tamen Deus, ut omnis boni parens, supremo cultu honoratur.

CAPUT NONUM.

De obligationibus Sacerdotis relativè ad Sacrificium.

DE solis Sacerdotum obligationibus loquimur in præsenti, quia populi relativè ad Missam obligationes exposuimus Tom. 2.

Porrò Sacerdotum obligationes relativè ad Missam, aliæ sacrificii oblationem præcedunt, aliæ stipant, aliæ subsequuntur. In primo ordine recenseri possunt immunitas a gravibus pecca-

catis, obligatio ipsâ celebrandi, honorarii recipiendi facultas, & immediata ad sacrificium præparatio. Ad secundum referuntur intentio Sacerdotis, necessitas Ministri sacro inservientis, Rubricarum praxis accurata. In tertio est actio gratiarium. De immunitate à gravibus noxis, & de jejunio diximus suprà. De cæteris hic agendum; sed ordine paulisper immutato.

§. I. *An & quando Sacerdos celebrare teneatur.*

Sacerdotum alii solum dignitatis suæ characterem habent; alii curam animarum; alii Beneficio ad Missarum celebrationem fundato mancipati sunt. De his omnibus quæritur, 1mo. an identidem per annum celebrare debeant; 2do. an in die pluries celebrare possint; 3tio. an privatim. Primam tantum difficultatem expendimus in præsenti.

Conclusio I. Laudabilius est sæpe celebrare, quàm rarò: etsi autem nulla lege præcipitur quotidiana celebratio simplicibus Presbyteris, peccant graviter qui ferè nunquam celebrant.

Prob. 1. pars: 1mo. quia frequens Missæ celebratio frequentem Eucharistiæ usum importat: atqui per se loquendo, laudabilior est communio frequens, quàm rarior, utì suprà probatum est.

2do. quia, ut ait post venerabilem Bedam S. Bonavent. L. de præpat. ad Missam, c. 5. qui rarò celebrat, *quantùm in ipso est privat SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia; justos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, & se ipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates*: at quibus tandem bonis operebus jacturam tantam compensabit homo?

3tio. idipsum confirmat Sanctorum penè omnium praxis: etsi enim fuêre, quos tremor sanctus à celebrando deterruit, fuêre impendio plures, qui, quo ad potuêre, sacris operari sunt, iique ut plurimum, de Christiana Republica præstantiùs meriti fuêre, ut Francisci Xaverius, & Salesius, Carolus Borrom. Vinc. à Paulo, Berullius, qui inter Sacra spiritum emisit, &c.

Prob. 2. pars: 1mo. quia si Sacerdos simplex quotidie celebrare teneretur, vel divina lege, vel Ecclesiastica: atqui nulla extat hujusmodi lex; 2do. quia multi Sacerdotes, pii etiam & timorati, interdum aliquo vel etiam aliquibus diebus à celebrando abstinent, nè rei assiduitas in fastidium degeneret.

Et hæc de Parocho etiam vera sunt. Sicut enim Sacerdos simplex non tenetur vi Ordinis quotidie offerre, sic nec Parochus ex vi Beneficii; esset enim nimis onerosa hæc obligatio,

Quanquam is, etiamsi plebs sua Sacro interesse non possit. *Regulariter* * non potest *omittere* sacrificii oblationem *absque aliqua causa.*

Prob. 3. pars, 1mo. ex his Christi verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: atqui verba hæc continent verum offerendi sacrificii præceptum, secundùm id Trid. Sess. 22. c. 1. *Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, præcepit per hæc verba: Hoc facite*, &c. ergo in primis ad celebrandum aliquando tenentur Presbyteri. Unde S. Thom. q. 82. a. 10. *Quidam dixerunt, quòd Sacerdos potest omnino à consecratione licitè abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum: opportunitas autem sacrificium offerendi attenditur principaliter per comparationem ad Deum, cui sacrificium offertur.*

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 23. de reform. c. 14. *Curet Episcopus, ut Sacerdotes, saltèm diebus Dominicis & Festis solemnibus, Missas celebrent*: atqui si Missæ celebratio sit opus supererogationis, mirum est, quòd eam ab Episcopis urgeri velit Concilium. Quod enim dicunt nonnulli curam hanc Episcopis imponi ad Fidelium commoditatem, gratis & ineptè dicitur. Synodus enim Missam non præscribit expresse, nisi Dominicis diebus, & solemnibus Festis: atqui si una inspiceretur Fidelium opportunitas, lex ea ad alias etiam inferioris gradus solemnitates extendi debuisset, cùm & in iis etiam Fideles Missam audire teneantur. Atque hinc Concilia Mediolan. I. Remense, Tolosanum, &c. præceperunt ut Episcopi & Sacerdotes Dominicis ac Festis diebus Sacra facerent.

Confirm. quia cùm Cajetanus in citatum D. Thomæ textum scripsisset, Sacerdotem, qui raro aut nunquam celebrat, venialiter tantùm delinquere, doctrinam hanc ex ipsius Commentario expungi jussit Pius V. immediatus Trid. Decreti executor.

Ex his colliges, gravis peccati suspectos esse tot Sacerdotes, qui semel in anno, id est annuæ communionis tempore, celebrant, nè ipsis etiam laicis, quibus curæ est Paschali quindena ad synaxim accedere, pejores videantur. Certè non ideò Ecclesiasticis privilegiis fruuntur, ut otio diffluant; sed ut divinis intenti, vestibulum inter & altare, ipsoque in altari identidem ad minus, populum inter & Deum mediatores agant. Quòd si omittunt, nullum habet Respublica hominum genus tam superfluum, nè dicam tam exitiale, ut ostendit S. Bernardus Tractat. de vita & moribus Clericorum.

* *Suarez.*

Et verò Innocentius III. in Concilio Lateran. *Sunt*, inquit, Ecclesiarum Prælati & Sacerdotes, *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno, & quod deterius est, interesse contemnunt - - - Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus*: atqui suspensionis pœna mortalem culpam arguit; ergo, ait Merbesius, *nemini Sacerdoti dubitare licet, quin Dominicis & reliquis Festis diebus & præsertim in solemnioribus, quales sunt dies Nativitatis Christi, dies Resurrectionis, Festum Ascensionis, dies Pentecostes, solemnitas Corporis Christi, Festum Sanctorum omnium, & præcipua Virginis Deiparæ Festa, Annuntiatio, Purificatio, Assumptio & Nativitas - - - offerre debeat (ad evitandum peccatum lethale) nisi legitimo quopiam impedimento sacris operari prohibeatur.*

Obj. 1mo. S. Hieronymus nusquam sacris operari voluit; ergo qui timidam ejus humilitatem imitantur, redargui non debent. R. 1mo. Hieronymum, etsi in Monasterio suo Missas non fecerit, alibi fecisse, ut probat Surius in ejus vita. Quod autem in Monasterio suo cautior fuerit, factum est œconomiæ gratia, nè Joannem Jerosol. sibi, suisque jam infensum, & à cujus tandem Communione discessit, magìs ac magìs commoveret. R. 2do. insolitam paucorum agendi rationem, quam ut benignè interpretemur, facit virtus eorum non vulgaris, in exemplum trahi non debere. Neque enim quia Sanctæ quædam in ardentes rogos insiliêre, continuò simile quid licere credemus. R. 3tio. iis qui, non dico verecundiam, sed mollitiem suam Sanctorum exemplo tegunt, ponderandum esse id S. Bernardi Ep. 91. *Imitentur certè sanctitatem, quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt.*

Obj. 2do. Non minùs Sacerdoti in ordinatione traditur potestas excipiendi confessiones, quàm celebrandi: atqui tamen simplex Sacerdos ad audiendas confessiones non tenetur. R. neg. maj. potestas enim absolvendi, sicut & prædicandi, requirit jurisdictionem, quam Episcopus pro libito dispensat: At verò potestas celebrandi in ordinatione sacra completissimè traditur in ordine ad cultum Dei, & expiationem delictorum Christianæ plebis - - - Quemadmodum igitur peccat, qui gratiam Dei in vanum recipit, sic & suo in genere peccat, qui acceptam Ordinis gratiam præ socordia negligit.

Conclusio II. Pastores, & alii qui curam gerant animarum tenentur sub gravi per se aut per alios Missam in loco ad id deputato celebrare quoties eam audire tenentur subditi.

Prob. 1mo. ex Trid. ibid. *Curet Episcopus, ut* Sacerdotes *saltèm diebus Dominicis & Festis solemnibus; si autem curam* ha-

habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

Prob. 2do. Christiana plebs ad audiendam prædictis diebus Missam strictè tenetur: atqui eo ipso ad eam celebrandam tenentur, qui plebis hujus curam habent. Et verò quis ad sacri celebrationem tenebitur, si non teneatur qui ad hoc stipendium recipit?

Neque sufficit ut Festis diebus celebrent Parochi, sed, aliquando saltèm, per hebdomadam præstare id debent, uti suprà præcipiebat S. Carolus. Nam 1mo. si Parochus confessiones suorum ex sola etiam devotione factas excipere tenetur; quidni & celebrare teneatur, ut eorum pietati satisfaciat? 2do. an mediatoris partes piè & tenerè adimplet, qui populi sui necessitates tunc tantùm Deo repræsentat, cùm aliud citrà scandalum agere non potest? Hinc S. Cyprian. Ep. 61. *Decimas ex fructibus accipientes* Clerici, *ab Altari & sacrificiis non recedant.*

CONCLUSIO III. Capellanus celebrare tenetur quoties, ubi, & quando præscribit fundatio.

Prob. tùm quia pacta conventa servari debent; tùm quia *necesse est ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur,* ait S. Gregorius Ep. 20. L. 9.

Dices, duo hinc sequi absurda, 1mo. eum qui in alia Ecclesia, imò & in alio Ecclesiæ suæ Altari Missam fecit, peccare & ad novam teneri celebrationem, ut obligationi suæ satisfaciat; 2do. eum qui per decem dies febri laborat, Missas quas tunc omisit, supplere debere: atqui utrumque rigidius videtur.

R. ad 1. negant plures, esse in primo casu obligationem restituendi, nisi quis vel majus receperit stipendium ut longiùs iret, quia tunc tenetur de excessu; vel omiserit celebrare in Altari privilegiato: quia cæteroqui nihil perdidit Fundator. Consultus tamen ea de re Sambovius an. 1671. adegit ad novarum Missarum celebrationem, eum qui in alio, quàm quod à Fundatoribus constitutum esset, Sacello Missas celebrari curaverat; tùm quia alioqui sensim ** *depereunt piæ testantium voluntates*; tùm quia graviter scandalisantur Fideles, cùm piè instituta & acceptata pro nihilo duci conspiciunt. Atque hinc qui mitiùs sentiunt, ut Lugo, loci mutationem à peccato mortali non excusant, nisi raro fiat. Quòd si accederet rationabilis loci mutandi causa, putà si præfixum Altare jam occupatum sit, nec moram ferant urgentia Celebraturi negotia, vacaret etiam à veniali; quia rationabiliter præsumitur, Fundatorem, si viveret, id esse permissurum; præsertim cùm Altare solum mutatur, non

* *T. 3. in 4. cas. 77.* ** *Sess. 22. c. 4.*

non Ecclesia. Cavendum tamen nè latiùs extendatur præsumpta Fundatorum voluntas.

Quod spectat ad solam Altaris mutationem, distinguere solent Theologi. Vel enim, inquiunt, hoc Altare designatum est à Fundatore, aut iis qui stipendium dederunt, ob causam gravem seu in se, seu in opinione Fundatoris, putà ob specialem hujus Sancti, hujusve imaginis cultum, aut memoriam familiæ, quæ Altare illud erexit; & tunc Altaris variatio grave erit peccatum, quia graviter opponitur Fundatorum voluntati, quæ locum legis habet; nisi id rarò fiat, ut in præcedenti casu dicebamus. Vel Altare illud ex mero arbitrio, absque specliali fine, aut fine jam indifferenti præfixum est; putà quia commodior esset locus familiæ jam extinctæ, aut alibi commoranti; & tunc, ait Lugo, *faciliùs poterit excusari à peccato gravi variatio Altaris intra eandem Ecclesiam. Si enim in alia Ecclesia celebrentur illæ Missæ, videtur jam fieri in præjudicium prioris Ecclesiæ, cui acquisitum fuerat illud jus.*

R. ad 2. Vel onus quotidianæ Missæ Capellano impositum est ratione loci alicujus, in quo Fundator voluit quotidie celebrari; vel sinè respectu ad locum. Si 1mo. Capellanus diebus singulis, nullo, præter postremos tres Majoris hebdomadæ, dempto, vel per se, vel si legitimo impedimento morbo, v. g. detentus fuerit, per alium celebrare debet. Si 2. observandum adhuc quid ferat contractus fundationis. Si enim in eo pactum sit ut Beneficiarius per se vel per alium quotidie celebret, nulla dies sinè sacrificio prætermitti debet. Si autem Capellanus simpliciter adstringitur ad quotidianam Missam, Fundatoris intentio ea fuisse meritò præsumitur, ut id fieret 1mo. *salva honestate & devotione* Sacerdotis, adeò ut ei à celebrando abstinere liceret, cum id reverentia exigere videtur, prout tradit Alexander III. Cap. 11. *De Præbendis*; 2do. salva etiam infirmitatis corporeæ casu, ut ibid. traditur. Si enim modicæ etiam virtutis herus stipendia famuli sui haud minuere solet, quia in brevi ægritudine detentus sit, æquum non est ut duriùs agatur cum Christi Ministro, quem corporalis infirmitas una vel altera hebdomade ab Officio suo deturbaverit. Si tamen diutiùs perduceret ægritudo, sustinendus erit qui infirmi vices gerat.

Crediderim nihilominus tenuitatem Beneficii certo etiam loco adstricti idoneam pariter causam esse, cur Capellanus per se aut per alium non teneatur repetere Missas, quas per decem aut quindecim dies aut eo plus ob infirmitatem omiserit; tùm quia de hac Beneficii specie loquitur Alexand. III. cit. c. 11. *De Præbend.* tùm quia inquum est, ut qui sanus vix habet unde vivat, æger careat necessariis: ità * D. Babin, qui tamen vult ut in

* *Goll. And. de Sacrif. p. 90.*

 his

his occasionibus ad Episcopi judicium recurratur, nè quid temerè fiat. Etsi autem concedam Beneficiario, ut identidem à sacro, ad quod cæteroqui singulis diebus tenetur, abstineat, sivè ex reverentia, sivè etiam * ut pro propinquorum suorum aut Ecclesiæ necessitatibus celebret; haud tamen velim, ut vel ab eo abstineat, *sivè causa voluptatis, sivè se ad aliam Ecclesiam transferendo*; sivè ut pro alio quopiam accepta mercede celebret: Fundator enim jus habet, ut totius anni sacrificia in sui gratiam celebrentur; & ad summum juri huic renuntiat, nè Ministri pietatem continua celebratione obruat; vel nè Sacerdos pro patre, v. g. aut matre nuper defunctis Missam specialiter applicare non possit, quod durius videtur, iis videlicet, qui aliam à nostra de sacrificii valore opinionem habent; ergo quidquid ultrà hæc est, pro se exigere præsumitur.

Quæres 1mo. quid facto opus, si celebrari non possit in loco ad id præfixo, quia corruerit, &c. R. manere obligationem celebrandi, quæ, quo meliori potest modo in Ecclesia vel Sacello viciniori adimpleri debet: 1mo. legitimè præsumitur Fundatorem intendisse id quod sibi utilius erat: nec jam libertatis suæ compos est Sacerdos, ut qui eam ex stipendio adstrinxerit; 2do. quia c. 3. *De Testamentis*, præcepit Gregorius IX. ut Monasterium, quod in loco per testatorem designato construi nequit, alibi ædificetur; ergo à pari. Cæterùm si multùm effluere debeat temporis, priusquàm in loco præfixo sacra facere liceat, putà si Ecclesia maximam sui partem corruerit, interrogandus est Episcopus, cujus est defunctorum voluntates interpretari.

Quæres 2do. an tempus Missæ certis diebus affixæ variari possit, an v. g. Feria IIda. eas celebrare liceat, quæ Feriæ VI. affixæ sunt. R. vel hæc temporis determinatio ** *sinè mysterio* facta est, ut si nihil aliud intenderit Fundator, quàm ut bis vel ter per hebdomadam pro se ipso celebraretur, vel ex causa pia facta est, ut si passionem Feria VI. & Deiparam Sabbato specialiter honorari voluerit. Si 1. dempta Fidelium offensione non videtur reus, qui diem diei substituit. Si 2. peccabitur. Etsi verò censet Lugo, haud facilè in hoc casu mortaliter peccari; eò quòd materiam habeat pro parva; *præsertim*, inquit, *si id cum causa & non multùm frequenter fiat*; multò tamen consultius est ut pacta conventa ad amussim observentur.

Hinc colliges eum qui Missas quindecim in mense celebrare tenetur, posse aliquando triginta, nimirum quindecim pro hoc mense & quindecim pro futuro celebrare. Poterit quidem, si Fundator id unum intenderit, ut tot Missæ in hono-

rem

* *Idem. ibid. Alexand. III. suprà.* ** *Lugo.*

rem Dei, aut sui ipsius requiem celebrarentur: siquidem anticipata debiti solutio non nocet, sed prodest creditori. Non poterit verò, si id vel in Sacelli detrimentum cedat, ut si Fundator perpetuum quoddammodo cultum in Capella sua foveri voluerit; vel in Communitatis præjudicium, ut si singulis mensibus pro defunctis hujus Parochiæ celebrandum sit: tunc enim efficit anticipatio, ut qui hebdomada sequenti decedunt, debito sibi subsidio fraudentur.

Quæres 3tio. an qui ex fundatione vel stipendio debet Missam Feria VI. vel Sabbato, compensare eam teneatur, quam die Paracesves, vel, juxta loci morem, Sabbato Sancto non celebravit.

R. Missas quæ ob fundationem debentur, non debere suppleri; quæ autem ex stipendio, si ad plures annos impositæ non fuerint esse supplendas. Ratio primæ partis est, quia Fundator non aliam exegit celebrationem, quàm quæ in Ecclesia permissa est: Ecclesia autem die Parasceves celebrari non patitur. Ratio partis secundæ est, quòd qui stipendium dat pro Missis determinata die ad tempus non adeò longum celebrandis, de certo Missarum numero pacisci videtur: unde non magis ad dies impeditas, quàm ad futuram fortè Sacerdotis ægritudinem attendisse præsumendus est. Aliud est cùm Missæ ad plures annos certæ diei affixæ sunt; tunc enim omissio Missæ unius in die prohibita non habetur moraliter pro vera omissione.

§. II. *An pluries in die, vel semper celebrare liceat.*

Duplici Conclusione definiemus.

Conclusio I. Moris olim fuit ut pluries in die sacrum fieret: id autem nunc vetitum est extra Nativitatem Domini, nisi accedat Episcopi consensus.

Prob. 1. pars ex Concilio Tolet. XII. an. 681. Can. 5. ubi sic: *Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus, non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre*: hic non improbatur repetita celebratio, sed communionis in Missis quibusdam omissio.

Prob. 2. ex Innocentio III. cap. 3. *De celebr. Missar.* ubi, *Excepto, inquit die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodò celebrare.* Idem habet Honorius III. c. 12. eod. tit. Et verò, si attenta hominis fragilitate, & humanarum rerum sollicitudinibus, vix possunt sanctiores ea qua par est reverentia semel sacris operari; quantominùs poterunt pluries?

Dixi *excepto die Nativitatis*, &c. norunt enim omnes Sacer-

dotem

dotem illa die tres Missas celebrare posse, dilata tamen ad tertiam Missam sumptione ablutionum, nè celebret minimè jejunus. Quòd *si unicam celebret*, ut, secluso locorum scandalo, potest, *nocturnam dicit*, *cùm ante auroram celebrat*; secundam cùm in aurora; *tertiam verò*, *cùm post auroram*: *qui verò duplicem*, *duas priores*, *cùm celebrat post auroram*. Ità Ordo Parisiensis, quem sequuntur exteri plures contra Gavantum, qui malebat tertiam dici.

Dixi 2do. *Nisi causa necessitatis suadeat*. Porrò in Galliis nemo duplex eadem die sacrum facere potest, nisi de Ordinarii licentia, eaque iis tantùm indulgetur, qui ex Sacerdotum defectu duplici præsunt Parochiæ. Et tunc ait Sambovius Tom. 2. cas. 83. curare debet Sacerdos, 1mo. ut secundam Missam jejunus celebret; 2do. ut non celebret ultra duas; 3tio. ut binæ hujus celebrationis facultate nonnisi Dominicis, festisque diebus utatur, prout sancitum est à Concil. Burdig. an. 1583. Addit idem Doctor probabile esse Sacerdotem ad ministrandum infirmo Viaticum novam Missam inchoare posse, si moneatur post communionem, sed ante ablutionem.

CONCLUSIO II. Non licet quacumque anni die sacrum facere.

Prob. quia in universa Ecclesia constitutum est, ut Feria VI. in Parasceve ab omni Missa abstineatur; eò quòd non deceat ut passio Christi per Eucharistiæ consecrationem mysticè repræsentetur, dum recolitur ab Ecclesia prout realiter peracta est.

Vetuit etiam & pluries S. Rituum & Concilii Congregatio, nè in Parasceve aliis quàm infirmis communio tribueretur; quæ sanctio non obstabit apud nos, nè Ecclesiæ quæ alium à primordiis usum sequuntur, in eo perseverent.

Quæres an Parochus, qui solus duplici Ecclesiæ præest, debeat in die Cœnæ Domini, duas in unaquaque Ecclesia Hostias consecrare, quarum alteram tunc sumat, alteram postridie in unaquaque Ecclesia. Negat Sylvius, vultque ut populus utriusque loci in unum conveniat, si potest. Si tamen, ait, inovelit consuetudo, ut in utraque Ecclesia officium peragatur Feria Parasceves; nec sinè offensione plebis tentari aliud possit; aut si hanc ejusdem Officii & communionis repetitionem permittat Episcopus, donec aliud ab Apostolica Sede sancitum fuerit, haud erit à trito usu recedendum: sic tamen ut in priori Officio, nec vinum nec aqua mittantur in calicem, nè Sacerdos jam minimè jejunus secundæ communioni inhabilem se præstat.

§. III.

§. III. *De Missis privatis.*

Privata Missa ea est in præsenti, in qua solus Sacerdos communicat: atque illud est Missæ genus, quod protestantium bilem miserè commovet. Nè suffocentur, sit

Conclusio. Missæ in quibus Sacerdos communicat, nullo jure redarguuntur.

Prob. 1mo. quia, ut bene Trid. Sess. 22. c. 6. Missæ *in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, verè communes censeri debent; partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim quòd à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus Fidelibus celebrentur.*

Prob. 2do. Concilium Agathense an. 506. præcipit Can. 47. ut Fideles omnes Missæ diebus Dominicis intersint: atqui tamen idem Concilium Can. 18. præcipit tantùm, ut sæculares in Natali Domini, Pascha & Pentecoste communicent; ergo sæpe fiebat sacrum absque eo quod quisquam communicaret.

Prob. 3tio. Moris est antiqui, ut tres in Nativitate Domini Missæ celebrentur; erat enim id jam notum S. Gregorii ævo, ut ex his ejus verbis liquet: * *Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus*: atqui ejusdem moris est, ut multi ex pietate Missis tribus intersint, nec tamen communicent nisi in una; neque id semper.

Obj. 1mo. Christus cùm dixit: *Hoc facite* &c. id Sacerdotes jussit facere, quod ipse fecit: atqui Christus non consecravit duntaxat, sed & Sacramentum iis qui aderant, præbuit; ergo. R. dist. maj. jussit sed pro loco, tempore & personis, C. secus, N. ejusdem generis est affirmativum Christi præceptum ac alia affirmativa: hæc autem pro loco, tempore & circumstantiis obligant. Neque verò voluit Christus ut corpus suum invitis ac facinorosis traderetur.

Inst. Si licet actiones quas conjunxit Christus, dividere in ordine ad populum, id etiam licebit in ordine ad Ministrum, adeòque poterit is consecrare, nec tamen sumere: atqui, &c. R. neg. maj. disparitas est quòd communio ex parte Ministri ab Ecclesia tota semper habita fuerit pro parte ad minus integrante sacrificii; communio verò ex parte populi, utpotè actioni sacrificativæ penitus extrinseca, nusquam pro necessario sacrificii complemento æstimata fuerit.

Obj. 2do. id Chrysost. Hom. 3. in Ep. ad Ephes. *Frustra habetur quotidianum sacrificium - - - nemo est qui participet - - -* & infra: *Quicumque mysteriorum non est particeps, impudens & improbus adstat*; ergo R. neg. conseq. Carpit S. Doctor eos qui

* *Hom. S. in Evang.*

præ

præ socordia abstinent à communione; at Sacerdotes, qui interim celebrare pergunt, nè attingit quidem. Aliqui se ipsum antè cæteros impugnasset, quotidie enim sacrum faciebat, & tamen sciebat sæpius fieri ut *nemo* communicaret. Et verò qui docebat sacrificium ipsis etiam absentibus, imò & defunctis opitulari, haud docere poterat illud frustra omnino offerri nemine communicante: atqui ex dictis suprà docebat Chrysostom. &c.

Obj. 3tio. Ritus Missæ in qua nemo communicat, merum est ludibrium: In ea enim ait Sacerdos: *Quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus.* Itèm in ea fit Hostiæ fractio; quæ profectò ad distributionem ordinatur: atqui, &c. R. neg. ant. objecta enim verba in plurali numero dicuntur, etiam propter eos qui alibi communicant: cùm enim unum omnes corpus simus, & de eadem victima ubivis locorum participemus, pro iis etiam precamur qui à nobis absunt corpore. Idem est de Oratione Dominica, quæ sic composita est, ut solùm à multitudine congregata recitari debere videatur; & tamen ab unoquoque privatim posito potest & debet sæpius recitari.

Hostiæ fractio non tam ad distributionem ordinatur, quàm ad mysterium & repræsentationem: unde semper divisa est Hostia, etsi non semper adfuerint communicaturi. De his adi Brunium Tom. 1. pag. 562.

§. IV. *De stipendio Missarum.*

Duo hic inquiruntur, 1mo. an pro Missa honorarium recipere liceat; 2do. quale. Negativam pro prima parte an 1748 tueri visus est Autor Operis inscripti: *Dissertation sur l'honoraire des Messes.* Sit contra

CONCLUSIO I. Potest Sacerdos pro Missa stipendium accipere per modum sustentationis, non per modum pretii.

Prob. 1mo. ex I. Cor. 9. *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui Altari deserviunt, cum Altari participant*: atqui edere de sacrario, & participare de Altari, nihil est aliud quàm occasione sacri ministerii stipendium percipere.

Prob. 2do. Quod tota per Orbem frequentat Ecclesia, citra summam temeritatem culpari non potest: atqui stipendii prædicti usum, &c. Hinc Facultas Paris. an. 1521. sex reprobavit propositiones honorario Missarum contrarias. Præiverat S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ; sed quasi stipendium suæ sustentationis - - - non tanquam pretium,*

tium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Idem diu antè sanxerat S. Crodegangus, Metensis Episcopus.

Prob. 3tio. Stipendium est species quædam voluntariæ oblationis, quæ fit à Fidelibus ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ: atqui oblatio hæc, seu peccunia, seu æquivalenti fiat, nihil habet mali. Utique enim licita erat prout primis Ecclesiæ temporibus fieri consueverat, cùm Sacerdotibus tribuebantur in specie, quæ ad victum necessaria erant: atqui quod eadem hodie, vel potiùs horum pars minima, tribuatur pecunia, nihil mutat in re; nisi quòd minùs gravantur Fideles, minùsque adjuvantur Clerici. *Quis* enim *Sacerdos*, ait Christ. Lupus, *non ab omni Fideli panem & vinum malit accipere ad quamvis Missam*, ut olim, *quàm*, ut hodie, *ab unico homine paucos asses?*

Nec obest quòd è stipendii usu mala non pauca oriri possunt. Constat enim meliora quæque in abusum verti. Nihil sanctius corpore Domini: at heu quoties Paschalibus in Festis indignè tractatur? sicut ergo tolli non debet annuæ communionis præceptum, sed solùm sacrilegæ communiones, ità nec redargui debet honorarii Missalis consuetudo, sed tantùm coerceri, quæ facilè grassatur, cupiditatis aura. Hanc autem in iis potissimùm Sacerdotibus suspicari est, qui, cùm desunt stipendia, abstinent à celebrando. Quanquam fieri potest ut vir pius, aliquando celebret, quia stipendium recipit, alioqui haud celebraturus. Non quòd simoniaco stipendii studio moveatur, sed quia veretur nè debitum suum protrahat; nec tam citò iis opem ferat, quibus utrumque tenetur citra moram opitulari.

Conclusio II. Sacerdos stipendio per legem vel consuetudinem præfixo contentus esse debet. Potest tamen plus quidpiam recipere gratis oblatum, imò & modestè exigere ratione laboris extrinseci.

Prob. 1. pars: quia si generatim ubi de quocumque stipendio agitur, inhærendum est Superiorum legibus, aut quæ legis locum habet consuetudini; his à fortiori inhærendum ubi de sacris agitur; ne vel populo, qui Clericorum mores lubenter vellicat, prebeatur offensionis materia; vel avaritiæ, cui parent omnia, turpiter cedatur. Unde qui ultra limites hic prodit, ad restitutionem tenetur, ut qui alienum rapiat domino rationabiliter invito.

Sed quid, si nihil hac in re constitutum sit à lege, vel ab usu? Existimant aliqui tunc licitè exigi quantùm ad plenam diei unius sustentationem necesse sit Sacerdoti. Sed malè, 1mo. quia hinc exurgeret arbitraria facultas, quodlibet exigendi; & indubiè eo plus corraderet quispiam, quo minùs haberet virtutis & temperantiæ; quia actio Missæ non impedit nè Sacerdos,

ho-

honestis & quæ statum suum deceant operibus, sibi ex parte provideat; 3tio. si Parochus penè dies totas in concionibus adornandis, confessionibus excipiendis, &c. plerumque vix idoneam sustentationem habeat à Beneficio; quo tandem jure totam hanc à Missa sua expectabit simplex Sacerdos? Id ergo unum exigat Minister quod viri sapientis judicio ad bonam partem sustentationis unius diei sufficere possit.

Prob. 2. pars: quia quod licet ègeno vel artifici, Ministro Altaris prohibitum esse non debet.

Cæterum qui taxationem constitutam novit, gratis id quod ultra est dare censetur. Qui verò nescit, debet moneri à Sacerdote, nè forsitan ex errore offerat plus justo.

Prob. 3. pars, quia æquum est ut si Sacerdos summo mane surgere, vel peregrè proficisci, vel ad meridiem expectare debeat, laboris hujus, quem Missa per se non postulat, ratio habeatur. Atque hinc plus datur pro Missa cantata; non præcisè quia cantus pretio æstimetur ut in musicis; sed 1mo. quia æquum est, ut qui plus* *laborant - - - duplici honore*, id est, majori præmio *digni habeantur*; 2do. quia hic subest aliquid lucri cessantis: qui enim partem diei maximam transigit in Ecclesia, non potest interim sibi providere de necessariis. Ut solvantur non pauca,

Quæres 1mo. an Sacerdos etiam dives solitum stipendium recipere possit. R. affirmat. quia generatim *dignus est operarius mercede sua*; quòd autem aliunde dives sit, per accidens se habet; & ut operam non tollit, sic nec mercedem tollere debet. Cæterùm nostra hæc responsio cupiditati Beneficiariorum non favet: hi enim verè ex Missa nihil sibi lucrantur, quia tantùm ex reditibus Ecclesiasticis in usus pios, vel in pauperes refundere tenentur, quantùm ex iisdem bonis sibi superfluit.

Quæres 2do. an Parochi & alii Beneficiarii stipendium pro Missis accipere possint.

R. 1mo. non posse id Parochus his diebus, quibus ad dicendam pro subditis Missam tenentur; seu quoties populi Sacro interesse debent. Id autem locum habet 1mo. sive Parochi ex beneficio congruam sustentationem habeant, sive non; prout in terminis resolvit Congregatio Concilii die 10. Martii an. 1692. 2do. sive Parochus sit amovibilis, sive non; sive Sæcularis, sive Regularis; 3tio. etiamsi hac die Missam pro aliis offerre teneatur; ut sæpius contingit in Collegiatis Ecclesiis, quæ per Canonicos suos curam animarum exercent. Si enim Dignitati cuipiam vel Canonicatui annexa sit cura illa, & Dignitarius vel Canonicus Conventualem Missam celebret, debet hanc applicare pro Benefactoribus; Missa verò Parochialis pro populo

* *I. Timot.* 6.

erit

erit celebranda per alium, ſumptibus ejuſdem Canonici, aut ſaltèm, ait Merati: in diem ferialem transferenda. Ità pluries pro prima parte definiit eadem S. Congregatio: nam de translatione ſilet; eamque non admodum approbaverim: cùm Parochiali Miſſæ interſint plures, qui feriali intereſſe non poſſunt; quique ſic à certa ſpiritualis, quem percepturi erant, fructus portione excidunt.

Ex quibus colliges cum Tamborino, Regulares Abbates pro ſuis ſubditis, & Epiſcopum pro ſua Diœceſi, ſacrum facere debere: quia jura de iis omnibus indiſtinctè loquuntur, qui curam habent animarum cum reditu. Quin & multi Epiſcopos quoties celebrant, utique ſervato charitatis quam parentibus debent, ordine, pro ovibus ſuis celebrare volunt, & ſequetur ex dicendis.

R. 2do. eos qui curam habent animarum, licèt Diœceſana Lege teneantur ad pluries celebrandum in hebdomada, ut Mediolani, extra Feſtos ac Dominicos dies poſſe ſtipendio donari; niſi ſufficientiſſimum habeant ex Beneficio ſuo reditum. Ratio eſt, quia jus non reſiſtit in priori caſu; in poſteriori autem obſtat deciſio Sacræ Congregationis, quæ pluries definiit, *Parochus teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi reditus pingues ſint, ſingulis diebus,* niſi à celebrando legitima cauſa excuſet; *ſi verò tenues, ſaltèm feſtivis diebus.* Porrò pingues ſunt reditus, cùm in iis haud difficulter habent Paſtores, quidquid ad honeſtam ſui ſuſtentationem, inſpectis omnibus inſpiciendis, neceſſe eſt; etiamſi nihil, vel parum remaneat ſuperflui. Quæ autem honeſta ſit ſuſtentatio, dixi Tom. 1. Moral. *De oblig. Cle. a. 2. ſect. 3.*

R. 3tio. *Sacerdotes alii, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.* Ità S. Congregatio approbante Urbano VIII.

Quæres 3tio. an qui alicubi celebrare tenetur abſque applicatione ſacrificii, ſed tantùm ad divinum cultum, ab alio ſtipem recipere poſſit, ut illi applicet ſacrificium ſibi liberum. Negat Gavantus p. 221. Edit. Pariſienſ. an. 1645. idque ſub Urbano VIII. à S. Congregatione Concilii *expreſsè* prohibitum fuiſſe declarat. Si tamen expreſſam pro aliis celebrandi facultatem dederit Beneficii Fundator, licebit pro iis celebrare, prout die 13. Julii an. 1630. declaravit S. Rit. Congregatio. Unde, ait idem, Capellani Monialium & alii, qui in congruo præſertim ſtipendio ſubeunt onus quotidianæ Miſſæ, expreſſa

hac conditione, quòd non teneantur ad applicationem sacrificii, nova pro sacrificiis stipendia recipere possunt.

Quæres 4to. an qui minora stipendia sive ab uno, sive à multis accepit pro Missis pluribus, licitè possit ea in unum sufficiens coadunare, & per unius sacrificii oblationem satisfacere. R. negat. 1mo. quia obstat Decretum jussu Urbani VIII. an. 1625. sic editum: *Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii præcipit, ut absolutè tot Missæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, etiamsi stipendia fuerint incongrua; ità ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quia imò graviter peccent, & ad restutionem teneantur*; 2do. quia si pacta nè à Christi quidem Ministris serventur, periit fides in humana societate.

Nec obest, quòd Trid. Sess. 25. c. 4. Missarum reductionem permittit: Id enim permittit in hypothesi planè diversa; cùm nempe vel reditus olim congruè pro celebrandis Missis assignati, malo casu imminuti sunt: vel quod congruum erat ipso contractus tempore stipendium propter pecuniæ raritatem, jam prorsus insufficiens evasit. At in hypothesi præsenti frangitur fides liberè data, decipitur in re gravi proximus, qui fortè monitus adauxisset stipendium, aut ad alios liberaliores recurrisset.

Imò qui ex præscripto Missarum numero unam detrahet, peccabit lethaliter: quia etsi octo vel decem assium jactura plerumque non sufficit ad culpam mortalem; privatio tamen fructûs etiam unius Missæ spirituale damnum satis grave inducit, ut hinc lęthale peccatum exurgat.

Si Sacerdote inscio allata sint pro missis decem, Missarum octo stipendia, poterit is octo tantùm Missas celebrare. Si tamen stipendii largitorem monere possit, monere tenebitur; aut ad alium, qui minori contentus sit stipe, & stipem & Missarum onera transferre; cùm præsumi possit eam esse donatoris voluntatem. *Si tribuens eleemosynas*, ait Congregatio sub Urbano VIII. *numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari* oportebit, *quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis aut Provinciæ.*

Quæres 5to. an Sacerdoti liceat novam stipem pro eodem sacrificio recipere, cum intentione cedendi in gratiam offerentis, eam fructus partem, quæ sibi tanquam Ministro contingit. R. negat. damnata enim fuit ab Alex. VII. an. 1665. misera hæc propositio n. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet Celebranti respondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Et verò, debita ex justitia certo

non

non potest satisfieri solutione incerta: atqui incertum est an fructus qui Sacerdoti contingit, quique *specialissimus* dicitur, abalienari possit; idque Suarez & alii probabilissimè negant. Rursus incertum est an specialissimus ille fructus æquivaleat ei fructui, quem *medium* vocant, seu *specialem*, & qui applicatur iis, pro quibus ex speciali intentione sacrificium offert Sacerdos; cùm aliqui eum tertiæ tantùm parti medii hujusce fructus respondere contendant cum Navarro.

Quæres 6to. an qui pinguius ex dantis liberalitate accipit stipendium, possit hujus parte retenta, Missas quas suscepit, alteri Sacerdoti committere, huic concedendo partem alteram stipendii, quæ secundùm loci leges sufficiat. R. negat. damnata enim etiam fuit ab Alexand. VII. hæc propositio ibid. n. 9. *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et verò Sacerdos ille nullum habet titulum, quo retineat partem illam; hæc enim sibi gratis data non est, sed cum onere celebrandi; ergo cùm onus illud in alium rejiciat, debet & beneficium in eundem refundere: præsertim cùm ii qui majus taxato stipendium præbent, id intendant, ut pro se oretur speciali affectu. Unde qui secùs facit, æquitatem violat, & ideo ad restituendum tenetur; nisi Sacerdos alter de re tota monitus, excessum illum liberaliter condonet. Quanquam cavendum nè condonatio ista sit ore tenùs tantùm liberalis, in rei autem veritate coacta; putà eò quod timeat Sacerdos, nè deinceps stipem non inveniat pro Missis.

Obj. Si res ità sit, peccant & restituere tenentur, tùm Beneficiarii pingues, qui quas debent Missas, per alios exequuntur, nec tamen iis stipem Beneficiis suis parem tradunt; tùm Administratores, qui summam accepta minorem tradunt: atqui utrumque quotidianæ praxi repugnat.

R. neg. maj. pro prima parte; quia etsi Beneficiarii de quibus agitur, non semper Missas celebrant per se, per se tamen plura semper efficiunt, propter quæ majorem redituum partem lucrantur. Nam & Horas recitant, temporalibus Beneficiorum bonis invigilant, curam gerunt animarum, aut saltèm studiis vacant; nec dubium, quin ut iis vacarent tranquilliùs, & deinceps de Ecclesia meliùs mererentur, iisdem gratificari voluerint Fundatores. Atque id à sacra Congregatione definitum est, prout docet Quarti, qui & animadvertit eandem esse rationem de Capellano, qui Beneficiatus non est, sed stipendiatus instar Beneficiati.

Quod ad secundam partem attinet, Congregatio ab Urbano

 VIII.

VIII. specialiter constituta respondit, *Permittendum non esse ut Ecclesiæ ac loca pia*, velut hospitalia, *seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ ac loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominùs eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

Quæres 7mo. an liceat Sacerdoti anticipatè celebrare Missas pro iis qui deinceps stipendia offerent. R. non licet, 1mo. quia audita Concilii Trid. Congregatione, consuetudinem hanc prohibuit Paulus V. die 15. Nov. an. 1605. *tanquam plurimis nominibus periculosam, Fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium aberrantem*; 2do. quia sicut Deus, secundùm ordinariam legem, nec punit, nec remunerat homines propter futura eorum opera, sed pro præsentibus; sic nec sacrificii fructum confert cum respectu ad futuram hominis voluntatem.

Si tamen prævideat Sacerdos futurum ut à se postulentur Missæ pro Titio defuncto, poterit jam nunc easdem offerre & deinceps stipem percipere; quia sic offertur sacrificium pro persona determinata, nec exspectatur indigentia, sed supponitur; tantùmque incurrit Sacerdos stipendii amittendi periculum.

Quæres 8vo. num liceat Sacerdoti vel Æditu plura congerere stipendia Missarum, quibus nonnisi post diuturnum tempus satisfieri possit. R. negat. 1mo. quia Decretum à S. R. Congregatione editum die 21. Junii 1625. prohibet singulis Sacerdotibus, nè manuales eleemosynas pro novis Missis accipiant, nisi jam oneribus antea susceptis satisfecerint, aut intra modicum tempus satisfacere possint: nisi stipem tribuens consentiat in moram; 2do. quia plerumque postulantur Missæ pro re urgenti, putà pro vincenda gravi tentatione, pro lite intra paucos dies definienda, pro infirmo decumbente, ut convertatur: atqui dilato sacrificio continget, ut causa jam perdita sit, æger defunctus, &c.

Quæ autem mora in præsenti sufficiat ad lethale peccatum, nonnisi ex circumstantiis dijudicare potest. Unde si quis pro lite hodie definienda Missam manè petierit, graviter peccat, qui vel una die differt, & ad restituendum tenetur, perinde ac si Sacrum omisisset. In reliquis quæ minùs urgent, potest quis Mis-

Missarum stipendia ad menses duos acceptare, prout alibi diximus.

Quæres 9no. an is à quo postulatur Missa de *requiem*, aut de Spiritu S. peccet si aliam legat.

R. 1mo. Missæ votivæ & pro defunctis in Festis duplicibus, & diebus Dominicis, aliisve diebus privilegiatis celebrari non debent, prout habent Rubricæ Missalis. Imò generatim optat Ecclesia, *ut quo ad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.*

R. 2do. Sacerdotem, qui his diebus Missam debet pro defunctis, obligationi suæ satisfacere, iisdem applicando Missam diei currentis. Quin & Missam hanc in aliam diem minimè impeditam transferri vetuit S. R. Congregatio, approbante Alexandro VII. die 5. Augusti an. 1662. *nè dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit.*

R. 3tio. eum qui expressam pro defunctis Missam promisit, si nihil obstet, stare debere promissis, quia hæc piè impleri possunt, & ideo debent.

Satius tamen est, ut Sacerdos polliceatur duntaxat Missam pro defuncto, ea ratione qua magis eidem prosit, servato Ecclesiæ ritu, salva utilitate spirituali propria & aliena, & prout sua feret devotio.

Quandoque tamen fieri potest, ut speciales pro defunctis Missæ celebrari debeant, etiamsi formaliter promissæ non sint, ut 1mo. si alioqui subsecutura sit offensio populi, qui Sacerdotem in albis v. g. celebrantem conspiciens, se se deceptum esse existimet; 2do. si id exigat circumstantia diei, putà Obitus, vel Anniversarii: quo in casu etiam occurrente Festo duplici potest legi Missa *de requiem*, ut monent Rubricæ: quanquam Anniversaria in diem proximè non impeditam transferri satius est, uti tradidit S. R. Congregatio an. 1608. & 1614.

Quæres 10mo. an Beneficiarii Missas ad minorem numerum reducere possint, quando reditus adeo imminuti sunt, ut nullatenus sufficiant.

R. negat. tùm quia nemo in sua causa potest esse Judex; tùm quia jus illud à Trid. Sess. 25. cap. 4. de reform. devolutum est ad Episcopos, ut *Executores Testamentorum**. Neque verò id possunt Episcopi pro nutu, sed omnibus, ut decet inspectis, & servatis Regni formalitatibus.

§. V. *De hora & loco Sacrificii.*

De hora sic statuunt Rubricæ: *Missa privata, saltèm post Matutinum & Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.*

* *Cap.* 17. De Testam.

Quæres 1mo. quid per auroram intelligatur?

R. intelligi non ortum solis ipsius, sed primam illam lucis irradiationem, quæ crepusculum dicitur. Istud, autem initium lucis, longiori quandoque, quandoque breviore temporis intervallo præcedit ortum solis; putà duabus cum quadrante horis mensæ Junio circa solstitium; hora cum quadrante circa æquinoctium veris, &c.

Quæres 2do. an igitur peccet, saltèm graviter, qui ante auroram celebrat.

R. 1mo. ex communi Doctorum exterorum sententia præceptum non celebrandi ante auroram intelligi, non mathematicè, sed moraliter, & cum aliqua latitudine: adeò ut reus non sit, qui etiam sinè privilegio Missam sic inchoat, ut finis ejus coincidat cum aurora. Id autem probant, tùm á consuetudine quæ legem sic interpretata est; tùm quia sicut servatur præceptum de Missa post meridiem non celebranda, cùm Sacri aliquid legitur ante meridiem, sic à pari.

R. 2do. de jure communi lethaliter peccare videtur, qui sic celebrat ut omnino in aurora celebrare non reputetur. Ratio est, quia transgreditur legem; quæ ubicumque viget, habetur pro gravi. Unde id Trid. Sess. 22. in Decreto de observandis, &c. *Nè superstitioni locus aliquis detur, Edicto & pœnis propositis caveant* Episcopi; *nè Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent*, &c.

R. 3tio. in his Galliæ partibus Missam pluribus ante crepusculum horis tutò per hiemen celebrari posse; quia ità fert rationabilis loci consuetudo approbantibus Episcopis introducta. Et verò quoti artifices Missam audiunt tunc temporis, qui eam cæteroqui non audirent. Atqui id non Galli solùm Scriptores approbant, sed & plures ex exteris, juxta quos etiam ubicumque anticipari potest Missa; 1mo. cùm id exigit causa publica; ut si populus peregrinationem longam primo mane initurus est; 2do. cùm id exigit gravis necessitas proximi, ut si alioqui moriturus sit quispiam sine viatico, quo etiam in casu Lugo, Quarti, &c. sacrum à media nocte, etiam citra Ordinarii licentiam inchoari posse concedunt: quod in materia disciplinæ improbare non ausim.

Quæres 3tio. quid per meridiem intelligatur, & annon aliquantò post, Missa celebrari possit. R. ex communi Theologorum mente, à qua nihil est cur recedatur, meridiem sumi ut auroram, non mathematicè, sed moraliter; ità ut non strictìm mediam diei partem significet, sed id quod in usu communi meridianum tempus nuncupari solet. Quæ autem temporis hujus latitudo sit, varii variè determinant. Alii uno qua-

drante & aliquando ultra concludunt cum Azor. Alii ad mediam horam extendunt cum Laymano. Alii cum Sylvio q. 83. a. 2. q. 4. ad spatium horæ unius, modo absit offensio quæcumque: ità ut hora post meridiem prima tuto celebrari possit. Nobis videtur, standum esse locorum consuetudini, quæ pro Regionum consuetudine, & eorum qui ad Missas confluunt, opportunitate, magis aut minùs ampliavit limites meridiani temporis moraliter accepti, & latiùs quam auroræ terminos, ut apud omnes convenit. Unde qui intra fines ex loci legibus constitutos hæserit, ab omni culpa vacat: qui autem eos transilierit, gravis culpæ suscipionem incurret, nisi quid subsit excusantis causæ.

Excusat autem 1mo. viatici ad infirmum cæteroque sinè Sacramentis moriturum deferendi necessitas. Et id plures cum Lugo ad diem totam extendunt. Erit tamen admodum infrequens casus hujusce applicatio, sic Sacerdotem, ut tunc temporis celebret, jejunum esse oporteat, de quo suprà. 2do. magna loci Solemnitas, quæ ex sacra concione diu protracta fuerit: moris enim est ut his diebus post majorem Missam Missæ privatæ recitentur. Atque id ad tertiam usque horam extendunt Itali & Hispani Doctores. Hùc refertur ceremonia publica, processio, ac sepultura. 3tio. sufficit etiam, juxta plures, causa privata, ut cùm Sacerdos itinere præpeditus, Missam non audiet, nisi una post elapsum meridianum tempus hora, id est, hora juxta Sylvium circiter secunda celebret. Ità Quarti cum Suare & aliis pluribus. Ex quo colligere est minorem requiri causam, ut quis transacta meridie celebret, quàm ut ante auroram.

Circa locum sacrificii, Quæres 1mo. ubi sacrum celebrare liceat.

R. 1mo. de jure communi non licet sacra facere nisi in loco, vel ab Antistite solemniter consecrato, vel ab eodem, aut à Sacerdote de ejus licentia, benedicto; vel, si de Oratoriis sermo sit, ad usum hunc ab iis qui potestatem habent. Hic not. privata hæc Oratoria, non in cubiculi profani angulo: aut inter fenestræ latera, aut in quadam armarii specie construi debere, sed in loco undique muris septo, vel ut minimùm, qui in anteriori parte tela ab uno latere ad aliud amovobili concludatur.

R. 2do. licet tamen extra locum sacrum celebrare, 1mo. quando corruit inopino casu, vel flammis absorta est Ecclesia. 2do. cùm *in itinere positis*, utique pluribus, *defuerit Ecclesia*: Tunc enim, *sub dio*, *seu in tentoriis*, *si* tamen *tabula Altaris con-*

consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrare concedimus, aiunt PP. Concilii Triburiensis: & hac de causa in castris militum fiunt diebus præceptis Sacra in campo patenti. Fiunt & in maris littore pro navigantibus, qui jactato ventis mari, Sacrum audire non possent. 3tio. jure communi permissum est Episcopis, quos *transire non decet absque causa rationabili ullam diem sine Missa celebrata vel audita, ut Altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari ubicumque, absque interdicti transgressione:* ità Clemens IV. c. final. *De Privileg.* in 6. 4to. & id etiam moris est, ut pro viris & feminis Principibus extra sacras ædes celebretur, seu cùm decumbunt, seu cùm migrarunt è vivis.

Etsi negat D. Antoninus in navibus celebrari posse, id tamen Hierosolymitanis Equitibus an. 1706. concessum est á Clemente XI. hac lege ut tunc tantùm Sacra fierent, cùm tranquillum à ventis staret mare, & celebranti astaret Sacerdos vel Diaconus, qui calici invigilaret.

Quæres 2do. an in omni loco consecrato aut benedicto sacra facere liceat. R. neg. nec enim id licet in Ecclesia exsecrata, violata, vel interdicta.

Porrò exsecratur locus sacer, & à consecratione sua vel benedictione excidit, 1mo. cùm ædes totaliter aut ex majore sui parte etiam quo ad parietes destruuntur simul, simulque de novo reædificantur, etiam ex eadem materia. Tunc enim nova opus est consecratione, quia in hoc casu non est eadem moraliter Ecclesia. Aliud est si Ecclesia successivè per partes deficiens, statim per partes reficiatur: neque enim nova opus erit consecratione, tametsi sensim nulla pars de primo ædificio superer it. Ratio est, quia noviter & paulatim per partes refecta, eadem permanere censetur, ut patet in Militum Legione, quæ semper pro eadem habetur, etiamsi militibus occisis novi substituuntur. *Si tecta, aliaque ligna Ecclesiæ combusta sint illæsis parietibus, consecrationem non amittit, quia consecratio in parietibus*, ubi fiunt cruces & inunctiones, *consistit*, c. 6. *De consecr.* Si tamen parietes, etsi non corruerint, adeò ex toto vel ex parte intùs sint abrasi, ut omnis eorum crusta vel major pars perierit, nova indigebunt consecratione; quia consecratio in iis partibus facta erat. Quòd si crusta, vel major ejus pars, pars per intervalla temporum tollatur successivè renovationis causa, manebit semper, quæ priùs consecratio: tùm quia iidem moraliter erunt parietes; tùm quia pars major consecrata minorem non consecratam ad se trahit, ut etiam fit in oleo non consecrato, cùm consecrato immiscetur, c. 3. eod. tit.

tit. A fortiori consecrationem non aufert parietum dealbatio.

2do. Contingit exsecratio, cùm Ecclesia ità penès longitudinem, latitudinem, vel altitudinem amplificatur, ut partes de novo additæ molem antiquam superent. Secùs si præexistens corpus partem additam superet: tunc enim satis erit ut Episcopus id quod superadditum est, aqua benedicta aspergat.

3tio. Exsecrata quodam modo censetur Ecclesia, *quoties* de consecratione ejus legitimè *dubitatur nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio sciatur* peracta olim fuisse. Tunc igitur *absque ulla dubitatione* consecranda est: ità Can. 16. *De consecr.* dist. 1mo. Ratio est, quia Ecclesiæ consecratio non præsumitur, nisi probetur.

4to. Non desunt casus in jure minimè expressi, in quibus Ecclesia, licèt consecratione non indigeat, benedictione tamen ex decentia magna indigere videatur; ut si templum, quod post consecrationem inserviit hæreticæ superstitioni, redeat ad Catholicos. Si diu fuerit sinè januis & tecto, interimque profanis usibus mancipatum. Itèm si cujus membrum in Ecclesia per rixam, sinè sanguinis effusione, fractum fuerit. Tunc enim decet ut Sacerdos ex nutu Episcopi parietes aqua benedicta aspergat; & in primo casu Altaria singula visitet.

Violatur, seu polluitur locus sacer; 1mo. per homicidium voluntarium, & mortaliter injuriosum; quale esse potest etiamsi injustum non fuerit, ut si reus suspendatur in templo; 2do. per voluntariam & graviter injuriosam humani sanguinis effusionem; 3tio. per voluntariam & peccaminosam humani seminis effusionem; 4to. per sepulturam seu excommunicati denuntiati, seu cujuslibet hominis propter infidelitatem minimè baptisati. Neque enim, juxta Sayrum, violaretur per sepulturam tùm Catechumeni, quia præsumitur decessisse cum Baptismo flaminis; tùm hæretici, haud denuntiati, quia is propter fidem in Baptismo susceptam, nomine Fidelium comprehenditur.

Hic quædam notanda, 1mo. ut Ecclesia quarto hoc modo violetur, non requiri peccatum, sed satis esse infidelis aut excommunicati denuntiati sepulturam, quocumque modo fiat; 2do. nusquam pollui Ecclesiam in prædictis casibus quandiu manent occulti. Quapropter Parochus, qui cum paucis aliis Ecclesiæ suæ violationem cognovit, in ea sicut priùs celebrare potest; donec casûs notitia sufficienter dimanaverit in plebem; 3tio. Oratoria domestica prædicta violationis capacia non esse; etiamsi hæc ad sacrorum celebrationem authoritate Episcopali designata fuerint: quia jura de Ecclesiis ac locis publicis loquuntur: & pœnales materiæ restringi debent; 4to. polluta Ec-

clesia pollui & Altaria quæ in eadem erecta sunt; sicut etiam polluto vel uno ex Altaribus Ecclesiam totam pollui necesse est: at verò exsecrata Ecclesia subversis v. g. navis parietibus, non ideo exsecrari Altaria, quæ integra & illæsa remanent; sicut vicissim exsecrato, seu exconsecrato Altari, non ideo exsecratur Ecclesia.

Sed quid juris, si Sacerdos in Ecclesia violata ex bona vel mala fide celebraverit:

R. in 1mo casu Sacerdos peccati omnis expers erit; sed non ideo reconciliata erit Ecclesia: 1mo. quia alioqui post celebratam in templo minimè benedicto Missam, nulla opus esset consecratione vel benedictione; 2do. quia si Episcopus ejusve Vicarius Generalis, dispenset ad tempus ut in Ecclesia violata celebretur, (quod in necessitatis casu fieri posse tradunt communiter Doctores) post elapsum dispensationis tempus semper reconcilianda est Ecclesia.

R. in 2do. casu Sacerdotem lethaliter peccare; quia præceptum justum, & in gravissima religionis materia transgreditur. Nullam tamen incurrit pœnam, seu irregularitatis, quia hæc nullo contra peccatum istud jure decreta est; seu suspensionis ab ingressu Ecclesiæ. Et verò caput 8. *De privileg.* in 6. cui innititur Sylvester, non loquitur de celebrantibus in loco violato, sed interdicto: porrò aliud est violari Ecclesiam, aliud interdici. Cætera quæ ad hanc & interdicti materiam spectant, non prosequimur, quia de his sat egimus in Tractat. de Censuris.

Unum hic, quod utinam ponderent, & à Fidelibus seriò & sæpe ponderari curent Pastores, animadvertisse sufficiat, Ecclesias scilicet, tametsi in foro fori non violatur nisi in casibus suprà memoratis, violari tamen probabilissimè in foro Dei per quodcumque peccatum: unde illud ex circumstantia loci induit sacrilegii malitiam; seu venialem, si levis est materia, nisi grave subsit scandalum; sive mortalem & in confessione necessario aperiendam, si materia gravis sit, prout alibi docuimus.

§. VI. *De Altari, Mappis, &c.*

Ad locum sacrificii pertinet etiam Altare, de quo plura dicemus, sed paucis. Itaque

Quæres 1mo. quotuplex distinguatur Altare, & quæ ejus materia. R. Altare duplex distingui, *fixum* aliud, quod ità basi suæ inhæret, ut in ea immobiliter perseveret: & hujus Altaris mensa, seu pars superior ex uno constat integro lapide, qui totam ejus planitiem constituit. Aliud *viaticum* seu *portatile*,

quod de loco in locum moveri poteſt, eique illa ſufficit amplitudo, qua Hoſtiam & majorem calicis partem contineat. Solet iſtud, quod Aram vocant Rubricæ, collocari ſuper menſam aliam minimè conſecratam, & vulgò ex lignis ad uſum ſacrificii conſtructam. Utrumque debet eſſe lapideum, imò ex uno ſolo lapide confici, ut docet tùm conſuetudo; tùm penè unanimis Theologorum conſenſus; tùm & quædam neceſſitas unicam Chriſti perſonam adumbrandi. Etſi verò ſufficit abſolutè ut Hoſtiam & calicis partem capiat, decet ut magis amplum ſit, præſertim quia præter majorem Hoſtiam minores aliquando formulæ conſecrari debent in pixide, quæ & ipſa ſuper Ara reponi debet.

Quæres 2do. An altare verè neceſſarium ſit ad celebrationem ſacrificii. R. eſſe, non quidem neſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti,tam gravis,ut nuſquam hoc in puncto diſpenſaverit Romanus Pontifex.

Quæres 3tio. an Altare debeat eſſe conſecratum. R. affirm. tùm quia id jura præcipiunt, cap. 32. diſt. 1. *De conſecrat.* tùm quia ſi remotus ſacrificii locus, Eccleſia nimirum, ſacer eſſe debet; à fortiori proximus, videlicet Altare, quod citra conſecrationem merus eſt, & profanus lapis. Hinc qui in Ara necdum conſecrata celebrat, lethaliter delinquit.

Porrò Altare per unctionem Chriſmatis & benedictiones in Pontificali præſcriptas conſecratur, idque ab Epiſcopo ſolo, ex c. 25. diſt. 1. *De conſecr.* Poteſt tamen ex indulgentia. R. Pontificis ſimplici Presbytero demandari conſecratio Altaris: & id quandoque Miſſionariis ad remotiſſima Infidelium loca, ubi deſunt Catholici Antiſtites, tranſmigrantibus conceſſum fuit.

Quæres 4to. an ad conſecrationem Altaris neceſſe ſit in eo recondantur Sanctorum Reliquiæ. R. poſitis rebus ut ſunt juxta univerſalem Eccleſiæ praxim, Altare ſinè Reliquiis conſecratum perinde ad ſacrificium ſe habere, ac ſi conſecratum non eſſet: quia eam tantùm conſecrationis ſpeciem in ordine ad Miſſam approbat Eccleſia, quæ cum Reliquiis peragitur. Et verò qui dicet Sacerdos: *Oramus te per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hìc ſunt*, ſi prorſus eæ deſint?

Quod credidêre aliqui, deficientibus Reliquiis poſſe in Altaris loculo reponi fruſtulum corporalis, ſuper quo ſacrificium jam celebratum ſit, omni caret veri ſpecie. Corporale enim cùm ſciſſum eſt, à benedictione ſua excidit; & aliunde non tangit phyſicè corpus Chriſti, quod in Sacramento tangibile non eſt. Demum Sacerdos, cùm *per merita Sanctorum* orat, non de Chriſto, ejuſve Reliquiis, ſed de Sanctorum, Martyrum, vel Confeſſorum Reliquiis loquitur.

Quæ-

Quæres 5to. quibus modis pereat Altaris vel Aræ consecratio.

R. 1mo. utrumque violari per sacrilegam humani sanguinis aut seminis in iis effusionem.

R. 2do. Altare simpliciter dictum, seu stabile, consecrationem amittit, 1mo. cùm Altaris mensa, etsi integra manet, à basi, vel pedibus quibus adhærere debet, separatur; 2do. cùm mensa eadem Episcopi judicio notabiliter frangitur. Utrumque tradit Innocent. III. c. 3. *De consecratione Ecclesiæ*, &c. Ratio est, quia in Altari fixo consecratur tota Altaris moles, seu, consecratur mensa superior, quatenus immobiliter basi suæ adhæret: unde Pontifex chrismate inungit conjunctionem mensæ cum basi in quatuor angulis; ergo excidit à consecratione, si mensa superior à stipite separetur.

Hinc colliges, Altare si à loco in locum moveatur, puta ab una Capella ad aliam, non amittere consecrationem. Idemque erit 1mo. etiamsi paries, cui insertum est Altare, destruatur; quia stat in his casibus tota sua Altari forma, proinque & consecratio; 2do. si lapides ex iis quibus innititur Altare, [modo Mensam quæ principaliter consecrata est, immediatè non tangant] corruant, & alii substituantur: quia Altaris moles fixa tunc & integra permanet; 3tio. si superior tabula non sit immobiliter affixa structuræ inferiori, sed de loco ad locum commodè transferri possit; quia tunc induit naturam Aræ portatilis.

R. 3tio. Altare portatile sua consecratione spoliari, cùm ità frangitur, ut nulla ejus remaneat pars ampla satis ut Hostiam & majorem calicis partem capiat: ità sancitum c. 1. & 3. *De consecr. Eccles.* Ratio est, quia pereunte forma, perit eidem annexa consecratio.

Hinc non perit Aræ consecratio, 1mo. cùm imminuitur in quatuor cornibus; quia manet adhuc idonea sacrificio; & licèt unctiones fiant in angulis, tota tamen moles verè consecratur; 2do. cùm Ara ità frangitur, ut pars quæ integra remanet, calicem & patenam cum Hostia commodè complecti valeat. Tunc autem pars alia minor lapidis amovenda erit, tùm ut inutilis; tùm quia Altare quodlibet ex uno tantùm lapide conflari debet; 3tio. cùm lapis sacer à lingnea cui insertus est capsula dimovetur: hæc enim ad Aræ custodiam, non ad substantiam pertinet.

An exsecretur Altare, si frangitur aut à loco suo movetur, seu sepulchrum illius, id est loculus ille in quo sacræ Reliquiæ continentur, seu sigillum, non una est omnium opinio. Credimus nos in Altari, quod hanc fractionis speciem passum sit, non

non esse celebrandum; tùm quia dubium est an id permittat Ecclesia, & in dubiis tenenda est pars tutior; tùm quia Pontificale simpliciter & absolutè exigit Reliquias in quibuscumque Altaribus; tùm quia nemo prudens verba hæc Liturgiæ, *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum*, &c. propria auctoritate eradere audebit; & hæc tamen, nisi falsò dicantur, Reliquias supponunt. Hinc sicubi inveniantur Altaria Reliquiis destituta, vel supponendum erit iis Altare aliud portatile, quòd Reliquias habeat, vel in iis Reliquiæ reponendæ erunt; vel; quòd deficiente Ara portatili malim, abstinendum erit à celebrando; nisi aliud exigat populi multi necessitas: tunc enim propter adversæ opinionis momenta, quæ graves viros movent, celebrari posse crediderim; obtenta tamen priùs Episcopi, si interim adiri potest, facultate. Cæterùm fatentur omnes, nullo in casu, nisi forsitan vitandæ mortis, ejusque non in religionis contemptum intentatæ, licitum esse sinè Ara consecrata celebrare.

Quæres 6to. an polluto vel exsecrato Altari, violetur vel exsecretur Ecclesia. R. polluto uno semper violari alterum; at exsecrato uno, puta Altari, non ideo exsecrari Ecclesiam, & vicissim. Cur enim si frangatur petra Altaris, Ecclesia tota hinc damnum feret?

Quæres 7mo. quot, & cujus materiæ mappis instrui debeat Altare. R. ad 1. * *Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltèm oblonga, quæ hinc & inde ad terram usque pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* Docent tamen plures, licitum esse uti mappis haud benedictis, si id velit necessitas: ità Gavantus, Suarez, &c. Non vacat à culpa, qui ad sacrificium utitur mappis immundis, laceris, vel aliàs indecentibus. Imò culpa hæc lethalis erit, si enormiter immundæ sint: quia in eo gravis est adversùs tantum Sacramentum irreverentia. Eadem est ratio de cæteris quæ ad sacrificium spectant, & præcipuè de sacris vestibus.

R. ad 2. mappas ex lino confici debere, tùm quia ità fert consuetudo; tùm quia mappæ vocantur Altaris lintea, cap. 17. *De consecr.* dist. 2. Docent tamen multi, tobaleas ex tenui canabe confici posse: sed non ex materia serica; quia linum & bombix specie etiam morali differunt.

Quæres 8vo. an sacrificii tempore super Altari collocanda sit imago Crucifixi; idque etiam exposito Sacramento; & an id sub grave præceptum cadat.

R. ad 1. affirmat. cum Rubrica. Porrò Crux illa ex Cæremoniali Episcop. imaginem Crucifixi præferre debet. Sed *in Al-*

* *Rubric.*

Altari in quo adest magna statua sanctissimi Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa. Ità S. R. Congreg. 16. Junii 1663.

R. ad 2. locandam esse Crucem, non solùm in Altari ubi Sacramentum asservatur in Tabernaculo; [quanquam decet ut ibi Missæ non celebrentur, prout observabatur, antiquitùs;] sed in eo etiam ubi actu expositum est. Ità expressè definiit S. R. Cong. Maii an. 1707.

Nec dicas, non requiri figuram, ubi realitas præsens est. Nam 1mo. axioma illud de veteribus sacrificiis intelligitur, quæ posito semel Christi sacrificio, cujus erant figuræ, cessare debuerunt; non autem de Crucifixi imagine, qua sensibiliter repræsentatur Crucifixio jam consummata, & omnimodis memoriæ commendanda; 2do. in Altari, ubi palam exponitur S. Sacramentum, est quidem figuratum verè & substantialiter præsens, sed oculis fidei, non verò corporis: Rubrica porrò sensibilem figuræ præsentiam requirit, ut Sacerdos sacra faciens, Christi passionem faciliùs sibi revocet in memoriam.

R. ad 3. negant plures. Neque enim, aiunt, multiplicari debent præcepta sub mortali, nisi de iis probabiliter constet, nè animæ laqueus injiciatur: atqui quòd Altare Cruce instrui debeat sacrificii tempore, nec ullo jure sancitum est, nec introductum consuetudine, quæ graviter obligare probetur. Huic opinioni adhærendum credimus donec aliter visum sit S. Sedi.

Quæres 9no. an, quale & quotuplex lumen ad sacrificium requiratur. R. ad 1. lumen requiri ex gravi præcepto, tùm ex universali, eaque graviter intellecta consuetudine; tùm & ex c. 14. *De celebr. Missar.* ubi Honorius III. Presbyterum, qui *sinè igne & aqua* sacrificabat, *officio & Beneficio perpetuò* privari jubet. Atque hinc si cœpta Missa lumen ante consecrationem extinguatur, nec aliud haberi possit, à sacro desistendum est, quamvis urgeret præceptum audiendi Sacri, vel Viaticum administrandi; nec enim præcepta hæc ad indecenter celebrandum adigere possunt. R. ad 2. lumen cereis candelis esse debere; quia id non Rubrica tantùm, sed & generali consuetudine ut grave quid sancitum est. Licebit tamen oleo uti vel sevo, si alias futurum sit ut in die festo plebs Missæ non intersit. R. ad 3. duplici opus esse cereo, ut liquet tùm ex piorum praxi, tùm ex Rubrica, quæ *candelabra saltèm duo cum candelis hinc & inde accensis* postulat. Qui ex avaritia secus fecerit, venialiter peccat. Si ex impotentia, nullatenus delinquit, etiamsi ex sola devotione celebret.

Tria hic addenda, 1mo. cereum, quem ad Sacramenti elevationem accendi præscribit Rubrica, non cadere sub præce-

ptum grave; imò nec sub ullum in multis Diœcesibus; 2do. aliud esse de præcepto servandi diu noctuque accensam lampadem coram Altari, ubi quiescit S. Sacramentum: ea enim lex tam gravis est, ut lethaliter rei judicentur Pastores aut Ministri, qui ex gravi negligentia lampadem per notabile tempus, putà per integram diem, extingui patiuntur. Aliud erit, si aliud jubeat locorum egestas.

§. VII. *De immediata ad Sacrificium præparatione.*

Prætermissis, quæ parum difficultatis habent graviora prosequar. Quæritur inprimis, an Rubricæ præceptum importent, an solùm instructionem directivam.

Not. Rubrica definitur, Regula communis continens ritus in Missarum celebratione servandos. Dicitur Rubrica, quia sæpius rubro colore scribitur. Ritus autem vel essentiales sunt, qui à Christo instituti fuêre, ut ad sacrificii substantiam pertinentes; vel accidentales, qui ad decentiam ejusdem sacrificii ab Ecclesia instituti sunt, & communiter vocantur ceremoniæ. Jam

R. Rubricas omnes, quæ ritus à Sacerdote in ipso celebrationis actu servandos proponunt, esse præceptivas, & ideo sub gravi obligare, nisi, ut in cæteris legibus, excuset levitas materiæ, vel advertentiæ defectus.

Prob. 1mo. ex Bulla Pii V. initio Missalis apposita, ubi sic: *Mandantes, & strictè omnibus & singulis percipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam juxta ritum, & modum & normam in Missali præscriptam, decantent aut legant; neque in Missæ celebratione alias cæremonias aut preces addere, vel recitare præsumant:* atqui hæc verba: *Præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ*, non instructionem meram, sed gravissimam legem important.

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 7. Can. 13. ubi: *Si quis dixerit approbatos Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhibere consuetos, aut sinè peccato à Ministris omitti pro libito, aut in novos alios mutari posse, anathema sit:* atqui si Rubricæ solùm consulerent, possent Sacerdotes ritus in iis præscriptos omittere sinè peccato.

Hinc graviter ex genere suo peccat Sacerdos, qui vel in verbis, vel in actionibus ea quæ per Rubricas præscripta sunt, omittit, nisi excuset materiæ levitas, aut inadvertentia, quæ in aliis rebus à toto vel à gravi excusat.

Etsi verò, cùm de verbis agitur, quæ materia gravis sit, quæ levis, certa regula definiri nequit, vulgò tamen receptum est,

pro

pro gravi materia habendam esse omissionem 1mo. Confessionis quæ de *plano* fit in principio Missæ; 2do. Epistolæ & adhuc magìs Evangelii; 3tio. Offertorii, seu hostiæ, seu calicis cum sua forma; 4to. Præfationis. Aliud est si quis omiserit tantùm unam aut aliam Collectam, Tractum, Graduale, aut simile quid minùs præcipuum. Qui tamen tot hujusmodi versiculos prætermittit, ut ex iis exurgat materiæ notabilis omissio, non erit à gravi immunis; quia hinc resultat gravis mutilatio. Censebitur autem notabilis meteria, quæ ad Epistolæ nec longioris, nec brevioris quantitatem attinget.

Quod spectat ad Canonem, [qui incipit ab his verbis: *Te igitur*, &c. & ad orationem usque Dominicam extenditur, non ultra,] constat multò faciliùs in ejus lectione mortaliter peccari. Unde fatentur omnes lethalis noxæ reum fieri, qui vel unam ex orationibus in eo contentis, putà, *Communicantes*, vel, *Hanc igitur*, prætermittat. Imò si tot in iisdem orationibus verba omittas, ut inde Mysterii per ea repræsentandi significatio notabiliter minuatur, erit sinè dubio negligentia hæc grave peccatum. Extra casum hunc non videatur lethaliter delinquere, qui quatuor tantùm aut quinque verba prætermiserit.Imò si ea omiserit, quæ in præcipuis Festivitatibus Orationi *Communicantes*, superadduntur, venialiter solùm delinquet ex communiori opinione.

Quæ ab oratione Dominica usque ad communionem recitari jubentur, licèt non sint strictè partes Canonis, ei tamen æquiparantur penès dignitatem. Unde graviter reus fuerit qui omittit, 1mo. Orationem illam; 2do. precem *Libera nos*, &c. 3tio. verba quæ immissa in calicem hostiæ particulâ recitari debent; 4to. totum, *Agnus Dei*, secùs, si semel tantùm aut bis dicat; 5to. orationes comunioni prævias: quanquàm venialiter tantùm peccare videtur; qui primam, in defunctorum Missis supprimi solitam, omiserit; 6to. de *Domine non sum dignus*, idem est judicium, quod de *Agnus Dei*,; 7mo. precatio, *Quid retribuam*, ante calicis sumptionem, videtur materia sub gravi obligans.

Quæ communionem sequuntur, ejusdem conditionis sunt,ac quæ præcedunt Canonem.

Quod pertinet ad omissionem rituum qui in actione consistunt, hæc grave, vel leve peccatum erit, prout in ipso celebrationis actu gravior vel levior cæremonia prætermittetur. Porrò ad graves cæremonias refertur, 1mo. mixtio aquæ cum vino; 2do. elevatio Hostiæ & calicis post consecrationem; 3tio. fractio Hostiæ, & ejusdem particulæ mixtio cum sanguine; 4to. purificatio patenæ & calicis.

An

An graviter peccet, qui loco vini aquam ſolam in prima purificatione adhibet, diſſentiunt Magiſtri. Negant plures, quia id Innocent. III. cap. 5. *De celebr. Miſſar. Semper Sacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum*, nihil habet quod grave præceptum exprimat.

Ex his, quæ ad mentem leniorum Theologorum dicta ſunt, inferes, quid de iis ſentiendum ſit, qui, ut multitudini, brevium Miſſarum ſtudioſæ, magnatibus potiſſimùm, placeant, vix ullam, ut par eſt, cæremoniam exequuntur; tanta balbutiunt celeritate, ut vix ſe ipſos intelligant; verba penè nulla jungunt cum actione ad quam pertinent; dimidiatas genuflexiones, licèt corpore ſani, efficiunt; ſigna Crucis efformant, quaſi ut abigant muſcas; patenam & calicem purificant tam feſtinè, ut profani panis reliquias excutere videantur; interimque ſinè ſcrupulo ad ſacrificium quotidie accedunt.

Quæres an impotentia vel gravis neceſſitas à Miſſæ ritibus excuſet. R. vel agitur de ritu eſſentiali, vel de accidentali. Rurſum, vel impotentia prævidetur ante inchoatam ſacrificii celebrationem, vel in decurſu celebrationis.

Si 1. nulla eſt neceſſitas quæ excuſet, etiam inchoatâ Miſſâ, ſed nondum facta conſecratione. Unde Sacerdos qui prævidet futurum, ut deſit alterutra ſpecies, vel ut propter vomitum communicare non poſſit, ſiſtere debet, ſi nondum conſecraverit. Si autem facta panis conſecratione, vini defectum advertat, neque hunc ſupplere poſſit, debet proſequi. Idem eſt ſi extunc periculum vomitus ſentiat, fortè enim ceſſationem ejus intenſa prece conſequetur: quod ſi non obtineat, recedendum erit ab Altari.

Si 2. regulariter non debet inchoari Miſſa quando prævidetur impedimentum gravis ritus etiam accidentalis; ut ſi ſciat Sacerdos deeſſe aquam. Imò ſtatim ut aquæ defectum animadvertit, debet ab incepto deſiſtere, niſi aliud jubeat gravis ſcandalum vitandi neceſſitas. Quòd ſi levior ſit defectus, ut ſi hoſtia non omino integra ſit, vel nonnihil habeat maculæ, aut vinum aceſcat, modò adhuc vinum ſit, aut deficiat unum ex luminibus, tunc melius eſt proſequi; imò cum uno lumine ſacrum inchoari poteſt, de quo ſuprà.

Dixi initio, Rubricas, *quæ ritus in ipſo celebrationis actu ſervandos proponunt*, eſſe præceptivas: ſat enim receptum eſt eas, quæ ſpectant agenda vel recitanda ante vel poſt celebrationem ſacrificii, de ſe tantùm eſſe directivas. Et verò quis credat ſignaculorum diſpoſitionem, cadere ſub præceptum? Ex iis tamen Rubricis nonnullæ ſunt, quæ leges jure ſancitas conti-

nent; & hæ dubio procul sunt obligatoriæ. Quæ ut meliùs intelligantur.

Quæres 1mo. an Sacerdos celebrationi confessionem præmittere teneatur. R. affirmat. si reus sit peccati certò vel dubiè mortalis: de quo suprà.

Quæres 2do. an idem strictè teneatur Matutinum recitasse cum Laudibus. R. affirmat. secundùm id Innoc. IV. ad Episcop. Tusculan. Can. 11. *Missam ante Matutinum nè præsumamus dicere..* An verò ea lex sub gravi obliget, magna est disceptatio. Mitiorem partem amplexi sumus alibi. Sed quid de iis dixerim, qui venialia hoc in puncto peccata quotidie ingeminant? annon vereri est, nè proruant in graviora, & ex aliquo virtuali contemptu legem impletu facilem transgrediantur? Cæterùm si in Choro invertatur prædictus ordo Matutinum inter & Missam, multò gravius peccabitur; imò & lethaliter peccari poterit ratione scandali.

Quæres 3tio. an oratio ante Missam, & Psalmi quinque in Missalibus positi rigorosè præcipiantur.

R. ad 1. affirm. si enim animam nostram* *ante orationem* præparari jubent Scripturæ, à fortiori necesse est ut ante Missam pia aliqua meditatione præparetur. Unde à culpa excusari non possunt, qui à studio, & quod lugendum magis, à colloquiis inanibus ad tremenda Mysteria impertransito medio avolant; nisi fortè orationi obstet improvisa necessitas, quo in casu satagendum, ut cor rapidè & ardenter, etiam in via, sursum feratur.

R. ad 2. negat. etsi enim optimi semper est consilii, è vestigio sequi id omne quod ab Ecclesia propositum fuerit; quia ipsis etiam Ecclesiæ consiliis sua inhæret benedictio; constat tamen orationes prædictas non cadere sub præceptum. Et verò proponuntur *pro opportunitate Sacerdotis* dicendæ; id autem præceptum non sonat.

Quæres 4to. an nihil habeant mali colloquia in Sacristiis, dum præsertim Sacerdotes præparant se ad Missam, aut ab Altari recentes sunt. R. habere dubio procul, idque eo redarguendum severiùs, quod crescit in dies. Unde peccant qui abusui tanto mederi negligunt. Quin & id in Sacristiis Regularium strictioris observantiæ, grave esse peccatum contendit Quarti.

Quæres 5to. circa calicem, 1mo. quæ sit materia ejus; 2do. an necessariò debeat esse consecratus, & à quo; 3tio. an in minimè consecrato quandoque celebrare liceat; 4to. an ex hac celebratione maneat consecratus; 5to. quibus modis excidat à consecratione.

* *Eccli.* 38.

R.

R. ad 1. jam pridem & ſub gravi præceptum eſt, * *ut calix Domini cum patena, ſi non auro, omnino ex argento fiat - - - Si quis autem tam pauper eſt, ſaltèm vel ſtanneum calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat calix; quia ob vini virtutem æruginem parit. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare*; lignum enim ut & lapis, quæ poros habent, ſpecies ebiberent: vitrum autem præ fragilitate, gravibus pateret incommodis. Poteſt tamen pes calicis ex ære vel aurichalco conflari, modò cuppa argentea ſit, aut ſaltèm ſtannea, ſi aliud non ferat graviſſima locorum paupertas, quæ etiam ab inauranda cuppa excuſat.

R. ad 2. peccat mortaliter, qui utitur calice non conſecrato. Porrò conſecrandi facultas de jure ad ſolos Epiſcopos pertinet; nec ab iis ſimplici Presbytero committi poteſt, ſed ſolùm à Papa qui facultatem illam nonnullis Abbatibus indulſit. Ad hos tamen deferendi non ſunt calices ad conſecrationem, niſi conſtet de eorum privilegio pro Eccleſiis alienis: quod ultimum negant plures conceſſum fuiſſe.

R. ad 3. nuſquam in calice necdum conſecrato celebrare licet, extra caſum neceſſitatis extremæ, qui tunc ſolùm occurrit, cùm quis alteri, niſi celebret, mortem comminatur; modò non in deſpectum religionis.

R. ad 4. negat. contra Pontas v. *Calice*, caſ. 3. tùm quia quæ ab Eccleſiæ inſtituto pendent, nonniſi per ritum ab Eccleſia præſcriptum effici poſſunt; tùm quia Chriſti corpus, etſi dignitatis eſt infinitæ, ad eos ſolum effectus valet, ad quos inſtitutum fuit: inſtitutum porrò non fuit in conſecrationem calicis aut patenæ, ſicut nec in benedictionem corporalis, vel mapparum; tùm quia alioqui conſecraretur calix, ſi quis in eo extra ſacrificium partem reponeret Hoſtiæ, quod hactenus à nemine aſſertum fuit.

R. ad 5. calix & patena conſecrationem amittunt, 1mo. per violationem de qua ſuperiùs, 2do. quando notabiliter immutantur, adeò ut inepta fiant ad ſacrificium, ut ſi in fundo calicis fiat foramen, quantumvis exiguum; aut pes à cuppa ſeparetur *per fractionem*: ſi enim ſeparatio citra fractionem fiat, ut in pede tornatili, ſubſiſtit conſecratio, eò quòd idem moraliter calix perſeveret, neque nova opus ſit junctura artificiali.

Si ut calicis gibbus reſarciatur, calix ab Aurifice in ignem mitti, malleoque percuti debeat, non ideò amittit conſecrationem; quia non mutatur moraliter. Idem eſt ſi ab impiis ad profanos uſus adhibitus fuerit.

Si calix & patena ante conſecrationem deaurata, inauratio-

 nem

* *C.* 44. & 45. De conſ. *diſt.* 1.

nem suam diuturno usu amittant, non excident à consecratione, seu inaurationem sensim perdant, seu simul, quod vix fieri potest. Ratio est quia licèt unctio nonnisi externam vasis superficiem physicè attingat, tota tamen ejus moles verè consecratur: ità plures contra Sylvium, &c. Horum tamen opinio, si cui placuerit ut tutior, per nos non stabit quominùs teneatur in praxi.

Major est difficultas an nova indigeat consecratione calix, qui de novo inauratur. Affirmant multò communiùs Theogi. Habet tamen opinio contraria fundamentum in duplici juris principio. Primum extat c. 3. *De consecr. Altar*, &c. ubi definitur *oleum non consecratum consecrato* immixtum, ex hac mixtione consecrari. Secundum habetur in communi Theolologorum sententia, qui ex c. 6. eod. tit. Ecclesiam consecratam, si parietes ejus dealbentur, pingantur, aut inaurentur, nedum benedictione nova indigeat, benedictionem suam prædictis ornamentis impertiri docent: atqui duo hæc principia, nullo alio resistente, apertè probant, auro quo linitur cuppa calicis, accrescere calicis ipsius consecrationem; neque hunc sua magis spoliari consecratione propter adjunctam auri substantiam, quàm sua priventur parietes Ecclesiæ propter inductam sibi calcis, picturæ vel auri crustam. Et verò in his materiis pars major minorem ad se trahit; ergo cùm calix verè consecratus sit, sitque indubiè pars major, necessum est, ut suam auri foliculis benedictionem communicet. Ità P. Gibert Tom. 3. Consult. 52.

Quæres 6to. an eadem quo ad consecrationem sit ratio Pixidis, seu Ciborii, quæ calicis? R. negat. Calix enim cum chrismate consecratur: Pixidi autem sufficit benedictio. Idem dicendum de circulo, seu lunula, quæ corpus Christi expositum immediatè tangit: & hanc enim ad minùs argenteam esse decet, atque benedictam ab Episcopo, vel ab iis qui corporalia benedicere possunt.

Quæres 7mo. quibus liceat calices aut corporalia in quibus jam celebravit Sacerdos, contingere. R. seclusa Superiorum licentia non posse hæc sinè peccato saltèm veniali, tangi à Laicis, imò nec à Monialibus, sed ab iis solùm, in his saltèm Regionibus, qui sacris Ordinibus initiati sunt. Idem est de Purificatoriis ad calicem abstergendum adhibitis; quæ tamen postquam à Subdiacono, prima ablutione, quæ & in Ecclesiæ piscinam projici debet, lota sunt, ut & Corporalia, ablui sicut & refici possunt à feminis, maximè verò à virginibus: & quia suam retinent benedictionem, quandiu non sunt notabiliter fracta, ideo nova post lotionem benedictione non egent.

Quæ-

Quæres 8vo. quæ ſint Purificatorii conditiones. R. neceſſum non eſſe ut benedictum ſit, tùm quia id nullo jure, imò nec Rubricis præſcriptum eſt; tùm quia nullam ejus benedictionem propriam habent Libri Rituales. Multò tamen decentius eſt ut Purificatoria cum aliis linteis benedicantur, 1mo. quia ex S. Thoma Sacramentum hoc *à nulla re* contingi debet *niſi ſacra*: & ideo benedicitur Corporale, Ciborium, &c. 2do. quia Rubricæ præcipiunt Altaris tobaleas benedici, quæ tamen Euchariſtiam non tangunt; ergo à fortiori Purificatorium, quod ſanguinis reliquias tangere poteſt.

Quæres 9no. quæ ſit neceſſitas Pallæ, quæ materia, & num hanc oporteat benedici.

R. ad 1. Pallam ſub gravi neceſſariam eſſe: graviter enim peccaret, qui ſacrificii tempore apertum relinqueret calicem, cùm juxta Miſſalis leges cooperiri præcipitur.

R. ad 2. Pallam pro interiori parte, qua calicem tangit, lineam eſſe debere; Palla enim initio erat Corporale ipſum, quod cùm ejuſdem ac Altare longitudinis foret, ſuper calicem replicabatur; prout hodieque obſevant Carthuſiani. De parte externa ſic ſanxit S. R. Congreg. an. 1706. die 22. Januar. *In ſacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla à parte ſuperiori drappo ſerico cooperta.*

R. ad 3. Pallæ benedictionem graviter eſſe præceptam: licèt enim eam velut quoddam Corporale minus à majori ſeparari permiſerit Eccleſia, nihil tamen in reliquis circa materiam aut benedictionem immutavit; ergo, ait Quarti, eſt peccatum mortale, vel illam omittere, vel ea uti non benedicta, vel non linea.

Quæres 1mo. quid de Corporali.

R. 1mo. Corporale graviter neceſſarium eſt; 2dò. lineum eſſe debet, ex c. 46. *De conſecr.* diſt. 1ma. Unde graviter peccaret, qui ſerico Corporali uteretur: quanquam nihil obeſt quin Corporale in extremis partibus auro vel ſerico ornetur; 3tio. debet eſſe benedictum ex cit. c. 46. Hæc autem benedictio, vel ab Epiſcopo fieri debet, vel ab alio facultatem habente, ut in Eccleſiis ſuis habere ſolent Prælati Regulares; 4to. Corporale tunc conſecrationem amittit, cùm ità ſcinditur, ut nulla ejus pars remaneat ampla ſatis ut calicem & patenam decenter contineat. An ex ſolo contactu Dominici corporis conſecretur, liquet à pari ex dictis ubi de Calice; 5to. qui corporali notabiliter immundo utitur, peccat lethaliter, ob gravem quæ inde contra Sacramentum reſultat irreverentiam. Qui tamen ipſa penè celebrationis hora advenit in Eccleſiam feſti-

va die, & immundo utitur Corporali, nè vel ipse, vel alii sacrum omittant, innoxius videtur. Aliud est de Ecclesiæ Pastore, qui quæ Dominico corpori substernit lintea, convivis suis ad mensam exhibere non ausit.

Quæres 2do. quid requiratur ut Sacerdos celebret. R. Sacerdos celebraturus, si Sæcularis sit, nigra & talari veste indutus esse debet; & id multis in Diœcesibus sub pœna suspensionis præcipitur; 2do. debet gerere tonsuram; 3tio. si per certum tempus in loco celebrare debeat, debet celebrandi licentiam obtinuisse, si id Diœcesana lege cautum sit; qua de re Sacerdotes loci hujus incolas ante omnia interrogent; 4to. ornamenta præscripta induere tenetur, Amictum videlicet, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, & Casulam, seu Planetam. Verùm hic suboritur difficultas multiplex.

Prima est an graviter peccet, qui finè iisdem vestibus celebraverit; 2da an eas anteà benedictas fuisse oporteat, & à quo; 3tia. an qui iis induitur, orationes in Missali propositas recitare debeat; 4ta. an vestes semel benedictæ, semper benedictæ permaneant; 5ta. quid de iis, cùm usu detritæ sunt, faciendum. De quibus

Dico 1mo. mortaliter delinquit, qui finè præcipuis vestibus sacris celebrat, etiam in casu gravis necessitatis, Ratio petitur, tùm à communi Doctorum sensu, qui in iisce rebus gravis est momenti; tùm ex antiqua Ecclesiæ praxi, à qua tutò non receditur; tùm ex c. 42. *De consecr.* dist. 1.

Dixi 1mo. *finè præcipuis vestibus*, quas etiam *majores* vocant, quæque sunt Alba, Planeta, & Stola, quæ à Concilio Bracar. III. Can. 3. severè præcipitur, his verbis: *Qua ergo ratione tempore sacrificii non assumit Orarium?* &c. De eo qui Cingulum solum, solumve Manipulum omitteret, non una est opinio. Hic ego dubium lethale admiserim. Addit S. Antonin. part. 3. tit. 13. quod de longo Manipulo liceat Stolam facere, & è converso de brevi Stola Manipulum vel Cingulum; quia hæc eadem benedictione benedicuntur.

Dixi 2do. *etiam in casu gravis necessitatis*: undè ne quidem ut populus die festo Missam audiat, vel ut infirmus Viaticum recipiat, licet finè Alba, Stolave, aut Casula Sacrum facere: quia Viatici suscipiendi, & Missæ audiendæ præcepta tunc duntaxat obligant, cùm Missa secundùm Ecclesiæ legem celebrari potest. Et verò pari in casu non licet Latino Sacerdoti celebrare in fermentato, aut absque Altari, vel in loco profano, &c.

An autem in ejusdem necessitatis casu liceat unum aut alte-

rum

rum ex cæteris ornamentis prætermittere, nova est difficultas. Placet nobis regula hæc ut nempe penſetur, quantus ex una parte ſit veſtium defectus, & quanta ſit ex altera celebrandi neceſſitas. Si frequens adſit populus, qui ſinè murmure & ſcandalo dimitti non poſſit, licèt celebrare ſinè Manipulo, aut Cingulo, ſeu quod minùs oculos plebis offendit, cùm Cingulò, minimè benedicto. Si verò, ait Sylvius, non ſubſit tanta neceſſitas, potiùs eſſet abſtinendum à Miſſa, quàm ità celebrandum; etiamſi ex Ordinis regula, vel ex præcepto Eccleſiæ Miſſa requireretur: quia ceſſat obligatio ad Miſſam, quando non poteſt hæc decenter fieri. Qui ex inadvertentia unam ex prædictis veſtibus omittit, venialiter, pro qualitate negligentiæ delinquit: imò nullatenùs, ſi oblivione invicibili rapiatur.

Dico 2do. neceſſum eſt ſub gravi ut prædictæ veſtes ſint benedictæ. Ratio eadem eſt quæ præcedentis reſponſi. Et licèt id quidam negent de Cingulo, reclamant tamen alii & meliùs, tùm quia & ſuo modo veſtit, & propriam ſignificationem habet; & in Miſſali benedici præcipitur.

Porrò benedictio hæc ab Epiſcopo fieri debet, vel à Sacerdote cui hanc facultatem commiſerit Epiſcopus. Idem poſſunt Prælati Regulares, ſed tantùm pro Eccleſiis ſuis, uti declaravit S. R. Congregatio die 24. Aug. an. 1629. * unde qui aliarum Eccleſiarum ornamenta benedicunt, redargui merentur.

Dico 3tio. preces in induendis veſtibus præſcriptæ, etſi propter Rubricam, quæ hic præceptiva non eſt, non cadant ſub præceptum, vix tamen ſinè aliquo peccato, negligentiæ v. g. aut tædii ſpiritualium omitti poſſunt. Quod autem cenſet Navarrus peccatum hoc mortiferum eſſe, exploditur à cæteris. Imò ſi eadem ornamenta pro Veſperis, aut aliàs &c. induantur, nullibi præceptum eſt ut illæ præces recitentur: quanquàm id enixè conſultum ſit.

Dico 4to. perit veſtium ſacrarum benedictio, cùm formam ſub qua conſecratæ ſunt non retinent, adeò ut jam ad Miniſterii functiones ineptæ ſint.

Hinc 1mo. deſinit benedictio albæ, ſi manicam ab ea diſſui aut ſeparari contingat. Secùs ſi manica cum funiculis jungatur corpori, prout à pari colligitur ex ſuprà dictis de calice tornatili. Secùs iterum, ſi manica ante omnimodam ſeparationem reficiatur addita etiam parte non benedicta: hæc enim ut acceſſorium ſequitur naturam principalis.

Hinc 2do. Cingulum ſi omnino rumpatur, ità ut neutra quæ remanet pars, ad cingendum idonea ſit, excidit à benedictione. Secùs ſi pars altera ſufficiat ad cingendum; & tunc pro ma-

* *Babin. pag.* 133.

jori commoditate poterit ei anecti pars altera. Idem est si antequàm omnino disrumpatur, roboretur nodo, vel filo resarciatur.

Hinc 3tio. Stola & Planeta benedictionem amittunt, cùm novis simul & semel reficiuntur partibus, quæ antiquas superant. Secus si vel paulatim resarciantur; vel duplici constent varii coloris parte, quarum unaquæque apta sit ad sacrificium: tunc enim si hæc ab illa disjungatur, servat utraque benedictionem, quia servat utraque formam integram.

Sed quid si ex Stola fiat Manipulus, aut vicissim è longiori Manipulo Stola? R. si ex Stola plicata, & in se non mutata fiat Manipulus, haud nova opus est benedictione; quia cùm subsistat reapsè forma prior, subsistit & benedictio, quæ una est pro omnibus indumentis sacerdotalibus. Idem est si longior Manipulus ad usum Stolæ deservire possit. Si verò rescindantur partes Stolæ, ità ut pereat prior ejus forma, perire videtur & benedictio, formæ potissimum alligata. Idem erit si Manipulo, ut Stolæ locum gerat, addantur novæ partes non benedictæ, quæ materiam jam benedictam superent. Quin & si è pluribus Manipulis benedictis conficiatur Stola, nihil dubitem huic opus esse benedictione; sicut si è Cingulis pluribus benedictis, de se ad cingendum inhabilibus, Cingulum unum conficiatur, necesse erit totum benedici.

Dico 5to. ex c. 39. *De consecr.* dist. 1. *Altaris Palla, cathedra, candelabrum & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non decet ea quæ in sacrario fuerint, malè tractari - - - Cinerès quoque eorum in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, nè introeuntium pedibus inquinentur.* Vasa tamen aurea vel argentea, aliave id genus, quæ igne transmutantur, in usus profanos cedere possunt; quia moraliter non manent eadem. Unde citatæ mox legi, quo ad candelabra metallica usu contrario derogatum est.

Etsi autem sacræ vestes ad usus profanos converti non debent, profanas tamen in usus sacros converti nihil vetat: atque id patet tùm ex comuni Fidelium & Ecclesiarum praxi, quorum alii pretiosa sua in Casulas & alia id genus convertenda donant, aliæ recipiunt; tùm utcumque ex facto Moysis, cui ad Veteris Tabernaculi ornatum, & sanctas Levitarum vestes, viri cum mulieribus armillas & inaures, annulos & dextralia, hyacintum, purpuram, &c. præbuerunt, Exod. 35.

An autem ab Ecclesiarum Rectoribus, si locorum Statuta non resistant, accipi possint Casulæ vel calices, quibus inscripta

sint

ſint Gentilitia nobilium ſtemmata, controvertitur. Negat. Nat. Alexander, & cum eo devoti plures, qui Sacerdotis prædictis inſignibus onuſti, eandem ferè conditionem eſſe dicunt, ac muli. Duo nos ſtatuimus paucis, 1mo. timendum eſſe nè qui ſtemmata ſua ubique effulgere volunt, ſuam jam mercedem receperint; 2do. fieri tamen poſſe ut quis piè inſignia ſua ſacris veſtibus ineſſe velit, ſeu ut ſui ad Altare meminerint Fideles; ſeu ut ſucceſſores ſuos edoceat, ab iis deinceps faciendum id, cujus exemplum reliquerit. Habet ſanè iſtud in quo ſcribo, S. Firmini Seminarium, D. Caroli Borromæi Caſulam quæ Borromæis inſignibus decoratur. Quis autem ſancto Mediolanenſium Archipræſule humilior?

§. VIII. *De ipſo Sacrificii Ritu.*

Quæres 1mo. an Sacerdos celebrans, Miniſtrum qui ſibi ſerviat, habere teneatur, & qualem.

R. ad 1. affirmat. idque ſub gravi, niſi gravis quædam neceſſitas excuſet.

Prob. 1. pars, quia conſtituto, ut eſt, ſacrificii ritu, Sacerdos aliquando Fideles adſtantes alloquitur; ergo habere quempiam debet, qui ſibi reſpondeat. Deinde manus abluit & digitos; ergo præſto eſſe debet,qui ei vinum & aquam miniſtret.

Prob. 2. pars, ex praxi Eccleſiæ, quæ defectum Miniſtri ſemper habuit ut aliquid graviſſimi. Unde *definivit ſanctum Concilium* Nannetenſe *ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam celebrare*: ubi ponderanda vox, *præſumat.*

Prob. 3. pars, quam tenent Sylvius, Habert, & alii communiter, quia ritus Miniſtrum præcipiens, etſi gravis eſt, non ità tamen, ut cuicumque graviſſimo etiam præcepto prævaleat. Hinc licèt ſinè Miniſtro celebrare, 1mo. cùm id neceſſe eſt ut Sacerdos ſibi vel alii Viaticum adminſtret; 2do. cùm alioqui, nec ſinè gravi offenſione, plebs Miſſâ privabitur. Si tamen ſolus ea privandus ſit Sacerdos, * *mallem*, ait Sylvius, *dicere eum ab auditione Miſſæ excuſari, quàm conſulere ut ſolus celebraret: quamquam nec celebrantem damnarem*;

3tio. ſi poſt inceptam, ſaltèm notabiliter, Miſſam recedat Miniſter.

Porrò nec privatio ſtipendii, niſi fortè graviſſima ſupponatur egeſtas Sacerdotis; nec eremi incolendæ devotio, ſatis ſunt, ut quis celebret ſolus; unde in hoc poſtremo caſu opus eſſet Pontificia diſpenſatione, quæ vix unquam concedetur.

R. ad 2. *Prohibendum eſt ut nulla femina ad Altare præſumat*

* *Sylvius pag.* 403.

mat accedere, aut Presbytero ministrare. Ità c. 1. *De cohabitat. Cleric.* &c. idque meritò sancitum, nè in ministerio, quod Angelicam castitatem postulat, præbeatur tentationi occasio.

Hinc in casu necessitatis potiùs sinè Ministro celebrandum, quàm utendum ministerio feminæ: poterit tamen hæc è loco dissito respondere celebranti, ità ut nec pro vino, aut aqua, nec pro alia ulla re ad Aram accedat, modo absit omnis scandali periculum; ut abesse potest, si plebs paucis ea de re instruatur, nam & id pro magna sacrificii parte faciunt Moniales. Tunc autem sacerdos sibi vinum & aquam ministrabit, vel à masculo qui respondere nesciat, recipiet. Tunc porrò tanta esse non debet necessitas, quanta ut Sacerdos omnino solus celebret.

Hic addiderim, satagendum Presbyteris, ut habiles forment Ministros, qui nitidè & distinctè respondeant. Plerique enim potissimùm in pagis, tam fœdè balbutiunt, ut nihil nisi sensu destitutum obmurmurent. Quin & in hoc casu necessum videtur ut suppleat Sacerdos, id quod non tam dicitur, quàm dilaceratur.

Quæres 2do. an Sacerdoti celebranti necessarium sit Missale. R. esse generatim loquendo: quia alioquin gravi, in pluribus deficiendi periculo se se exponit. Unde si secus faxit, peccat mortaliter, prout communiter tradunt Doctores cum S. Antonino. Aliud est de Tabella secretarum cujus defectus, etsi minùs commodè, per Missale suppleri potest.

Sed quid, si Sacerdos memoria polleat admodum felici? Alii hunc à gravi excusant, præsertim si Missam defunctorum aut de Beata celebret, & in privato sacello, non autem coram pluribus, ex quorum sola præsentia nasci potest formido errandi, & qui formidinem proximè sequitur, error ipse. Alii gravi eum culpæ subjiciunt; tùm propter rei gravitatem; tùm quia experimento compertum est, firmiorem memoriam hærere in vestigio. Ratio hæc tam seria mihi videtur, ut ægerrimè feram si quis sinè Missali celebret.

Quæres 3tio. an Sacrum tecto capite facere liceat. R. non licere, secundùm id Canonis 13. Concilii Rom. an. 743. *Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere: & qui temerè præsumpserit communione privetur.* Unde qui inter Sacra bireto aut caputio per notabile tempus, etiam ante consecrationem uteretur, non esset à gravi culpa immunis. An idem dicendum sit de eo qui solo pileolo caput tegeret, non convenit inter Theologos. Unum dicam

cam, pileoli videlicet usum, tanti apud Apostolicam Sedem esse momenti, ut facultas in eo dispensandi soli Papæ reservata sit, prout declaravêre Rituum & Episcoporum Congregationes. In his tamen Regionibus dispensant Episcopi quo ad præsens caput; cùm justa subest causa. Qua porrò ratione pileoli usum sibi proprio nutu permittant Sacerdotes nonnulli, hactenus assequi non potui. Certè ex dictis liquet, nè Abbates quidem, queis plura conceduntur, id quo ad Religiosos suos posse.

Si quis tamen, ait Sylvius q. 83. a. 5. *non ordinariè, sed quandoque solùm* (*extraordinaria videlicet infirmitate, vel alia subita necessitate ità requirente*) *celebraret capite usque ad Canonem, vel pileolo, vel Amictu tecto* [quod ultimum Parisiis hiemali tempore in usu est, communiter usque ad Secretas] *modò id faceret, ubi nullum esset scandali periculum, non auderem ipsum condemnare; quoniam Sedes Apostolica non videtur tam strictè sibi reservare prædictam facultatem, ut etiam pro casu extraordinario superveniente, vel pro infirmitate non diuturna velit ejusmodi velationis modum esse prorsus illicitum.*

Quæres 4to. an Sacerdos inceptam Missam relinquere possit, an saltèm interrumpere.

R. ad 1. peccat gravissimè, qui sinè causa sufficienti & proportionata Missam non perficit; quia hæc agendi ratio reverentiam tantis mysteriis debitam insigniter lædit. Causam requiro proportionatam, graviore enim opus est, ut quis post consecrationem abscedat, quàm ante.

Sunt autem eæ causæ ante consecrationem: 1mo. cùm Sacerdos meminit se vel jejunum non esse, vel gravi peccato obstrictum, & Confessarium accersere non potest; potest autem, quia in Sacello v. g. celebrat, citra scandalum recedere ab altari. De his jam suprà. 2do. cùm Excommunicatus vitandus, qui nec adhortationibus cedit, nec propelli potest, vult sacrificio interesse: de quo ubi de Censuris. 3tio. cùm in ipsa sacrificii actione violatur Ecclesia *ante Canonem*; tunc enim dimitti Missam jubent Rubricæ, nisi possit illicò Ecclesia reconciliari, quod ab ipso Celebrante statim fieri potest, si Ecclesia tantùm sit benedicta. 4to. cùm interdicitur Ecclesia: & tunc recedendum ab Altari, si necdum facta sit consecratio, aut, ut aliis placet, Canon incœptus. 5to. cùm Sacerdos Sacrum sinè periculo mortis aut gravis mali prosequi non potest, putà quia imminet hostium incursus, alluvionisve periculum, aut ruinæ. Et tunc incœpto etiam Canone, necdum autem peracta consecratione debet dimitti Missa ne exponatur Sacramentum.

Facta verò consecratione, debet sumere Sacerdos vel solam panis speciem si hanc tantùm consecraverit, nec speciem vini consecrari sinat periculum, & omissis cæteris fuga sibi consulere. Imò Hostiam secum in Corporali auferre potest, alibi consumendum, si instet hostis, flamma, &c. Si nè hoc quidem potest, existimat probabiliter post Toletum Sylvius, quòd non tenetur subire mortem, sed possit discedere; quia saltèm consulit Ministro, qui Sacris consulere non potest. In his casibus, qui animæ tranquillitatem mirè perturbant, id intrepide faciendum, quod mente raptim ad Deum elevata, bona fides dictaverit.

R. ad 2. Missam semel inceptam non posse citra causam interrumpi sinè peccato, quod tantò futurum est gravius, quantò diuturnior, aut inutilior mora interponetur. Ratio est, quia Missa est una quædam actio totalis, cujus partes ex constanti Ecclesiæ doctrina, secum invicem connexæ esse debent.

Missa tamen interrumpi potest, 1mo. si moribundus Baptismô, vel Pœnitentiâ indigeat; 2do. si infirmo, qui cætera Sacramenta recipere non potuit, administranda sit Extr. Unctio; 3tio. si Episcopus Ordines collaturus sit, Parochus sacram habiturus concionem, aut Ecclesiæ edicta promulgaturus, Superior vota Religionis excepturus; 4to. si homini ad necem violenter impetito succurrendum sit; 5to. si urgeat exonerandæ alvi necessitas; prout docet Sylvius.

Quæres 5to. an quæ secretò recitari jubent Rubricæ, submissa voce dicenda sint, adeò ut Sacerdos se quidem audiat, sed à circumstantibus non audiatur.

R. affirm. & prob. 1mo. ex Trid. Sess. 22. cap. 5. ubi sic: *Cùm natura hominum ea sit, ut non facilè queat sinè adminiculis exterioribus ad rerum divinarum mediationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce; alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit.* & Can. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damatum esse - - - eò quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit*: atqui quantumlibet renitantur Adversarii, istud, *submissa voce*, non idem est ac *sinè cantu*, vel, *voce moderata, quæ tamen ab adstantibus audiatur*, sed idem ac *secretò*.

Prob. min. 1mo. quia id sancire voluerunt Patres Tridentini, quod temerè impetebant Lutherani & Calvinistæ: atqui redarguebant hi quidem Rom. Ecclesiam, quòd verba consecrationis & alia non pauca tacitè prorsus *quasi magica* recitaret; non autem

tem quòd vel Canonem totum non caneret, vel certas ejus partes eo tono diceret, qui licèt submissior, ab omnibus audiri posset; ergo eos damnavit qui secretam certarum Missæ partium recitationem carpebant.

2do. non aliunde meliùs resciri potest quæ fuerit mens Concilii, quàm ex ejusdem Historicis: atqui hi uno ore *submissam* Tridentini *vocem* nostro sensu interpretantur, ut liquet ex F. Paola L. 6. & Pallavicino L. 18. c. 10.

3tio. quia nulli notior esse potuit Trid. Concilii sensus, quàm Rom. Ecclesiæ, cujus ad judicium remittit S. Synodus * pro iis quæ ad Missale pertinent: atqui in eodem Missali tam apertè explicantur quæ clara vel submissa voce recitare debent, ut hic nè cæci quidem cæcutire possint. Sic enim loquuntur Missalis Rubricæ part. 1. tit. 16. n. 2. *Sacerdos maximè curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distinctè & appositè proferat - - - - Quæ verò secreté dicenda sunt, itá pronunciet, ut ipsemet se audiat,* ET A CIRCUMSTANTIBUS NON AUDIATUR: atqui Rubricam hanc, quæ à Pio V. cujus jussu edita est, non parum commendationis habet, suam unanimi calculo fecerunt Concilia, quotquot deinceps habita sunt; uti fusè probat P. le Brun Dissert. ult. p. 26. & seq.

Prob. 2do. si à Rubrica secretam recitationem præcipiente discedere liceat, utique quia ritum antiquitati ignotum inducat: atqui hæc ratio & falsa est, & si vera supponatur, non concludit.

1mo. falsa est. Siquidem Pontificale R. quod jam ab an. 1485. typis Rom. editum est sub Innocentio VIII. sic habet fol. 197. *Cætera non secreta* Sacerdos *alia & intelligibili voce proferat: Secreta verò & Canonem morosè & distinctè submissa voce legat.* Ubi submissa vox altæ & intelligibili voci opponitur. His consonant Missalia antiqua quæcumque Rubricas habent, ità ut nè unum quidem adduci possit in quo præcipiatur alta Canonis recitatio; prout contra Cl. de Vert Apologistam, qui hoc in puncto tot emisit falsa, quot verba, demonstravit citatus P. L. Brun p. 44. & seq.

Non alia fuit praxis Ordinum Religiosorum quotquot ab an. 1000. prodierunt. Hi certè ritum celebrandi quem hodieque servant, à Diœcesibus in quibus primùm fundati sunt, deprompsêre: atqui tamen in iisdem Ordinibus semper viguit consuetudo recitandi suppressa voce quidquid secretè recitari jubetur. Hinc ea lex quæ in Missali Dominicanorum jam ab an. 1254. sancita est, non ut nova profectò, sed ut ubique recepta: *Canonem sic submissè dicat, quòd intelligi non possit à circumstantibus.*

* *Sess.* 25.

Idipsum

Idipsum constanter servavêre Græci, in quorum Liturgiis quædam *ecphonos*, id est, alta voce quædam *mysticos*, id est, secretò & tacitè recitanda imperantur: quod autem hodie in Liturgiis præscribitur, semper in iisdem præscriptum est; ergo ritus quem hodiernæ Rubricæ habent, non Pii V. tempore exortus est, sed ab initio viguit. Atque hinc confidenter postulabat Brunius, ut è mille Authoribus, quorum testimoniis obruendus dicebatur, objiceretur vel unus è tota retrò antiquitate, qui totam Liturgiam alta & intelligibili voce recitandam esse declararet.

2do. Neqe etiam à Rubrica discedendum foret, etiamsi non ità vetus supponeretur; tùm quia & à legitima authoritate prodiit, & ab universis Episcopis adoptata est; tùm quia hanc utì sanam & æquam habuêre viri primi nominis, ut Morinus, Thomassin. Mabillon. Martene, D. Fleury, &c. quæro autem an his coram Deo præponi possint Claudius de Vert, ejusque pauculi, si eum cæteris conferantur, sectatores; tùm quia alioqui liceret etiamnum vel in fermentato consecrare, vel Eucharistiam sub specie vini porrigere Laicis, vel in Sabbato vesci carnibus; hæc enim omnia olim licita fuêre, & legibus, quæ cùm primùm editæ sunt, novæ erant, prohibita. Cur ergo hæc non audent Adversarii? Utique, quia, ut solidè Aug. Epist. 54. *mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat, utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.* Jam verò quæ in clamosa Canonis recitatione utilitas? hæc una, ut Sacerdos legem Ecclesiæ manifestam infringat; ut simul celebrantes perturbet: ut iis qui regulas norunt, scandalo sit, ut rusticis vel mulieribus, qui latinè nesciunt, in potissima Missæ parte, attentionem excutiat. Meritò igitur Dominicani an. 1569. Cluniacenses an. 1725. ac Patres S. Mauri an. 1726. vetuêre nè quis suorum ab isto Rubricæ ritu discederet.

Obj. ideo præceptum est, ut Canon submissa voce recitaretur, nè in Laicorum notitiam deveniret: atqui cautio hæc hodie inutilis est, cùm *ordinarium Missæ* jam penès ipsos pueros sit

R. neg. maj. Etsi enim secretam Canonis recitationem præcepit Ecclesia, quia verita est nè sparsa in vulgus Religionis mysteria vilescerent; haud tamen hac una de causa legem venerandi hujus silentii indixit; sed insuper, 1mo. quia per tremendum illud silentium admonetur Sacerdos sibi jam introeundum esse in sanctuarium Dei, & cum eo loquendum, prout ipse loquitur, nempe *in magno silentio cordis*, ut ait Aug. in Psalm. 38. n. 20. hinc Augustana Synodus an. 1549. postquam præ-

cœpit ut *sub elevatione Hostiæ Antiphonæ ad hoc Sacramentum pertinentes tantùm cantentur*, subdit: *Quanquàm melius & veteri Ecclesiæ convenientius esset præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio prostratos contemplari*; 2do. quia diversitas tonorum instabilem ventosamque imaginationem coercet; neque unquam faciliùs mens sui compos est, quàm cùm à vocali oratione ad mentalem, & ac rursus hac ad vocalem pertransit. Atque id est quod docuit Trid. citatis suprà verbis: *Cùm natura hominum ea sit*, &c. Hæ porrò rationes quibus plures alias adjungit Brunias part. 1. art. 8. hodieque subsistunt, semperque subsistent.

Quæres an graviter peccet, qui vel Canonem alta voce recitat; vel secretò quæ alta voce recitanda præcipiuntur.

R. ad 1. his Quarti verbis p. 1. tit. 16. dub. 1. *Peccat mortaliter qui alta voce legit totum Canonem; quia, [cùm hoc fiat data opera] saltèm videtur velle inducere novum ritum, & difficilè potest effugi scandalum* ex contemptu ritus Ecclesiastici. Ità *Gavantus* hìc *lit.* G. *& dicit esse communem Doctorum sententiam. Idem dicendum videtur si pars notabilis ejusdem Canonis alta voce recitaretur, vel magna & notabilis pars aliarum precum, quæ secreto recitari debent, si id fiat vel animo inducendi novum ritum, vel cum scandalo notabili aliorum.*

R. ad 2. submissam hanc recitandæ Missæ praxim esse quidem redarguendam, ut quæ legibus Rubricæ adversetur, haud tamen excedere venialem culpam, quidquid contra sentiant Navarrus, & Cajetanus. Ratio est, quia modus ille nec gravem irreverentiam præ se fert; nec graviter deformis videtur; nec ad scandalosam novi ritus inductionem tendit; cùm plures eò tantùm recitare submissè intelligantur, vel qui infirmam à natura vocem recepêre; vel quia verentur nè alios perturbent; vel quia altiùs recitando, plurimum defatigantur.

Verùm gravius peccat, qui voce recitat tam demissa, ut se ipsum audire non possit. Imò non desunt, qui cum Valentia, Suare & aliis apud eundem Quarti, hancce pronuntiationis speciem tam in Missa, quam in Horarum recitatione, non minùs invalidam esse putent, ac si Sacerdos nullo modo pronuntiaret. Aliam alii opinionem communiter sequuntur cum Navarro, Azorio & cæteris apud Dianam: eamque nos partem elegimus ubi de Horis Canonicis. Et verò cùm recitatio hæc non sit purè & simpliciter mentalis, necessum est ut pertineat ad vocalem: hæc autem absolutè sufficit ad validam Missæ & Officii recitationem. Quia tamen præcipiunt Rubricæ, ut Sacerdos semetipsum audiat, dum recitat secreta; qui, sublato etiam obice, se se non audit, venialiter peccat. Imò qui Con-

secrationis verba recitat adeò demissè, ut audire se non possit mortalis culpæ reus est juxta prædictum Quarti.

Quæres 6to. an, quæ quando fieri debeat applicatio Missæ, ut hæc cuipiam specialiter prosit.

R. ad 1. necessariò requiri applicationem Celebrantis; tùm quia sacrificium species est quædam orationis: oratio autem nisi specialiter applicetur, specialiter non prodest; tùm quia ut Sacramenta ad operandum determinantur per receptionem sic & sacrificium per oblationem quatenus fit pro homine.

Quòd si celebrans Missam applicet pro incapaci, fructus ex ea cæteroqui proventurus manebit in Thesauro Ecclesiæ. Unde consulunt Doctores, ut Sacerdos primæ intentioni secundam addat conditionalem, in hunc modum: Offero pro anima Petri, cujus in gratiam recepi stipendium; quòd si capax non est, eandem offero, prout re cognita offerri vellent, qui stipem dedêre, vel, prout Deus magis expedire cognoscit. Atque hæc applicandi ratio potissimùm inservire potest, cùm quis ad plura pro pluribus Sacra obligatur, & dubitat cui ante cæteros applicare debeat.

R. ad 2. non requiri ad applicationem sacrificii, intentionem actualem, vel virtualem, sed sufficere, habitualem, seu merè præteritam, quæ retractata non sit. Unde qui heri promisit Titio Missam crastinam, hodie verò promissionis immemor, Missam facit, reipsa, nisi aliud expresse velit, celebrat pro eo. Quin & toto mense & anno, si id semel voluerit, nec animum mutet, pro eodem celebrabit. Ratio est, quia applicatio fructus Missæ quædam est donatio: donatio autem potest anticipatè fieri. Est tamen consultum ut prædicta intentio sæpius renovetur.



TRA-



TRACTATUS DE POENITENTIA.

IN hoc operosæ molis Tractatu, post præmissa quædam de virtute Pœnitentiæ, expendemus Sacramenti Pœnitentiæ existentiam, materiam, formam, Ministrum, &c. sic tamen ut dogmati potissimùm & praxi incumbamus.

CAPUT PRIMUM.

De Pœnitentia ut virtute.

QUod Latini *Pœnitentiam*, hoc Græci *Metanoiam* dicunt, seu *Resipiscentiam*. Sensum hunc lubenter arripuêre Protestantes, ut Pœnitentiam in nova tantum vita reponant. Aliter sentiunt Catholici, quibuscum sit

CONCLUSIO I. Pœnitentia non importat solam consilii mutationem, seu novæ vitæ propositum, sed detestationem peccati, & congruam ipsius expiationem.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Reg. 3. 21. sic describitur impii hactenùs Regis pœnitentia: *Scidit* Achab *vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Joël 2. *Convertimini ad me toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Psalm 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Atqui in his textibus Pœnitentia non reponitur tantùm in novæ vitæ proposito, sed in profundo de peccatis dolore, in cilicio, in planctu, in fontibus lacrymarum. Ergo.

Prob. 2do. ex Patribus. August. Serm. 351. *Non sufficit ad Pœnitentiam mores in melius mutare, verùm etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* S. Gregorius M. Hom. 34. in Evang. *Pœnitentiam*

agere est perpetrata malè plangere, & plangenda non perpetrare. Atqui in his textibus, præter vitæ novitatem, requiruntur dolor & satisfactio. Meritò igitur Trid. Sess. 14. c. 13. *Si quis dixerit - - - optimam Pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.*

Obj. 1mo. Nihil aliud est Latinis Pœnitentia, quàm Græcis Metanoia. Atqui Metanoia solam resipiscentiam, solamque adeò vitæ novitatem importat. Prob. min. ex Tertul. Lib. 2. advers. Marcion. c. 24. ubi sic: *In Græco sono Pœnitentiæ nomen, non delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Ergo. R. Prætermissa maj. quia vox Pœnitentiæ non solùm Metanoiam, sed & appendices eidem in Scripturis annexas exprimit; dist. min. Metanoia solam exprimit resipiscentiam, si nudam vocis originem spectes, C. si nominis significationem & usum, N. Siquidem Matth. 11. & Luc. 10. ubi sic loquitur Christus: *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio Pœnitentiam egissent*, uterque Evangelista Metanoiæ vocabulum adhibuit: Atqui Pœnitentia quæ cinerem & cilicium involvit, non resipiscentiam nudam, sed acre præteriti peccati odium, ejusque vindictam importat.

Obj. 2do. Ex Apost. Galat. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*: Atqui nova creatura nihil est aliud quàm nova vita. Hinc tritum illud apud Patres: *Optima Pœnitentia est nova vita.* R. dist. maj. In Christo valet nova creatura, sed ea solùm creatura nova est, quæ præteritos lapsus plangit & eluit, C. Et ad novam creaturam sufficit simplex propositi, & morum mutatio, N. Solutionis veritatem probavit Apostolus exemplo suo. Qui enim toties ingemuit quòd blasphemus fuisset & persecutor; qui labem hanc tot laboribus expunxit; quo pacto pura & simplici cæterorum resipiscentia contentus fuisset? Non alia fuit mens Patrum, cùm Pœnitentiam in nova vita reponere visi sunt. Illi enim vitæ hujus novitatem, & vitæ veteris odio, & congrua satisfactione stipari voluerunt, ut ipse fatetur Calvinus.

Ut pleniùs intelligatur Pœnitentiæ natura.

Quæres 1mo. an Pœnitentia sit virtus propriè dicta. R. affirmat. 1mo. quia non dantur præcepta nisi de actibus virtutum; cùm lex, potissimùm divina, eò tendat ut homines faciat virtuosos. Atqui dantur præcepta de actibus Pœnitentiæ. Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* 2do. Virtus est habitus secundum rectam rationem inter duo extrema electivus, atque ideò in mediocritate consistens. Atqui Pœnitentia, 1mo. est *habitus*, nimirùm est qualitas ità de se inhæ-

hærens, ut non nisi contrario ac libero voluntatis actu destrui possit. 2do. Est habitus *secundùm rectam rationem electivus.* Quid enim rationi magis congruum, quàm ut homo peccata sua defleat, & diluere nitatur? 3tio. Est habitus *inter duo extrema* electivus. Si enim verè Pœnitens eos exhorret qui peccata sua molliùs deflent & expiant, non minùs sibi cavet ab eorum exemplo qui immoderato abrepti dolore cum Cain desperatè exclamant: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*

Quæres 2do. an Pœnitentia sit virtus specialis. R. affirm. quia Pœnitentia in objectum speciale ex speciali motivo tendit: Objectum enim Pœnitentiæ est offensa Dei quatenus diluenda per internum cordis dolorem & parem offensæ vindictam. Atqui nulla, præter Pœnitentiam, potest assignari virtus quæ circa idem objectum & eodem modo versetur. Etsi enim quælibet virtus oppositum sibi peccatum tollit, at non tollit illud, quatenus est offensa Dei.

Quæres 3tio. an Pœnitentia sit virtus quo ad actum & quo ad habitum supernaturalis. R. affirmat. Ea enim virtus, cujus actus omninò superat naturæ vires, est quo ad actum & quo ad habitum supernaturalis. Atqui Pœnitentiæ actus, prout hæc à nobis spectatur, nempè ut ad æternam salutem ordinata, naturæ vires omninò superat. Prob. min. 1mo. ex Scripturis, prout intelligi consueverunt. Jeram. 31. *Postquàm convertisti me*, proinde eo solùm quòd me convertisti, *egi pœnitentiam.* 2do. Ex August. qui Lib. 5. contra Julian. hæc loquitur de Deo: *Quantamlibet præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam?* 3tio. Ex Trid. Sess. 6. c. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Quæres 4to. quod sit objectum Pœnitentiæ. Non agitur de objecto formali, quod ex dictis constat esse peccatum, prout læsivum divini juris, & ut tale satisfactione congrua delendum. Tota igitur quæstio est de objecto materiali; seu quæritur quid hujus peccati nomine intelligendum sit; an proprium duntaxat, an etiam originale, an quod necdum deletum est, an id etiam quod jam dimissum fuerit, &c. Quæ ut solvantur,

R. 1mo. Peccatum actule, quodcumque sit; habituale item, quin & jam dimissum, est Pœnitentiæ materia.

Prob. 1. pars. Quidquid relinquit offensam Pœnitentia delebilem, est materia Pœnitentiæ. Atqui peccatum actuale, etiam veniale, offensam relinquit, &c. Displicet enim Deo, & jus ipsius lædit.

Prob. 2. pars. Peccatum habituale eſt ipſum actuale peccatum ut moraliter perſeverans. Atqui peccatum ut moraliter perſeverans involvit perſeverantem Dei offenſam, quæ deleri debet, nec aliter, quàm per Pœnitentiam deleri poteſt.

Prob. 3. pars. Ut peccatum, etiam dimiſſum, ſit Pœnitentiæ materia, duo ſufficiunt; 1mo. ut de eo velut offenſa Dei, magè magiſque dolere; 2do. ut idem abundantiori ſatisfactione abluere poſſimus. Atqui utrumque poteſt & facit homo verè pœnitens: Qui enim cum Pſalte dicit: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea*, etſi jam lotus, cum eodem dicit: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, &c.

Quin & originale peccatum ſuo modo eſt materia virtutis Pœnitentiæ; quia Pœnitentia peccatum illud ut Dei offenſam horrere poteſt & deteſtari; etſi illud, utpotè aliena voluntate commiſſum, retractare nequit. Idem eſt de imperfectionibus, quæ licèt non in ſe, quatenus tamen ad Dei offenſionem diſponunt, poſſunt objectum eſſe odii ac doloris noſtri.

Quæres 5to. an actus Pœnitentiæ ſit peccatori ad ſalutem neceſſarius. R. affirm. niſi ſuppleatur per actum perfectæ charitatis, de quo infrà.

Jam facilè intelligitur vera Pœnitentiæ notio. Poteſt itaque definiri: Virtus moralis infuſa, mentem inclinans ad deteſtandum peccatum, & de eo dolendum, cum emendationis, & ſatisfactionis propoſito, & ſpe ac petitione veniæ. Eadem verò Pœnitentia in genere actus ſpectata, eſt Odium actuale, dolor & deteſtatio peccati, cum actuali emendationis & ſatisfactionis propoſito, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ.

PŒnitentia ut Sacramentum definiri ſolet à Catholicis: *Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis abſolutionem, homini contrito, confeſſo, & ſatisfactionem ſpondenti, remittuntur peccata poſt baptiſmum commiſſa.*

Sacramentum hoc ſuo modo impugnarunt Montaniſtæ & Novatiani, negantes gravia peccata virtute clavium deleri poſſe: Idem Sacramentum funditus ſubvertêre Calviniani. Hos ut abigant Catholici, tria docent, 1mo. eſſe in Eccleſia medium exterius, quo remittuntur peccata poſt Baptiſmum commiſſa; 2do. medium illud eſſe veri nominis Sacramentum, & à Baptiſ-

ptiſmo diſtinctum; 3tio. nullum eſſe peccatum, quod virtute illius deleri non poſſit. Sit

CONCLUSIO I. Datur in Eccleſia remedium exterius, quo remittuntur peccata poſt Baptiſmum commiſſa.

Prob. 1mo. Ex Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo : & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo* : & Joan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Unde ſic : Datur in Eccleſia medium per quod homo hominem ſolvit à peccatis. Atqui medium illud neceſſariò eſt externum. Tale enim eſſe debet medium illud, ut homini conſtet ſe vel ſolutum eſſe, vel ligatum manere : Ad id autem non minùs opus eſt exteriori medio, cùm de peccato actuali agitur, quàm cùm de originali in Baptiſmo.

Prob. 2do. Medium, quod qui negaverunt, illicò ab univerſa Eccleſia reprobati fuere, omninò admitti debet. Sed qui medium de quo agimus in præſenti, negare, vel etiam imminuere auſi ſunt, ut Montaniſtæ & Novatiani, ubique ab Eccleſia continuò reprobati ſunt.

Prob. 3tio. Datur Pœnitentiæ Sacramentum, de quo mox. Atqui eo ipſo datur medium exterius, quo dimitti poſſint peccata.

Obj. ex Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam* in Baptiſmo *notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Atqui ſi extaret in Eccleſia remedium, &c. ſupereſſet hoſtia pro peccatis. R. Apoſtolum per *voluntariè peccantes*, eos intelligere, non qui quomodocumque, ſed qui in certo genere peccant : id eſt, qui accepta Evangelii fide, ab ea per apoſtaſiam deficiunt, & ad Judaiſmum regrediuntur. His enim nulla jam ſupereſt pro peccatis hoſtia, ſeu in veteri Lege, utpotè jam mortua, ſeu in nova Lege, quia Chriſtum, unicam Legis hujus hoſtiam dedignantur & abjiciunt. His præmiſſis,

R. in forma, diſt. maj. Voluntariè peccantibus, id eſt apoſtatis à fide, non relinquitur hoſtia in veteri Lege, cui tamen ſoli inituntur, quæ proinde ipſis & mortua eſt & mortifera, C. Non relinquitur hoſtia in nova Lege, Subd. Non relinquitur hoſtia ex defectu apoſtatæ, qui hoſtiam hanc uti pollutam abjicit, C. Non relinquitur hoſtia ex defectu, ſeu hoſtiæ ipſius, quaſi hæc cuicumque delendo crimini non ſufficiat ; ſeu Eccleſiæ, quaſi hæc omnia contra certum peccati genus remedio deſtituta ſit, N. Id enim nequidem ſubindicavit Apoſtolus.

Inſt. Si voluntariè peccantibus ſupereſſet hoſtia in nova Lege, poſſent hi ad Pœnitentiam renovari. Atqui ex Apoſt. ibid.

cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati - - - - & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam*, &c. R. dist. min. Impossibile est, admodùm difficile, præsertim si sermo sit de apostatis qui Christum rursus speciali ratione crucifigunt; vel de iis peccatoribus qui perpetuò relabuntur: imitati videlicet terram, quæ licèt *sæpe venientem super se* bibat *imbrem*, indesinenter *profert spinas ac tribulos*, C. Impossibile est prorsus, N. Solutio constat ex ipsa agendi ratione Apostoli, qui & incesto Corintho remisit facinus, quale *nec inter gentes* audiebatur; & Fideles ubique ad Pœnitentiam invitat.

Conclusio 2da. Remedium illud quo peccata dimittuntur seu Pœnitentia, verum est novæ Legis Sacramentum.

Propositio est de fide, & exprefsè traditur à Conc. Trid. Sess. 14. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino, institutum, anathema sit.*

Prob. 1mo. ex citatis textibus, Matth. 18. *Quæcumque allegaveritis*, &c. Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Unde sic. Sacramentum est ritus exterior annexam habens gratiæ promissionem, à Christo permanenter institutus, cum præcepto eundem usurpandi. Atqui Pœnitentia, 1mo. est ritus exterior, seu signum sensibile. Ubi enim est ex una parte declaratio peccati cum externo dolore conjuncta; ex altera verò parte exterior judicis, seu solventis, seu ligantis sententia, ibi necessariò est ritus exterior. Atqui posita utriusque præcitati textus veritate, necessariò occurrit ex parte Pœnitentis declaratio peccati, uti videbimus agendo de confessione; occurrit & ex parte Ministri sententia, qua juridicè ligat aut solvit. 2do. Ritus ille annexam habet gratiæ promissionem; cum peccator ex inimico Dei amicus fieri, & à delictis solvi non possit nisi per gratiam à mortuis suscitantem. 3tio. Idem ritus à Christo institutus est: cùm Christus hanc solvendi & ligandi potestatem dederit, ut ex iisdem textibus constat. 4to. Et is ritus permanenter institutus est. Tum quia ut verba hæc: *Ite, baptisate*, ad solos Apostolos restringi non possunt; sic nec isthæc, *Ligate, solvite*: tum quia vi promissionis hujus nullum fuit hactenus sæculum, quo Ecclesiæ Ministri non solverint aut ligaverint; ut mox patebit. 5to. Extat divinum ejusdem ritus exercendi præceptum: Joan. 20. *Sicut misit me, vivens Pater*, ait Christus Apostolis, *& ego mitto vos. Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata*, &c. Ergo sicut ad opus suum missus est Christus à Patre, sic & ad peccatorum remissionem Apostoli. Ergo ad hanc tenentur divina Lege; ergo & iis in

hac

hac parte obsequi debent Pœnitentes; ergo utrique eodem præcepto adstricti sunt, alii quidem ut solvant, alii ut accedant solvendi.

Prob. 2do. ex totius Ecclesiæ sensu. Constat enim Montanistas secundo sæculo, & Novatianos tertio, statim ut Ecclesiæ denegarunt potestatem remittendi peccata, ubique pro hæreticis habitos fuisse, Romæ præsertim à S. Cornelio, in Africa à S. Cypriano, ac demùm in Concilio Nicæno 1. Can. 8. Atqui Montanistæ & Novatiani pro hæreticis haberi non potuerunt, quin sua Pœnitentiæ assereretur Sacramenti dignitas. Statim namque ut constat peccata per Ecclesiæ claves remitti, constat in ea esse visibile ministerium, quod à solo Christo institui potuerit, & gratiam permanenter conferat.

Confirm. Id quod pari consensu, ante exortas Lutheri & Calvini novitates, admittebat Ecclesia Occidentalis & Orientalis, nisi recenter inductum probetur, primævæ Traditionis fœtus censeri debet. Atqui utraque Ecclesia Pœnitentiam uti Sacramentum admittebat - - - Minor constat de Occidentali Ecclesia ex Decreto Florentino, ubi Pœnitentia Sacramentis annumeratur. Idem constat de Ecclesia Græca, tum ex Simeone Thessalonicensi, tum ex Allatio, Arcudio, &c. Jam verò variæ Græcornm Cōmuniones, nec à se invicèm nec à Romana Ecclesia dogma istud mutuari potuerunt: cùm ferali odio & à se & à nobis dividantur; & schisma fecerint aliæ sæculo V. aliæ posterioribus. Ergo fidem hanc jam à quarto sæculo tenere debuerunt. Id porrò quod tota sæculi quarti tenuit Ecclesia, ab initio teneri debuit, nisi supponatur portas inferi adversùs Ecclesiam penè nascentem prævaluisse. Et verò nullam hùc invehi potuisse mutationem, tum ex afferendis modò Patrum textibus, tum ex objectionum solutione constabit.

Prob. 3tio. ex Patribus. Origenes Hom. 2. in Levit. *Non erubescit* peccator *Sacerdoti Domini indicare peccatum suum & quærere medicinam.* Cyprianus, Tract. de lapsis, c. 12. *Confiteantur singuli - - - dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet* S. Chrysost. L. 3. de Sacerdotio: *Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatam probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

S. Hieronymus, Ep. 1. ad Heliodorum: *Non solùm Sacerdotes, cùm regenerant; sed etiam postea, condonandorum peccatorum obtinent potestatem.*

S. Leo, Ep. 83. aliàs 91. c. 2. *Mediator Dei & hominum*

homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cæteros omitto, quia horum plures postea recurrent. Atqui in his textibus admittunt Patres ministerium exterius, per quod remittuntur confitentibus peccata etiam occulta, & reconciliantur quicumque peccatores; quodque in ipsis mentibus operatur, & earum sordes mundat, &c. Ergo.

Obj. 1mo. Per Sacramentum Pœnitentiæ dimitterentur peccata à Sacerdotibus. Atqui ex Marci 2. nemo *potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* R. dist. maj. dimitterentur peccata à Sacerdotibus, tanquam Ministris, C. tanquam vi propria & principaliter operantibus, N. Solutio est S. Paciani in Epist. ad Sempronianum.

Obj. 2do. Pœnitentia in veteri Lege non fuit verum Sacramentum. Atqui eadem est in nova Lege Pœnitentia, quæ in veteri. Cùm Act. 10. 43. Apostoli profiteantur se eandem prædicare Pœnitentiam, quam prædicarunt Prophetæ. R. dist. min. Eadem est in nova & veteri Lege Pœnitentia spectata in ratione virtutis, C. spectata in ratione Sacramenti, N. Itaque ait Trid. Sess. 14. Cap. 1. *Omni tempore ad gratiam & justitiam assequendam Pœnitentia necessacia fuit iis qui se mortali aliquo peccato inquinassent - - - sed nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec post adventum illius cuiquam ante Baptismum.*

Obj. 3tio. Pœnitentiæ Sacramentum nullius est ad diluenda peccata necessitatis. Cùm remissio hæc per veram contritionem, & actus charitatis ac misericordiæ obtineri possit, ut constat tum ex Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum* Deus *non despicies*; tum ex Luc. 11. *Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Hinc post violatum insigni peccato Baptismum non remisit Petrus Simeonem ad Sacerdotes, sed ad solam Pœnitentiæ virtutem: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum,* &c. Act. 8. R. ad 1. neg. ant. Si enim Christus Ecclesiæ suæ claves dederit ut solvat, consequens est, ut nè munus ei superfluum concessisse dicatur, unicuique legem injunxerit iisdem se clavibus subjiciendi. Unde Augustinus Serm. 392. *Nemo sibi dicat: Occultè ago* Pœnitentiam; *apud Deum ago.* Alioqui, regerit S. Doctor, *sinè causa dictum est*: Quæ solveritis in terra, &c. Hinc illud Luthero temerè irrisum, sed à tota agnitum Traditione, Pœnitentiam videlicet esse secundam post naufragium tabulam, nec lapsis necessariam minùs, quam nondum regeneratis ipsum Baptisma.

Ad

Ad 2. dico peccatorum veniam nonnisi per solum Pœnitentiæ Sacramentum in re vel in voto posse obtineri; adeò ut tametsi *aliquando contingat contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsa nihilominùs reconciliatio ipsi contritioni, sinè Sacramenti voto, quod in illa includitur, non sit adscribenda*, prout docet Trid. Sess. 14. C. 4. Neque tamen Pœnitentiæ Sacramentum suam demit contritioni virtutem, sed eandem supponit & corroborat. Sicut enim nihil detractum est à virtute contritionis, quia jam præter ipsam ad regenerationem requiritur Baptismus, qui ante Christum non requirebatur: Sic nec ei quidquam decessit, quia ad reconciliationem præter ipsam requiritur clavium usus, qui ante Christum per sacrificia supplebatur. Quod spectat ad opera misericordiæ; hæc quidem ut olim, sic & hodie ad justificationem disponunt. At sine præjudicio mediorum quæ Christus instituit. Quapropter, sicut cum Christus præcipiendo eleemosynam qua mundaremur, non negavit strictam Baptismi vel Eucharistiæ necessitatem; sic nec clavium necessitatem in eodem casu negasse dicendus est. Idem dicendum de S. Petro, qui indubiè Simoni præcepit illud Pœnitentiæ genus, quod tota deinceps servavit Ecclesia, nec servare potuit, nisi quia ab Apostolis acceptum. Ideò autem fortè non statim ad Sacerdotes remissus est infœlix Magus, quia vir *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis* existens, diu antè probare se ipsum, & ingemere debuit, quam clavium ope solveretur.

Saltem, inquies, pœnitentia non distinguitur à Baptismo. Prob. ant. Si Pœnitentia sit aliquid à Baptismo distinctum, tota fidelium mundatio non erit Baptismo tribuenda, sed Pœnitentiæ ut plurimùm. Atqui tota fidelium seu Ecclesiæ mundatio soli Baptismo tribuitur, Ephes. 5. ubi sic Apostolus: *Mundans eam lavacro aquæ.* Quod & probat id Christi Marci 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit* Hic enim salus in una Baptismi susceptione fundatur. Ergo. R. dist. min. Tota Ecclesiæ mundatio tribuitur Baptismo, quantùm ad peccata quæ Baptismum præcesserunt, C. quantùm ad ea etiam quæ Baptismum sequuntur, Subd. tribuitur Baptismo fundamentaliter & dispositivè, C. efficienter, N. Itaque prima illa justificatio, quam recipiunt qui ab infidelitate conversi, Ecclesiæ membra efficiuntur, à Baptismo tota profluit. Quin & eidem Baptismo præsuppositivè tribui debet quidquid dehinc recipit homo justificationis; quia Baptismus est omnium Sacramentorum janua, & fons sanctificationis nostræ. At non ideo Baptismus solus hominem deinceps verè & efficienter mundat. Sicut e-

nim ex adverſariis indiget juſtus Euchariſtia ut juſtificetur adhuc; ſic & Pœnitentiæ adminiculo indiget, ut à peccatis reſurgat; uti probatum eſt.

Nec obſtat iſtud: *Qui baptiſatus fuerit*, id enim ſemper ſub multiplici conditione intellectum eſt; putà ſi baptiſatus in accepta juſtitia perſeveret, lapſuſve peccata ſua diluat, & alia in lege præſcripta adimpleat uſque ad finem.

Inſt. Auguſtinus L. 1. de nupt. &c. C. 33. hæc habet: *Eodem lavacro regenerationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundantur atque ſanantur; non ſolùm peccata quæ nunc remittuntur in Baptiſmo; ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur.* Atqui hic omnium prorſus peccatorum, eorum etiam quæ poſt Baptiſmum contrahuntur, remiſſio refunditur in Baptiſmum. R. diſt. min. ut ſtatim: Refunditur in Baptiſmum ut in radicem neceſſariò præſuppoſitam ſubſequentibus ſalutis ſubſidiis, C. ut in cauſam proximam, & ſæcluſis aliis quibuſcumque mediis plenè ſufficientem, N. Enimverò, argumentatur Auguſtinus de ſupernaturali quæ à Baptiſmo dimanat regeneratione, ſicut de naturali vita, quam accipiunt homines generatione carnali. Sicut enim in ordine naturali, quod homo per ætatem creſcat, quòd convaleſcat ex morbo, quòd poſt mortem reſurrecturus ſit; id totum nativitati ſuæ, tanquam primi radicæ debet; ſic tamen ut verè indigeat alimentis ad augmentum, remediis ad reſtituendam ſanitatem, & ſpeciali ad reſurrectionem adjutorio: Ità ſpiritali per Baptiſmum regenerationi adſcribi debet, tanquam primæ radici, quòd fidelis per Confirmationem in juſtitia perficiatur, per Euchariſtiam ſpiritaliter vegetetur, per Pœnitentiam ſanetur, &c. Neque magis media hæc in ordine ſupernaturali ab Auguſtino excluſa ſunt, quàm in ordine naturali alimenta, medicinæ, &c. Sic enim pergit S. Doctor. ibid. *Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſteà, niſi præcederet? In ipſa quoquè Dominica Oratione, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur:* Dimmitte nobis debita noſtra, *niſi ab eis qui baptiſati ſunt, diceretur? Poſtremò regeneratorum ipſa felicitas - - - quorum erit, niſi baptiſatorum?* Ergo Baptiſmus, licèt Auguſtino, ut & nobis, prima ſit juſtificationis origo, non magis Pœnitentiam veluti medium ab ipſo Baptiſmo diſtinctum excludit, quàm Euchariſtiam, orationem & alia pietatis opera.

Ut ſolvantur quædam difficultates, Quær. 1mo. anChriſtus Pœnitentiæ Sacramentum poſt reſurrectionem inſtituerit. R. affirm. Tunc enim Pœnitentiam inſtituit Chriſtus, quando ſummo cum apparatu dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi vel retinen-

di peccata. Atqui id fecit cùm redivivus à mortuis *insufflavit* in Apostolos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata*, &c. Undè Trid. Sess. 14. Cap. 1. *Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Apostolos suos, dicens*, &c. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensu semper intellexit Ecclesia.* Ideò autem voculam *præcipuè* adhibuit sacra Synodus, vel quia jam pluries Apostolis promissa erat summa illa ligandi & solvendi potestas, putà Matth. 16. & 18. vel quia iis jam concessa fuerat potestas Ordinis ad Pœnitentiæ administrationem necessaria.

Obj. 1mo. Tunc Baptismum instituit Christus, cùm baptisavit ipse, & suos baptisare jussit. Ergo à pari tunc Pœnitentiam instituit, cùm Pœnitentiam prædicavit, & peccata dimisit. Atqui Christus ante passionem id prædicavit: *Pœnitentiam agite.* Dimisit etiam peccata, Paralytico nimirum, Mulieri adulteræ, Zachæo, &c. R. ad 1. N. cons. Est enim in Evangelio unde inferatur Christum Baptisma instituisse, cùm suos jussit baptisare: nihil est verò unde inferri possit eum Pœnitentiam instituisse, cùm dixit: *Pœnitentiam agite*: quin è contrà; cùm alioqui anteà Pœnitentiam instituisset quàm Baptismum, quandoquidem ministerium suum à prædicanda Pœnitentia orsus sit. Ad 2. dist. Christus ante passionem prædicavit Pœnitentiam ut virtutem, & dimisit peccata propria virtute, C. prædicavit Pœnitentiam ut Sacramentum, & ejus qua talis virtute dimisit peccata, N.

Obj. 2do. Potestas data, Joan. 20. non omnibus Apostolis concedi potuit: tunc enim aberat Thomas, isque incredulus erat. R. Christum vel intentionem suam ad omnes etiam absentes direxisse, ut credit Cyrill. Alexand. vel posthac in Thoma supplevisse quidquid eidem deerat.

Cæterùm ut hanc temporum diversitatem utcumque exprimat Ecclesia in Ordinatione, confert primò potestatem in corpus Christi naturale, tum deinde in corpus ejus mysticum.

Quæres 2do. an & quomodo necessarium sit Pœnitentiæ Sacramentum. R. 1mo. cum Trid. Sess. 14. C. 2. *Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* R. 2do. Pœnitentiam esse in re vel in voto necessariam necessitate medii. Est enim illud necessarium necessitate medii, quo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri nequit. At omissa etiam incul-

pa-

pabiliter Pœnitentia in re vel in voto, nequit obtineri ſalus ab iis qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt: unde qui in ebrietate repentino caſu opprimitur peribit, in æternum.

Dixi, *in re, vel in voto;* quia Pœnitentia in re, id eſt actualis per claves reconciliatio, neceſſaria non eſt, cùm vicem ejus gerere poſſit contritio. Neque hæc tamen per ſe præcisè, ſed per annexum ſibi Sacramenti votum juſtificat, ex Trid. ibid. C. 4. Non requiritur autem ut votum illud ſit formale; ſed ſufficit virtuale, in hoc poſitum quòd qui conteritur, ſaltem virtualiter intendat omnia ſervare præcepta quæ ſub mortali obligant, quale eſt præceptum gravia quæcumque ſua peccata clavibus ſubjiciendi.

Objicies: Conceſſum quidem fuit Apoſtolis ut ſolverent, non autem id iiſdem præceptum eſt. Qui enim dixit: *Ite, baptiſate*, non dixit: *Solvite*; ſed, quod hinc plurimum diſcrepat: *Quæcumque ſolveritis.* Ergo ſicut Fideles à venialibus abſolvi poſſunt per claves, nec tamen ad eas recurrere tenentur; ità poſſunt à mortalibus per claves ſolvi, nec tamen clavibus abſolutè indigent. Ergo nec iis neceſſarium eſt Pœnitentiæ Sacramentum. R. neg. ant. Chriſtus enim, cùm dixit: *Quæcumque ſolveritis*, publicum inſtituit tribunal, & ordinarios Judices apud quos peccatorum cauſæ agantur. Atqui ubi eſt publicum tribunal in certo genere, hic cauſas agi & dirimi neceſſe eſt. Ergo non ſolum inſtituti ſunt Apoſtoli, ut ſolvere poſſint Fideles, ſi hi ſolvi voluerint; ſed ut iidem Fideles ſe ſe ſolvendos ſiſtant. Unde Chriſti verba negativum hunc ſenſum habent: *Non ſolvetur, niſi quem ſolveritis: quia ego jam non judico quemquam in hac vita quo ad peccatorum remiſſionem.* Et id bellè docet Auguſtinus ſupra p. 12. Et verò Sacerdotes ità habent ex miniſterio ſuo poteſtatem ſolvendi, ut ſimul habeant, poteſtatem ligandi, ſeu retinendi peccata. Atqui ſi confeſſio ex parte Fidelium libera foret, ſacerdotes peccata retinere non poſſent; quia quantumcumque ea non remitterent, poſſet ſemper peccator abſque ullo ad claves reſpectu eorum veniam, ſive per contritionem, ſive alia via conſequi.

Inſt. Poteſt Sacerdos venialia peccata retinere, & ſæpe retinet, cùm Pœnitens non eſt ritè diſpoſitus ad abſolutionem. Atqui tamen inde colligi non poteſt neceſſariam eſſe venialium confeſſionem. Ergo nec ex eo quòd mortalia retinere poſſit, &c. R. diſt. maj. Poteſt Sacerdos venialia retinere ſecundùm quid, quatenus nempe poteſt ea non dimittere ſacramentaliter, C. poteſt ea retinere ſimpliciter & propriè, N. Tunc enim duntaxat peccatum verè retinetur, cùm retinetur adeò efficaciter, ut vel maneat culpa, ſi clavis non erret, vel ea errante

ma-

maneat ſemper obligatio accuſandi peccatum in tribunali Pœnitentiæ, ibique ejus abſolutionem obtinendi. Atqui hæc locum habent in peccatis mortalibus, non autem in iis quæ ſolùm venialia ſunt. Ergo hæc poſſunt quidem non dimitti à ſacerdote, verùm ab eo propriè retineri non poſſunt.

CAPUT TERTIUM.

De vi & effectibus Pœnitentiæ.

EXpendemus in præſenti, 1mo. an nullum ſit adeò grave peccatum, ut per Pœnitentiam remitti non poſſit. 2do. An ea ſit Sacramenti efficacia ut mortale unum ſine aliis dimittere valeat. 3tio. An peccata verè remittat, ſolumve remiſſa declaret, &c.

§. I. *An omne peccatum per claves remitti poſſit.*

Ut omnis tollatur æquivocatio, notandum eſt ſenſum quæſtionis non eſſe an Deus certis peccatoribus deneget converſionis media, quorum defectu ab Eccleſia abſolvi non poſſint: [conſtat enim cuicumque indiſpoſito abſolutionem prorſus eſſe denegandam;] bene verò an aliquod ſit ſupremi ordinis crimen, cujus veniam ſibi ità reſervaverit Deus, ut noluerit illud cuipiam ejuſdem conſcio, legitima etiam Pœnitentiæ argumenta præferenti, per Eccleſiæ claves relaxari. Aſſeruerunt Montaniſtæ & Novatiani, contra quos ſit

Conclusio. Nullum eſt quantumvis grave crimen, quod per claves dimitti non poſſit.

Prob. ex generalibus Chriſti verbis, Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.* Unde ſic: Verba generaliter prolata, & quæ nec in Scriptura, nec in Traditione reſtringuntur, ad omnia prorsùs peccata extendi debent. Atqui verba quibus peccatorum remiſſionem largitur Chriſtus, maximè generalia ſunt: ut demonſtrat vox, *Quæcumque*; eaque nec in ſcriptura, nec in Traditione reſtringuntur, ut infrà patebit. Ergo.

Prob. 2do. id indubiè per claves ſuas poteſt Eccleſia, cujus faciendi exemplum recepit, tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis. Atqui Eccleſia, tum à Chriſto, tum & ab Apoſtolis gravia etiam peccata indiſtinctè remittendi exemplum accepit. *Quid enim,* ait S. Pacianus, Ep. 1. ad Sempronianum Novatianum, *quid illa tot ſimilitudinum Dominicanarum argumenta reſpondent? Quòd*

Quòd Pastor ovem reportat erraticam? Quòd filio revertenti post prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit - - - Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis accusat; stuprum Tiathyrenis imputat. Pergamenos docentes diversa reprehendit; & tamen omnes ad Pœnitentiam satisfactionis invitat.

His adde 1mo. Paulum, qui scelestum Corinthium per se quidem ab anathematis vinculo, per Corinthios autem Sacerdotes ab incestu absolvit. 2do. Joannem Apostolum, qui, ut refert Eusebius, L. 4. Histor. C. 23. juvenem latrociniis famosum, novaque parantem facinora, ad bonum reduxit; nec *priùs abcessit, quàm illum Ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum, & iteratæ regenerationis ingens documentum omnibus ostendisset.* Ergo non eadem erat erga graviores lapsus agendi ratio Apostolorum, quæ Novatianæ factionis.

Prob. 3tio. Opinio, quæ statim ut caput efferre ausa est, ab omni Ecclesia reprobata fuit; quam undecumque impetierunt Sancti & pii Doctores; quæ per ipsam Catholicæ Ecclesiæ praxim constanter explosa est: Ea, inquam, opinio cunctos erroris characteres præfert, nullos veritatis. Atqui talis fuit Montani & Novitiani fabula. 1mo. Hanc ubique terrarum reprobarunt Episcopi. Romæ in Concilio Præsulum 60. quorum judicio acquieverunt dispersi per totum Orbem Antistites, ut refert Eusebius, L. 6. Hist. C. 4. in Africa, ut constat ex S. Cypriano Alexandriæ, ut commemorat Eusebius, ibid. L. 7. C. 8. 2do. Eandem scriptis, agendi ratione, & pari ad scientiam studio exagitaverunt illius ævi Doctores, aut insigniores Christiani; & inter alios Apollinaris Hierapolitanus; Martyres Lugdunenses toto Orbe memorati: uno verbo, Ecclesiæ omnes, prout testatur in suo contra Montanistas Opere citatus supra Apollinaris. 3tio. Idem docuere cæteri Patres. Cyprianus, Epist. 52. ad Antonianum: *Neminem*, inquit, *putamus à fructu satisfactionis arcendum, cùm sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pœnitentibus non denegari.* S. Pacianus, Epist. ad Sempronian. Dominus dicendo: *Quæcumque solveritis*, OMNINÒ NIHIL EXCEPIT. *Quæcumque*, inquit, *vel magna, vel modica.* S. Augustinus, L. de Agone Christiano, C. 31. *Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei* OMNIA PECCATA *posse dimittere*, &c. 4to. Ecclesia Novatianam hæresim perpetua sua praxi reprobavit. Ubique enim peccatoribus cujuscumque ordinis, quo etiam tempore severior vigebat disciplina, pacem & veniam, modò verè conversis indulsit. Ubique per Conciliorum Decreta, Patrum Statuta, Librorum Pœnitentia-

tia-

tialium Sanctiones, certam Pœnitentiæ mensuram, gradum & tempus pro diversa scelerum gravitate præscripsit. Ergo *ubique, semper & ab omnibus* creditum est nullum esse scelus quod per claves remitti non possit.

Obj. 1mo. Graviora sunt Christianorum peccata quàm eorum qui ante Christum vixere; ut docet Apostolus Hebr. 10. Atqui fuere ante Christum peccata quæ nulla Pœnitentia dilui possent. Sic 1mo. Esau post crimen suum *non invenit Pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam*; ut docet Paulus, Hebr. 12. Sic 2do. de urbe perversa ait Dominus, Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Sic 3tio. de Antiocho pœnitente dicitur, 2. Machab. 9. *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Idem liquet ex Prov. 1. *ubi* Deus: *Despexistis omne consilium meum - - - Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo - - - Tunc invocabunt me, & non exaudiam*, &c.

R. neg. min. quo ad singulas partes. Ad 1. sensus non est nequaquam potuisse Esau Deum sibi per Pœnitentiam propitiare; sed penès ipsum non fuisse ut Isaac patrem suum moveret ad pœnitendum benedictionis quam dederat Jacob.

Ad 2. Non inquirimus in præsenti an Deus, post certam peccatorum mensuram, fontes ab omni excludat, misericordia, sive eosdem subita morte tollendo è vivis; seu efficacia conversionis auxilia iisdem denegando: id unum inquirimus an extet aliquod peccatum, quod qui commiserint, quantumvis Pœnitentes ab Ecclesiæ indulgentia excludi debeant. Affirmarunt Novatiani; at pessimè ex objectis textibus probaverunt.

Ad 3. *Dicendum* cum S. Thoma in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. *quod veniam consecutus fuisset Antiochus, si verè pœnituisset; sed non habuit veram pœnitentiam, quia non ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ quam sustinebat.*

Ad 4. Sermo hic est de iis, qui post hanc vitam inutilem agunt Pœnitentiam. Vel si laudata Proverbiorum verba intelligere placeat de iis, qui in fine duntaxat vitæ ad Deum confugiunt, sensus erit à Deo irrideri peccatores in interitu, quia ad ipsum non ex sincera peccatorum detestatione, sed ex solo ingruentis calamitatis metu recurrunt. Si enim vel in illo postremo instanti præterita mala piè plangerent, experirentur non inaniter dictum: *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, Joël 2.

Inst. S. Joan. Epist. 1. C. 5. sic habet: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Atqui peccatum pro quo ne-

nequidem orare licet, eſt prorsùs irremiſſibile. R. diſt. maj. Peccatum pro cujus venia orare non licet, tam peccatori ipſi, quàm aliis, eſt irremiſſibile C. pro quo non licet aliis orare, Subd. pro quo non licet orare ſimpliciter, C. pro quo non licet orare ſecundùm quid; id eſt tam confidenter,quàm pro alio levioris peccati genere orarent, N. Tria ſtatuimus, 1mo. peccatum ad mortem nihil aliud eſſe, quàm apoſtaſiam à fide Chriſti, præcipuè per novam idololatriæ profeſſionem, quia coincidit ſenſus hujuſce loci in eum quem affiximus his Pauli verbis: *Voluntariè peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Statuimus 2do. eſſe admodùm difficile, ut qui ad hanc vomitus ſpeciem redit, veniam illius conſequatur; quia unam ſalutis victimam, Chriſtum Dominum abjicit. Statuimus 3tio. haud tamen impoſſibile eſſe, ut hujuſmodi peccatores veniam impietatis ſuæ conſequantur; tum quia non equidem præcipit, ſed, quod cautè notandum, non etiam vetat Apoſtolus nè pro ipſis oretur; tum quia etiamſi cuipiam ſubtrahatur omnis Sanctorum oratio, poteſt auxiliante gratia ad meliorem frugem reverti; nec deſunt relapſorum exempla, quibus id confirmari poſſit.

Obj. 2do. Celebre id Matthæi, C. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Atqui juxta hunc textum blaſphemia in Spiritum S. omninò irremiſibilis eſt. Quod enim penès veniam opponitur blaſphemiæ admodùm difficili remiſſu, nullo modo remitti poteſt. Atqui blaſphemia in Spiritum S. opponitur blaſphemiæ admodùm remiſſu difficili: nimirùm blaſphemiæ in Filium hominis, quæ profectò nonniſi difficillimè remitti poteſt.

Ut intelligatur ſolutio, ſupponendum eſt cum SS. Athanaſio, Hilario, Ambroſio & aliis pluribus, nomine peccati contra Spiritum S. intelligi illam blaſphemiæ ſpeciem, qua quis ex mera malitia, contra veritatem ſibi cognitam, Spiritus S. opera diabolo attribuit, nè regnum Dei & vera fides apud populos germinet. Hoc porrò genus peccati dicitur contra Spiritum S. non quia non etiam ſit contra Patrem & Filium, ſed quia Spiritui S. tribuitur miraculorum operatio, & mentium illuſtratio ad cognoſcendam veritatem. Unde ſicut peccatum ex infirmitate dicitur contra Patrem, cui tribuitur potentia; peccatum ex ignorantia contra Filium, cui tribuitur ſapientia; ità & peccatum de quo nunc, dicitur contra Spiritum, quia huic

tri-

tribuitur bonitas & illuminatio, quæ per hanc peccati speciem insigniter oppugnantur. His positis,

R. ad 1. neg. min. Hæc enim verba: *Non remittetur in hoc sæculo, neque in futuro*, etsi magnam remissionis difficultatem exprimunt, non tamen impossibilitatem omnimodam. Id autem liquet ex Chrysost. Hom. 42. in Matt. *Spiritu sne*, inquies, *blasphemia non dimittetur Pœnitentibus? hoc omninò falsum esse patet: nam & hoc peccatum dimissum scimus, cùm multis eorum qui talia in Spiritum S. dixerunt, ignotum esse constet. Quid igitur est hoc quod dicit? Significare voluit multò minùs cæteris hoc esse ignoscibile*, &c. Ideò autem difficillima est peccati illius condonatio, 1mo. quia nihil est quod malitiam ejus imminuat. *In cæteris peccatis*, ait S. Pacianus, Epist. 3. *aut errore labimur, aut frangimur metu, aut carnis infirmitate superamur*: hic tota peccandi ratio est facinorosa veritatis apertæ impugnatio; 2do. quia peccatum nonnisi per lumen & calorem Spiritus S. solvitur: utrique autem oculos obstinatè præcludit, qui operationes ejus in hostem salutis refundere audet.

Ad 2. neg. maj. ut enim penès veniam longum sit discrimen inter peccatum contra Filium hominis, & peccatum contra Spiritum S. necesse non est ut posterius sit remissu prorsùs impossibile; sed sufficit ut condonatio hujus longè difficilior sit remissione alterius etiam magnoperè difficili. Sic ut inter Ethiopem & Peccatorem sit oppositio, non requiritur ut conversio planè impossibilis sit peccatori, satis est ut hæc ei difficillima sit.

Inst. Verba Christi eo modo intelligi debent, quo à majori doctiorum Patrum numero intellecta sunt. Atqui ab his intellecta sunt de omnimoda remissionis impossibilitate. Instar aliorum sit Athanasius, Epist. 4. ad Serapion. ubi sic, n. 12. *Cùm illos*, Pharisæos nempè, *de multis criminibus priùs accusaret Salvator, quòd scilicet legem de* honorandis *parentibus latam propter pecuniam transgrederentur, &c. attamen hortabatur eos ut pœnitentiam agerent. Verùm ubi ipsum dicerent* (id est dicere cœperunt) *in Beelzebubem ejicere demonia; non hoc ultra, peccatum simpliciter, sed blasphemiam dixit esse tantam, ut qui talia proferre ausi essent, nec pœnam effugere, nec veniam obtinere possent - - - Unde meritò pro tali impietate indeprecabili*, [seu, ut infrà loquitur, *inveniabili*] *sunt supplicio obnoxii*, &c. Ex iis sic: Peccatum quod nec pœnam effugere, nec veniam obtinere potest, quod est *indeprecabile* & *inveniabile*, dubio procul irremissibile censeri debet, atqui talis est, ex S. Athanasio blasphemia in Spiritum. R. dist. min. Blasphemia in Spiritum S. veniam obtinere non potest, com-

paratè ad blasphemiam in Filium hominis, id est longè difficiliùs remittitur, C. non potest absolutè, quasi simpliciter sit inexpiabilis, N. Itaque contendit & meritò, Athanasius blasphemiam in Spiritum S. longè difficiliùs remitti quàm aliud quodcumque peccatum; quia illum ipsum Spiritum, quo peccata remittuntur, directè impetit, & quasi in dæmonem transvertit, quo nihil potest fingi scelestius. At nusquam docuit Athanasius peccatum illud omninò veniæ incapax esse: 1mo. enim peccatum illud iis opponit quæ in Christum ut hominem committuntur; & hæc *citò*, *facilè* & *celeriter* remitti declarat, num. 15. Ergo ut sufficiens extet inter utrumque peccati speciem oppositio, sufficit ut peccatum contra Spiritum S. nec citò nec celeriter pœnitentiâ dilui possit. 2do. S. Doctor Pharisæos & Arianos ex æquo reos facit peccati in Spiritum S. & *tam illis quàm istis nullam fore supplicii huic flagitio debiti remissionem* declarat, ibid. n. 23. quod & ad Pneumatomachos extendit, Epist. 3. n. 7. Atqui non ideò existimavit Arianos vel Pneumatomachos veniæ prorsùs esse incapaces: hos enim ibid. ad pœnitentiam hortatur, quia, inquit, *fortasse vel serò tandem resipiscentes, antè insitum errorem abstergent ab anima sua.* Illos verò, Ariomanitas nimirùm, admisit ipse ad pacem in Synodo Alexandrina, an. 362. servata etiam pristina dignitate, iis qui hæreseos Authores non fuissent.

Inst. 1mo. Atqui Athanasius expressim docet blasphemiam in Spiritum S. omninò esse irremissibilem. Ergo nulla est solutio. Prob. Subs. ex his, ibid. n. 9. S. Doctoris verbis. *Origenes & Theognostus aiunt illam esse in Spiritum S. blasphemiam, cùm ii quibus in baptismate donum Spiritus S. tribuitur, ad peccata recidunt.* Sed malè: alioqui *cur hominem apud Corinthios Pœnitentem in charitate confirmat Paulus? &c.* Unde sic. Qui supponit blasphemiam contra Spiritum in systemate Theognisti & Origenis prorsùs esse irremissibilem, iisdemque hoc in puncto consentit, hoc unum redarguens, quod uterque Scriptor contenderet omnia post Baptismum peccata illam esse contra Spiritum blasphemiam; is certè blasphemiam in Spiritum S. non difficilè tantùm; sed prorsùs irremissibilem existimavit. Atqui Athanasius, &c. Resp. ad 1. neg. Subs. Ad 2. neg. min. pro utraque parte: Neque enim vel supponit Athanasius blasphemiam in Spiritum Theognosto & Origeni prorsùs esse irremissibilem, vel iisdem in hac hypothesi consentit. Non supponit primum; tum quia ambigebat ipse de utriusque Authoris sensu, ut ipse ibidem fatetur; tum quia aliud est ambiguæ locutionis sensus omnes excutere & impugnare; aliud pro certo supponere, Authorem ejus pejorem sensum

ſum intendiſſe. Sed nec etiam utrique Scriptori, juxta ſenſum hunc intellecto, conſentit: parum enim eo loco ſollicitus qua ratione blaſphemia in Spiritum dicatur irremiſſibilis; hoc unum intendit, non omne baptiſatorum crimen æſtimari poſſe blaſphemiam in Spiritum S. Id autem nulla certiori via poteſt aſtruere, quàm, quodam argumento ad hominem, blaſphemiæ hujus irremiſſibilitatem exaggerando. Quò enim major fingebatur, eò perſpicuè magis apparebat peccata inceſti Corinthii, & Galatarum, qui baptiſati fuerant, non eſſe blaſphemias in Spiritum S.

Inſt. 2do. Vincebant, teſte Athanaſio, Novatiani, ſi omnia baptiſatorum peccata totidem erant blaſphemiæ in Spiritum. Atqui non viciſſent, niſi blaſphemiam in Spiritum prorsùs irremiſſibilem ſuppoſuiſſet S. Doctor.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Vincebant quantùm ad aliquid Novatiani, ſi, &c. C. Vincebant quantùm ad omnia, N. Duplex erat erroris Novatiani caput; 1. quòd omnia baptiſatorum peccata illam crederent eſſe blaſphemiam in Spiritum S. de qua loquitur Chriſtus in Evangelio; 2. quòd blaſphemiam illam omninò irremiſſibilem eſſe crederent. Utrumque culpabant Patres, ſimul quandoque, quandoque diviſim. Primum in objecto loco redarguit Athanaſius; ad ſecundum non attingit, fortè quia necdum examinaſſet gravitatem peccati contra Spiritum S. Eodem ſolves modo quæ objici poſſent ex Hilario, Ambroſio, Hyeronimo, &c.

Quæres an mortale, unum ſine alio remitti poſſit. R. negat. 1mo. quia peccatum mortale non poteſt remitti ſine vera pœnitentia. Atqui nulla eſt de uno peccato mortali vera pœnitentia, niſi ſimul ſit de cæteris omnibus. Vera enim pœnitentia peccatum odit, *quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*, prout loquitur S. Thomas. Atqui virtus quæ peccatum odit hoc ſenſu, neceſſariò peccatum quodcumque mortale odit. 2do. Quia peccatum mortale, juxta ſolitas providentiæ leges, non remittitur ſine infuſione gratiæ. Atqui gratia incompoſſibilis eſt cum quocumque mortali peccato: alioqui idem homo ſimul eſſet amicus & inimicus Dei, cœli hæres ſimul & inferi.

Aliud eſt de venialibus. Conſtat enim veniale unum ſine alio remitti poſſe, & ſæpiùs de facto remitti, quia quæ impediunt ne mortale unum remittatur ſine alio, non militant in puris venialibus: gratia enim juſtificans, quæ mortalia omnia abigit, vel nullum, venialia compatitur.

§. II. *An Pœnitentia verè peccata dimittat.*

Triplex eſt ea de re ſententia. Prima heterodoxorum, qui ſolvendi poteſtatem Eccleſiæ conceſſam reponunt in exteriori miniſterio, per quod concionatoriè declarant Paſtores ſua reſipiſcentibus peccata remiſſa eſſe. Secunda Magiſtri Sentent. L. 4. diſt. 18. qui ſupponens contritionem perfectam in Pœnitentibus prærequiri, ut à Sacerdote abſolvi validè poſſint, hinc deducit quòd Sacerdotes *peccata dimittunt vel retinent, dum dimiſſa à Deo vel retenta judicant & oſtendunt.* Tertia cæterorum, quibuſcum ſit

Conclusio. Abſolutio ſacramentalis non tantùm declarat remiſſa eſſe peccata, ſed ea verè & propriè coram Deo dimittit.

Prob. 1mo. ex eo Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & - - - quodcumque ſolveritis ſuper terram, &c.* Atqui dantur claves ut verè aperiatur oſtium, non ut jam apertum fuiſſe declaretur.

Prob. 2do. ex Patribus. Chryſoſt. Lib. 3. de Sacerd. cap. 6. Novæ Legis Sacerdotes *non lepram corporis, ſed immunditiam animæ, non purgatam probandi, ſed prorsùs purgandi poteſtatem acceperunt.* Ambroſius, L. de Pœnit. c. 2. *Impoſſibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt.* Atqui hic traditur poteſtas purgandi animæ immunditiam, non purgatam probandi; poteſtas tanta, ut eam mortalium cuipiam concedi impoſſibile videretur, qualis ſanè non eſt poteſtas merè declaratoria.

Prob. 3tio. tum ex Trid. Seſſ. 14. Can. 9. ubi hæc: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata anathema ſit*; tum quia cùm P. Seguenot in notis ad Auguſtini Librum de ſanctâ virginitate contendiſſet abſolutionem nihil aliud eſſe quàm juridicam peccati jam condonati remiſſionem, condonati, inquam, perfectâ illa contritione quam idem Scriptor ad Sacramenti valorem prærequirebat, ſacra Facultas Pariſienſis *cenſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum perturbativas, communi & omninò tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Poenitentiæ imminutivas, & inſuper temerarias & erroneas.* Eamdem hanc opinionem in Caſtro Vincennenſi ejuravit Vergerius, Abbas S. Cigirani, imò &, niſi memoria lapſus ſit, perjurè aſſeruit ſuam nunquam fuiſſe.

Prob.

Prob. 4to. rationibus theologicis. Prima desumitur ex hujus Sacramenti effectu. Is enim ex Decreto Florentino est absolutio à peccatis; ex Tridentino autem, sess. 14. cap. 3. reconciliatio cum Deo. Atqui in opinione nostræ contraria, Pœnitentia nusquam effectum hunc verè & propriè pareret: non enim verè absolvitur per Sacramentum, qui verè jam per contritionem perfectam absolutus est; nec verè reconciliatur per idem Sacramentum, quem Sacramentum jam omninò reconciliatum esse declarat.

2. Eodem modo solvit Sacerdos peccata, cùm dicit, *Ego te absolvo*, ac eadem solvit cùm in Baptismo dicit, *Egò te baptiso*. Atqui in Baptismo ministerialiter quidem, at verè tamen solvit peccata, non tantùm soluta declarat.

Obj. 1mo. Potissima nostra probatio ex his desumitur verbis, *Quorum remiseritis*, &c. Atqui verba hæc meram condonati peccati declarationem non raro significant. Sic illud Luc. 7. 48. *Remittuntur tibi peccata tua*, idem est ac, Declaro remissa. Jam enim reapsè dimissa erant, cùm v. 47. dixerat Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* R. neg. min. Neque enim quia *remittere*, semel idem fuerit ac *remissum declarare*, ideò id unum ubique significabit; & multò minùs, cùm ad remissionis propriè dictæ sensum determinabitur. Atqui Matth. 16. & Joan. 20. vox *solvendi* & *remittendi* ad proprium veræ remissionis sensum manifestè determinatur. Siquidem Matth. 16. vult Christus semetipso dignam confessioni Petri mercedem rependere: Joannis autem 20. Apostolos ea donat potestate, cum qua à Patre suo missus est; à Patre, inquam, qui omnem *in Coelo & in Terra* potestatem Filio dedit. Hæc porrò exigunt ut Christus aliquid concesserit longè præstantius potestate simpliciter declaratoria, quæ ipsi Nathan concessa fuerat. Unde hanc multò sublimiori sensu tota semper intellexit Ecclesia, uti probatum est. Adde quòd apud Lucam textus Græcus pro *remittuntur*, habet *remissa sunt*, unde tollitur omnis difficultas.

Obj. 2do. Quod supponit Pœnitentem, cùm solvitur à Sacerdotibus, in eo esse statu, in quo erat Lazarus, cùm solutus est à Discipulis, supponit eum jam spiritu gratiæ viventem, prohinc jam verè absolutum à peccatis. Atqui sacerdotalis absolutio supponit - - - Minor constat ex August. Serm. 67. & Gregorio Magno, Hom. 25. in Evang. ubi peccator qui à Sacerdote absolvitur, comparatur Lazaro, prout à Discipulis soluto, ac proinde jam à mortuis suscitato. R. neg. min. Nam supponunt quidem Patres, in peccatore, ad hoc ut instar Lazari à Discipulis solvi possit, certas spiritalis vitæ inchoationes

præstrequiri, quæ si desint, manet ille in sepulcro, nec usquam à vinculis suis expediri potest. At non docent necessum esse ut dispositiones illæ ad plenam usque vitam, seu ad veræ justitiæ statum pertingant. Sic enim mentem suam evolvit August. Concione 2. in Psalm. 101. *Cùm audis hominem poenitere peccatorum suorum, jam revixit: cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit, erunt soluta & in Coelo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem mortuus, nonnisi intùs clamante Domino, potest: hæc enim Dominus interius agit.* Atqui hæc verba, *jam revixit, jam de sepulchro eductus est*, non exprimunt plenam hanc vitam, qua status peccati necessariò excluditur. Alioqui jam non daretur *per Ecclesiam solutio peccatorum*; nec tantoperè iis metuendem esset, qui ex hac vita migrant, ante quam à Sacerdotibus soluti fuerint; quod repugnat Augustino. Eadem est ad Gregorium responsio.

Inst. 1mo. Juxta citatos Patres nihilo plus possunt Sacerdotes erga peccatorem, quàm discipuli erga Lazarum, cùm hunc á vinculis suis solverunt. Atqui Discipuli reipsa Lazarum non suscitarunt à morte. R. dist. maj. Nihil plus possunt Sacerdotes erga peccatorem, quantum ad commotionem & conversionem cordis ejus, C. quantùm ad absolutionem peccati, N. Ad justificationem peccatoris quædam ex parte Dei necessaria sunt, putà ut peccatoris mentem illustret, cor ejus salubri timore configat, &c. Hæc autem Sacerdotes non magis præstare possunt, quàm potuerint Discipuli per se solos Lazari animam in cadaver ipsius revocare. Id ergo unum trita hac sua comparatione exprimere voluerunt Patres, quòd sicut Apostoli frustra Lazari cadaver solvissent, nisi priùs Christus voce magna clamando: *Lazare, veni foras*, eidem vitæ spiritum restituisset, quod non erat virtutis Apostolicæ, sed divinæ, ità perperam Sacerdotalis manus peccatores solvere præsumeret nisi priùs efficaciter audiissent Deum interiùs clamantem, *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Qui plus quidpiam in ea similitudine requiret, à Patrum instituto aberrabit. Qui enim alibi docent peccatorem tandiu mortuum esse, donec Sacerdotum ministerio resurgat; ità ut eodem secluso ministerio æterna ejus salus summopere periclitetur, hi profectò longum instituunt discrimen inter spiritalem ejus vitam, antequam absolvatur à Sacerdotibus, & naturalem Lazari vitam, antequam is à Discipulis solveretur. Atqui Patres, &c.

Inst. 2do. ex Hieronym. in c. 16. Matth. *Quomodo in Lege Mosaica leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic &*

in nova Lege *alligat Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scis qui ligandus sit, quive solvendus.* Unde sic: Christiani Sacerdotes nihil aliud præstant quo ad peccatores quos solvunt, quàm Sacerdotes Levitici quo ad leprosos. Atqui Levitici Sacerdotes non mundabant leprosos sed mundatos declarabant. R. dist. maj. non aliud præstant Christiani Sacerdotes, quàm præstabant Levitici quo ad leprosos spectatos ratione immunditiæ legalis, C. ratione immunditiæ naturalis, Subd. non aliud præstant quantùm ad aliquid, C. quantùm ad omnia, N. Duplex immunditia in leproso & in peccatore distingui debet. In leproso quidem alia est immunditia naturalis, quæ ex ipsa putidi morbi conditione exurgit, & propter quam ab aliorum consortio arcetur: Alia est immunditia legalis, quæ homines ea labe infectos excludebat à sacris. In peccatore pariter duplex est immunditia, alia actualis, per quam mente cæcus divina obliviscitur, & durus corde inhiat terrenis. Habitualis alia, quæ est ipsa peccati labes ex præteritis delictis resultans. Jam verò Levitici & Christiani Sacerdotes in multis conveniunt quantùm ad lepram ex una parte, & peccatum ex altera. Ut enim primi naturalem lepram tollere non poterant, sic nec secundi cæcitatem mentis ac cordis duritiam auferre possunt. Ut primi non antè leprosum admittebant ad sacra, quàm ritè probassent an desiisset morbus; sic nec secundi peccatorem antea reconciliare debent, quàm sufficienter exploraverint annon renuntiaverit peccato. Demùm ut primi legalem immunditiam verè, & propriè tollebant, cùm hæc tandiu superesset, donec declarasset Sacerdos eam desiisse; sic verè & propriè secundi habitualem peccati maculam tollunt; cùm hæc tandiu maneat, donec per claves, aut per contritionem in ordine ad claves, sublata fuerit. Invehit tamen tertia hæc Leviticos inter & Evangelicos Sacerdotes similitudo summam inter utrosque dissimilitudinem. Levitici enim Sacerdotes nulla verborum arte in corpus lepra infectum efficaciter agere poterant: nostri verò Sacerdotes in animam peccati labe sordidam agunt potenter, eamque virtute sibi à Christo indita ex atra *super nivem* dealbant. Id porrò à cæteris Patribus constanter agnitum, nusquam negavit Hieronymus. Quæ igitur mens S. Doctoris? Una hæc, ut eorum temeritatem castiget, qui, quasi pro arbitrio peccatores sanare possint vel enecare, nulla meriti vel demeriti habita ratione absolutionem negant aut concedunt: cùm è contra *pro officio suo*, & *peccatorum varietates*, & Pœnitentium affectus dignoscere debeant, ut scire possint, *quis ligandus sit, quisve solvendus.*

dus. Et verò, quod eo loci redarguit Hieronymus in Episcopis vel Presbyteris, qui clavium potestate abusi malè ligabant aut solvebant, hoc in iisdem redarguisset, si vel indignos admisissent ad baptismum, vel dignos ab eo removissent. Atqui non ideo suam Baptismo virtutem ademisse censeretur. Ergo nec suam clavibus vim in objecto textu ademisse censeri debet.

Inst. 3tio. Ex Hieronymo ibid. *apud Deum non quæritur sententia Sacerdotum, sed reorum vita.* Atqui si Sacerdotes reum verè solverent, non tantùm quæreretur vita ejus, sed & quæri deberet sententia Sacerdotum. R. dist. maj. Non quæritur Sacerdotum sententia, quasi hæc sufficiat seclusis Pœnitentium dispositionibus, C. quasi hæc cum piis eorum dispositionibus necessaria non sit, N. Sanè apud Deum quæritur reorum vita, quia nemo reus solvi potest, nisi hunc Deus dignum judicet qui solvatur. *Tunc enim,* ait Gregorius Magnus, Hom. 26. in Evang. *vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis.* At non ideo vel otiosa est absolutio, cùm legitimè profertur, vel veniæ jàm obtentæ merè declaratoria. Sicut enim præviæ requiruntur dispositiones ad Baptismum, & tamen verè solvit peccata; sic & præviæ ad Pœnitentiam requiruntur, citra dispendium efficaciæ ejusdem.

§. III. *An Poenitentia poenæ reatum tollat.*

Certum est apud Pseudoreformatos ut & apud Catholicos, 1mo. æternam pœnam lethali cuilibet peccato respondere. 2do. esse aliquam temporalem pœnam, mortem scilicet & hujus vitæ miserias, quæ nulla Pœnitentia expungatur; 3tio. esse & aliquam, quæ dilui possit, seu per Baptisma, seu per Martyrium, seu per ardentissimam contritionem. At controvertunt iidem inter se, an, deletâ per Pœnitentiam culpâ, deleatur semper reatus cujuslibet pœnæ temporalis. Affirmant cum Lutheranis Calviniani, atque hinc inferunt 1mo. Vanam esse Purgatorii & Indulgentiarum fidem; 2do. peccatorem qui semel ab iniquitatis via resipuit, ad nullam omnino pro præteritis lapsibus satisfactionem teneri. Sit

Conclusio. Quoties per Pœnitentiam tollitur reatus culpæ, tollitur reatus pœnæ æternæ, at non tollitur semper reatus pœnæ temporalis.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Rom. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Sed quibus dimissa est per Pœnitentiam culpa, ii sunt in Christo Jesu per gratiam justificationis. Ergo liberi sunt cùm à peccato mortali quod est causa damnationis, tum ab ipsa damnatione. 2do. Quia ut

ait

ait Trid. Sess. 14. c. 7. nunquam remittitur peccatum mortale citra infusionem gratiæ, qua *homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.* Sed qui justus est, Dei amicus, & vitæ æternæ hæres, is æternæ pœnæ obnoxius esse nequit.

Prob. 2. pars, pluribus Scripturæ exemplis. Genes. 3. Protoparens in delicti sui pœnam id audiit à Deo: *Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultus tui vesceris pane, pulvis es, & in pulverem reverteris.* Atqui ærumnas illas toto vitæ decursu sensit Adam, licèt *è delicto suo* eductus esset, ut dicitur Sap. 10. Ergo remissa culpa non semper remittitur temporalis pœnæ reatus.

Num. 20. Excluduntur Moyses & Aaron à terra promissionis, *eò quòd increduli fuerint ori* Domini *ad aquas contradictionis.* Atqui uterque suam hanc noxam salubri Pœnitentia diluerat. Ergo diluto etiam peccato, manet reatus pœnæ.

2. Reg. 12. David sceleris sui veniam recipit his Nathan verbis: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Atqui tamen propter idem scelus gravissimis pœnis afficitur: *Quoniam,* ait Propheta, *blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Neque ob pœnitentes Regis lacrymas, retractata est isthæc Dei comminatio: *Non recedet gladius de domo tua, eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ.* Atqui hic inducitur pœna Davidi, non solùm in emendationem ejus, aut aliorum terrorem, uti reponunt Novatores, sed in pœnam perpetrati criminis. Nimirùm QUONIAM *blasphemare fecit inimicos Domini*; EÒ QUÒD *contempserit* Deum, &c. Porrò eadem est novæ Legis ratio. Mors enim & aliæ vitæ hujus ærumnæ totidem sunt ut plurimùm peccati pœnæ. Atqui morti subjacent & ærumnis vitæ ii etiam quibus in Baptismo dimissum est peccatum originale. Ergo sublato peccato manent pœnæ, non ad exercitium virtutis, ut patet in infantibus, sed ad ultionem peccati.

Prob. 2do. ex PP. Aug. in Ps. 50. *Veritatem dilexisti, id est, Impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti -- Sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem.* Consonat id Gregorii Mag. L. 9. Moral. cap. 34. *Delictum sine ultione non deserit Deus: aut enim ipse hoc homo in se Poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit - - - - Sic David post confessionem audire meruit:* Dominus transtulit peccatum tuum, *& tamen multis post cruciatibus afflictus & fugiens, reatum culpæ quam perpetraverat exolvit.* Ubi conclusio nostra traditur & probatur. Quod enim reponit Kemnitius, hæc *Patribus inconsideratè excidisse,* eosque, cùm talia

ſcripſerunt, *hyperbolicè magìs* locutos, *quàm verè*; non tam inconſiderata eſt hyperbole, quàm putidum evanidi cerebri dilirium.

Obj. 1mo. id Ezech. 18. *Si impius egerit Poenitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis - - - omnium iniquitatum ejus non recordabor:* Ibid. 33. *Omnia peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei.* Unde paſſim exhibetur Deus uti poſt tergum vel in profundum peccata ſemel dimiſſa projiciens. Atqui in opinione noſtra recordaretur Deus illius etiam inquitatis, de qua quis Pœnitentiam egiſſet. R. diſt. maj. Cùm impius agit Pœnitentiam, Deus iniquitatum ejus non recordatur, neque ea imputat ad pœnam æternam, ſed eatenus tegit, & projicit in profundum, C. Ad temporalem, Subd. Non recordatur, ſi impius acri Pœnitentiæ ſenſu peccatum omne expungat, prout Magdalenæ, Paulo, & aliis quibuſdam contingere potuit, C. ſecus N.

Obj. 2do. Satisfactio Chriſti copioſa fuit. Atqui ſi tenetur homo pro peccata ſatisfacere, mutila fuit ſatisfactio Chriſti, nedum *copioſa redemptio.* Non enim offertur ſatisfactio, nisi adhuc ſuperſit debitum aliquod quod perſolutum non fuerit. Atqui ubi ſupereſt debitum iſtud, non potuit præcedere copioſa ſatisfactio. R. ad 1. neg. min. Sicut enim copioſa fuit oratio Chriſti, & adhuc tamen orare debemus, neque orando, divinæ detrahimus orationi; ſed è contra quia totam ſuam vim habet oratio noſtra ab oratione Chriſti: ſic & iiſdem de cauſis ſatisfaciendo, divinam commendamus ſatisfactionem nedum ei quidpiam detrahamus.

Ad 2. neg. maj. Offertur enim ſatisfactio pro re jam perſoluta, ſed cujus poſſeſſionem certis conditionibus alligavit Chriſtus, ſicut funditur oratio pro re jam in gratiam noſtri obtenta, ſed quam Chriſtus à nobis de facto obtineri noluit, nisì hanc in ipſius nomine deprecaremur. Quapropter ſolvit Chriſtus in actu primo pretium ſuperabundans debiti noſtri: at debitum iſtud in actu ſecundo expungi noluit, niſi illud per bona opera, quæ plus ſunt, quàm noſtra, redimere conaremur.

Obj. 4to. SS. PP. ſatisfactionis noſtræ neceſſitatem excludunt. Sic Ambroſius, L. 10. in Luc. *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Sic Aug. in Pſ. 84. *Operuiſti omnia peccata eorum - - - ut non illa vindicares.* Sic Chryſoſt. Homil. de Pœnit. *Imponit nobis Deus poenam, non de peccatis ſupplicium ſumens, ſed ad futura nos corrigens.* Atqui hæc ipſiſſimum ſunt Calvini ſyſtema. R. neg. min. quæ nullam in objectis textibus præſidium habet. Non in Ambroſio, cujus ea tantùm mens eſt S. Petrum crimen ſuum defleviſſe, non au-

tem

tem excusavisse; unde subdit: *Quod defendi non potest, ablui potest.* Et verò ad quid Petri lacrymæ, nisi ut scelus suum dilueret? *Certè*, ait alibi Ambrosius: *grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Non in Augustino, cujus ex verbis sequitur equidem Deum sic operire peccata quæ dimittit, ut eadem æterna pœna non plectat; non autem ut nullam prorsùs de iis ultionem sumat ad tempus. Non in Chrysostomo, quicum libenter fatemur, Deum in peccati pœna, non tantùm, ut terreni Judices solent, quærere vindictam; sed, quod patris optimi est, utilitatem eorum quos plectit; ità ut justitia & pax sese osculentur. Quod autem pro peccato satisfactionem deberi non negat S. Doctor, hinc liquet quòd ibid. asserat, *peccatores non manere inultos*, his à Deo *constitui poenam, non remitti supplicium*, &c.

§. IV. *An Poenitentia ita tollat peccatum ut nunquam reviviscat.*

Quæritur an peccata in Baptismo vel in Sacramento Pœnitentiæ deleta, reviviscant, cùm is cui dimissa fuêre, in novum peccatum prolabitur; an, inquam, reviviscant imputativè, tum quo ad maculam, tum quo ad reatum pœnæ; adeò ut Deus qui prius peccatum condonando renuntiaverat juri illud aversandi & puniendi, in jus illud regrediatur, & factam à se condonationem rescindat. Sit

CONCLUSIO I. Peccata semel verè dimissa non redeunt simpliciter & absolutè.

Prob. 1mo. Si peccata semel condonata reviviscerent simpliciter, vel quo ad culpæ reatum, vel quo ad reatum pœnæ, vel quo ad utrumque simul. Atqui nullum est ex his, quod ex Scriptura vel Traditione deduci possit: imò contrarium ex utraque colligitur. 1mo. enim, Rom. 11. *sine Poenitentia sunt dona Dei*: ergo quod donavit semel, non retractat. 2do. Ezech. 18. dicitur purè & simpliciter: *Convertimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Atqui esset in ruinam iniquitas quæ sicut priùs, ad culpam aut pœnam imputaretur. Hinc S. Prosper, resp. 2. ad object. Gall. *Qui recedit à Christo - - - non in id quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur.* Nec aliud docent cæteri Patres.

Prob. 2do. Si reviviscerent peccata, utique per Pœnitentiæ Sacramentum, quod iis remittendis institutum est, deleri deberent, prohincque denuò Ecclesiæ clavibus subjici. Atqui consequens totius Ecclesiæ praxi adversum est. Sanè, ait Benedictus XI. Extravag. 1. de Privileg. *Absurdum est quòd per Poeniten-*

nitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor adhuc adsolvendum remaneat obligatus.

Obj. 1mo. Sarepthana mulier ad Eliam ait: *Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ.* Et Psal. 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.* Atqui si dimissa semel peccata non redirent, Deus eorum non recordaretur. R. dist. maj. Peccata quo ad culpam tantùm dimissa redeunt in memoriam Dei, Esto. Dimissa quo ad culpam simul & pœnam, N. In objectis textibus vel agitur de peccatis quo ad culpam dimissis, quæ Deus oblitus esse videbatur, quia horum differebat pœnam, & quorum tandem videtur meminisse, dum novis exacerbatus peccatis, hæc simul plectit cum prioribus; vel agitur de peccatis quæ potius dissimulata sunt quàm condonata, ut Psalm 108. Nihil autem mirum si Deus, qui hæc quasi oblitus videbatur, ea tandem severè plectat.

Obj. 2o. Christus, Matth. 18. adducta parabola Regis qui à servo in conservum suum immisericordi repetit illud etiam debitum quod ei dimiserat, sic prosequitur; *Sic & Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ergo peccata priùs dimissa redeunt ubi deest charitas fraterna. R. neg. conseq. 1mo. quia peccatum servi illius, etsi ab homine dimissum reipsa dimissum non erat à Deo: neque enim qui intuetur cor, Deus, hominis ad crudelitatem usque duri peccatum condonaverat; 2do. quia, ut Chrysostomus observat in Parabolis, duo sunt partium genera, quædam ad usum, quædam ad ornamentum; hæ adjectitiæ sunt, nec ad vivum resecandæ; illæ necessariæ sunt, & dogmaticæ. In præsenti parabola, Rex, duo servi, condonatio decem milium talentorum, debitum centum denariorum quos duriùs repetit immitis servus, partes sunt necessariæ; atque ex his ad mentem Christi colligere est à nobis condonandum esse proximo quidquid is in nos deliquit, ut condonet Deus quidquid in ipsum peccavimus; Cætera verò adjectitia sunt, nec citra fidei periculum urgeri valent. An enim Deus relatu hominum indiget ut discat quid egerit servus cum servo? An remittit debitum antequam fratri dimittamus?

Inst. August. Serm. 83. c. 6. sic ex adductis Christi verbis loquitur: *Dicit Deus, Dimitte & dimittetur tibi - - - Nam si non dimiseris, quidquid dimiseram replicabo tibi.* Sed qui docet dimissa eis replicari quibus dimissa erant, docet eadem revivíscere. R. neg. min. Fieri enim potest ut quæ semel dimissa sunt, non reviviscant formaliter, & tamen nobis replicentur æquivalenter; quia peccata quæ veniam sequuntur, ingrati animi vitium involvunt, & eò plectendum magis quo & plura

&

& facilius condonata fuêre. Ergo Augustinus, & qui ei, Lib. 4. Dialog. concinit Gregorius, alio quàm objectionis sensu intelligi possunt: si autem possunt, debent, nè à trita via recessisse dicantur.

Docet quidem Augustinus, L. 1. de Bapt. c. 12. *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est*: verùm S. Doctor eo loci loquitur tantùm de peccatis quæ, licet apparenter dimissa sint, reipsa nihilominùs dimissa non fuêre. Loquitur enim de peccatis hominis qui in odio fraterno perseverans Baptismo tinctus est; is autem peccatorum veniam verè obtinere non potuit. Ergo nec huic propriè redeunt peccata, licet impropriè redire dici possint, quatenùs iis quæ denuò committit peccatis adjunguntur, & ipsi simul in damum cedunt.

CONCLUSIO II. Peccata deleta, per posteriora reviviscunt secundùm quid & virtualiter.

Prob. 1mo. Duplici sensu possunt peccata redire virtualiter per sequens peccatum, 1mo. si redeunt in simili, quomodò febrim dicimus redire, cùm in illam recidit qui ab ea sanatus erat; 2do. cùm causa sunt cur posterius peccatum gravius sit, & graviùs plecti mereatur. Atqui peccata jam dimissa per posteriora redeunt utroque hoc sensu: priori quidem, quia posterius peccatum eandem inducit ac prius gratiæ privationem, eumdem & æternæ culpæ reatum: posteriori verò, tum quia, sicut relapsus in febrim periculosior est, ità quoque posterius peccatum modò fit gravius priori, propter ingrati animi vitium; tum quia exasperatus repetito delicto Deus gratias subtrahit uberiores, quarum defectu peccator sic noxas noxis cumulat ut *fiant novissima illius pejora prioribus.*

Obj. Si res ità sit, in peccato relapsus duplex erit culpa, furti, v. g. & ingratitudinis. Atqui falsum consequens: alioqui hæc ingratitudinis circumstantia in confessione aperienda foret; quod nemo cogitat.

Not. Ingratitudo duplex distinguitur; *materialis* alia, qua inadvertenter fit aliquid contra debitum gratitudinis; alia *formalis*, quæ vel est *directa*, cùm quis post veniam rursùm peccat eo animo ut ostendat se parvi beneficium & Benefactorem facere; vel *indirecta*, qua quis in eodem casu peccat, advertens quidem aut advertere valens id Benefactori displicere: haud tamen eo animo ut eidem displiceat, & beneficium ejus aspernetur. His positis,

R. ad 1. neg. min. Ad 2. dico circumstantiam ingratitudinis in confessione aperiendam esse; 1mo. si, quod rarum est, directa sit: tunc enim gravissimum est, quin & diabolicum, & ideò speciale peccatum; 2do. cùm licet tantùm indirecta, vel

gra-

graviſſima eſt & extraordinaria; vel, licet tantùm gravis, non ſatis ex confeſſione intelligitur. Si enim ex confeſſione ſufficienter innoteſcat, ut fit apud eos qui generalem vitæ totius exomologeſim faciunt, vel eodem utuntur Confeſſario, nihil erit cur expreſſim declaretur; quia de ea ex totius vitæ decurſu, vel ex prævis confeſſionibus abunde conſtabit.

§. V. *An Poenitentia merita per peccatum mortificata reparet.*

Quadruplex diſtinguitur operum genus. Alia ſunt *viva*, quæ ab homine juſtificato procedunt, eique tribuunt jus ad gloriam. Alia *mortificata*, quæ ab homine quidem juſto prodierunt, ſed deinceps per mortale peccatum excidunt à jure quod ad vitam æternam tribuebant. Alia *mortifera*, quæ gratiam, vitæ animam, perimunt. Alia demùm *mortua*, quæ cùm ab homine in ſtatu peccati conſtituto, tametſi quandoque ex gratia eliciantur, jus ad gloriam non tribuunt, quia carent principio ad meritum condignum neceſſario.

In præſenti non agitur, 1mo. de operibus vivis, quæ enim ſemper vixêre, reviviſcere non poſtulant; 2do. de operibus mortuis, quia, juxta vetus effatum, *vivere non poterunt quæ nunquam viva fuerunt*: 3tio. nec à fortiori de operibus mortiferis; abſit enim ut per Pœnitentiam vivant, quæ Pœnitentia deſtruere ſatagit. Tota igitur quæſtio eſt de operibus mortificatis; an ſcilicèt hæc ità per Pœnitentiam reſurgant, ut iis ſua etiam in cœlo merces reſpondeat, quaſi nuſquam mortificata fuiſſent. Sit

Conclusio. Merita per peccatum mortificata, redeunte per Pœnitentiam formalem aut virtualem gratia, ſecundùm ſe tota reviviſcunt.

Prob. 1mo. ex Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit, &c.* Atqui ſi non reviviſcerent merita per peccatum mortificata, plurimum, & quidem tota æternitate, noceret peccatori impietas ſua; cùm propter eam non raro præſtantioribus gloriæ ſuæ radiis orbaretur. Joel. 2. poſtquam v. 12. dixit Deus: *Convertimini ad me*, converſionis hujus mercedem ſubjungit v. 25. his verbis: *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Id eſt, ait poſt Hieronymum Gloſſa: *Non patiar perire meritum bonorum operum, quod per peccatum fuerat perditum.*

Prob. 2do. ex Ambroſio, L. 1. in Luc. *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis: non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit.* Sed qui oblata reſtituit, merita per Pœnitentiam redintegrat.

Prob.

Prob. 3tio. rationibus theologicis. I. Exigit Dei misericordia, quæ *judicium superexaltat*, ut opera in ejus gloriam perpetrata, sua donentur mercede, cùm nullus resistit obex. Atqui in homine per Pœnitentiam restituto nullus jam resistit obex. Et verò quis sub Deo ad remunerandum procliviori quàm ad puniendum, concipiat hominem qui toto longæ vitæ stadio omni virtutum exercitio incubuit; & obiter lapsus, instar Petri, culpam suam illicò deflevit, nudum omninò coram Dei oculis apparere? II. Plus virium non habet culpa quàm gratia. Ergo si per culpam mortificantur merita, æquum est ut per gratiam, quæ culpas omnes perimit, reviviscant.

Obj. Ezech. 28. *Si averterit se justus à justitia sua, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur:* Sicut nec recordabuntur iniquitates ejus qui pœnitentiam egerit: ibid. Atqui nullatenus *recordantur* iniquitates ejus qui pœnitentiam egit. R. dist. maj. Si averterit se justus à justitia sua, & in illa aversione mortuus fuerit, non recordabuntur justitiæ ejus, C. si averterit se, & deinceps aversionis hujus pœnitentiam egerit, N. Utrumque solutionis membrum suppeditat ibid. Propheta. I. his verbis: *In prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato quod peccavit, in ipsis* morietur. II. istis: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*, &c.

Inst. Plus valet peccatum, utpotè malitiæ infinitæ, ad destruenda merita, quàm gratia, utpotè finiti valoris, ad destruenda peccata. Atqui gratia peccata in perpetuum destruit. R. dist. maj. Plus valet peccatum ad destruenda merita secundùm se spectata, Transeat. [Peccatum enim malitiam reipsa infinitam non habet; gratia verò merita Christi infinita secum involvit.] Plus valet ad destruenda merita spectata prout subsunt divinæ misericordiæ, quæ ea in perpetuum acceptare voluit, modò vel nullus per peccatum poneretur obex, vel positus auferretur per Pœnitentiam, N.

Quo autem in gradu merita hæc reviviscant, non convenit inter Theologos. Censent plures cum Suare merita omnia per Pœnitentiam, etiam remissam, modò veram, reviviscere; ità ut Pœnitens tot gradus gratiæ, & jus ad tot gloriæ gradus recipiat, quot habuisset per præcedentia merita, si hæc nusquam mortificata essent. Alii ex adverso docent reviviscentiam gratiæ, quæ prioribus meritis correspondet, extendi vel restringi secundum mensuram dispositionum, ex quibus Peccator justificationis gratiam consequitur. Ità docet S. Thomas hic q. 89. art. 2. ubi sic: *Contingit intentionem motus Poenitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quàm illa à qua exciderat per peccatum: quandoque autem æquali, quandoque verò*

mi-

minori. Et ideò Poenitens quandoque resurgit in majori gratia, quandoque autem in æquali, quandoque verò in minori. Hæc opinio videtur potior, 1mo. quia sit S. Thomæ; 2do. quia opinio contraria socordiam insigniter fovet. An enim mœrore conficietur, an alet jejuniis preces ut in pristinum statum redeat, cui persuasum est se id quacumque pœnitentia, etiam remissiori, modò non ficta, consecuturum esse? 3tio. Quia si reviviscerent per quamcumque pœnitentiam merita omnia, reviviseeret non rarò charitas magna, quæ lapsum præcesserat. Atqui id repugnat experientiæ: Magna enim charitas magna operari debet, nedum otiosa langueat & segnis. Atqui in his qui remissè admodum surrexerunt, nihil magnum operatur charitas. Nempè id genus homines videas ægrè ad pietatis opera ferri, calcaribus indigere, vix ab assuetis vitiis deterreri. *Rara*, ait S. Bernardus, *illorum compunctio, oratio sine devotione, tepida conversatio, animalis cogitatio.* Contra verò qui per vehementem pœnitentiam resurrexerunt, tot & tam splendida novæ pristinæque charitatis argumenta præbent, ut eos quasi ad oculum animadvertas meliores esse pluribus justis qui non indigent pœnitentia. *Ex ipso suo dolore compuncti*, ait Sanctus Gregorius, Homil. 34. in Luc. *inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, ad cœlestem patriam anhelant*, &c.

CAPUT QUARTUM.

De Materia Poenitentiæ.

UT in toto physico, sic in Sacramentis per analogiam distinguuntur materia & forma. Materia alia est remota, alia proxima. Materia remota Pœnitentiæ est id omne circa quod destruendum versatur Pœnitentia. Materia proxima sunt partes minus determinatæ, ex quibus coalescit Pœnitentia. Dico, partes *minùs determinatæ*, ne forma ipsa, utpotè pars intrinseca Sacramenti, ad materiam revocetur; quod tamen aliqui non illubenter faciunt.

§. I. *De Materia remota Poenitentiæ.*

Ex ipso Pœnitentiæ vocabulo constat materiam illius esse peccatum, prout diluendum. Sed quia peccatum aliud est originale, aliud actuale, quod vel mortale est, vel veniale, tantùm ambigitur quæ in individuo sit materia Pœnitentiæ. Quod

ut

ut faciliùs intelligatur, notandum materiam hujus Sacramenti aliam esse necessariam, quæ nonnisi per claves, vel aliquid in ordine ad claves deleri possit; aliam sufficientem, quæ per claves quidem deleri valeat, at iis necessariò subjicienda non sit, quia per alia media destrui queat. Sit

CONCLUSIO I. Peccatum originale non est materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. 1mo. Quia ex institutione Christi peccatum originale per Baptismum deleri debet. 2do. Quia peccatum orig. per se loquendo, supponit hominem nondum Ecclesiæ subditum. Atqui Pœnitentia nonnisi in hominem jam Ecclesiæ subditum per Baptisma, exerceri potest: Pœnitentia enim exercetur per modum judicii, *Porrò*, ait Apost. I. Cor. 5. *quid mihi de iis qui foris sunt judicare?*

Si tamen, ait S. Thom. hîc, q. 8. 4. a. 2. *largè accipitur Poenitentia pro quacumque detestatione rei prœteritæ, potest dici Poenitentia de peccato originali.*

CONCLUSIO II. Peccatum actuale Baptismum consequens, est remota Pœnitentiæ materia; mortale quidem, necessaria, quandiu directè remissum non est; veniale autem, & mortale jam directè remissum, libera & sufficiens.

Prob. 1. pars. Illud est remota Pœnitentiæ materia, circa quod delendum versatur, tum materia ejusdem proxima, tum & forma Sacramenti. Atqui circa peccatum actuale, &c. occupantur tum proxima Pœnitentiæ materia, contritio nimirùm, confessio, &c. tum & absolutio.

Prob. 2. pars. Quæ necessariò Ecclesiæ clavibus subjicienda sunt, necessaria sunt Sacramenti Pœnitentiæ materia. Atqui peccata mortalia, quandiu directè remissa non sunt, &c. Unde non is tantùm qui per actum charitatis justificatus est à peccatis, eadem tribunali Pœnitentiæ subjicere tenetur; sed & is etiam qui ab iisdem in hoc tribunali solutus fuisset indirectè putà quia hæc in præcedenti confessione oblitus esset. Hinc proscripta fuit an. 1665. ab Alexandro VII. propositio isthæc, num. 11. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere*, quæ rursùm ann. 1700. à Clero Gallicano declarata est *temeraria, erronea, & confessionis integritati derogans.*

Prob. 3. pars de venialibus. Quæ per Pœnitentiam, simulque per alia remedia expiari possunt, meritò dicuntur & sufficiens & libera Pœnitentiæ materia. Atqui venialia & expiari possunt per Pœnitentiam, cùm generaliter dixerit Christus: *Quæcumque solveritis*; & *per alia remedia*, ut ait Trid. sess. 14.

c. 5. præſertim autem per orationem Dominicam, quam Auguſtinus, c. 70, Enchirid. *quotidianam poenitentiam & ſatisfactionem* appellat.

Prob. 4. pars de mortalibus jam remiſſis, imo. ex Benedicto XI. cap. 1. *de Privileg.* ubi ſic: *Licèt de neceſſitate non ſit eadem confiteri peccata, tamen propter erubeſcentiam, quæ magna eſt Poenitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confeſſio, reputamus ſalubre,* &c. 2do. quia idem adſtruit communis piorum & doctorum uſus, quem Eccleſia commendavit, ut patet ex textu mox citato; 3tio. quia Chriſtus ſolvendi poteſtatem ad unum remiſſionis actum non reſtrinxit, imò nec reſtringere debuit, tum ut Pœnitentium ſecuritati meliùs conſuleretur, tum ut major ex Pœnitentia fructus obtineri poſſet.

Obj. contra 1. part. Impœnitentia finalis grave eſt peccatum: neque tamen eſt materia Pœnitentiæ. R. Impœnitentiam eſſe peccatum in quo quis moritur. Nihil mirum porrò ſi peccatum in quo quis moritur, non magìs per Pœnitentiam deleri poſſit, quàm vulnus ex quo quis actu decedit, per medicinam ſanari.

Obj. contra 3. part. Materia Pœnitentiæ, ut ſolvi, ſic & retineri poteſt. Atqui venialia retineri non poſſunt; cùm ea *multis aliis remediis expiari* poſſe fateamur. R. diſt. min. Non poſſunt retineri quo ad Pœnitentem, quaſi is eorum veniam extra Sacramentum obtinere non poſſit; C. non poſſunt retineri ex parte Miniſtri, N. Poteſt enim iſte abſolutionem differre, vel negare prorsùs, cùm nulla in Pœnitente detegit emendationis indicia.

Inſt. Illud ſolum eſt Pœnitentiæ materia, cujus vitandi homo abſolutum propoſitum habere poteſt. Atqui non poteſt homo habere propoſitum efficax vitandi omnia venialia: cùm id ſibi impoſſibile eſſe ſciat ex Trid. ſeſſ. 6. can. 13. R. vel cum S. Thoma hominem habere poſſe propoſitum vitandi omnia venialia diſtributivè, quomodò ſolùm occurrunt in praxi; vel cum aliis, poſſe hominem habere propoſitum quantum eſt de ſe efficax omnia prorsùs venialia vitandi; quod quidem propoſitum, quandiu durat, incompatibile eſt cum omni affectu peccandi venialiter: etſi diu pro fragilitate ſubſiſtere non poſſit.

Obj. contra 4. part. Sacramentum de novo conferendum novam exigit materiam. Atqui peccata jam remiſſa novam non præbent materiam. R. diſt. maj. Novam exigit materiam proximam, C. remotam, N. Porrò in præſenti diverſa eſt materia proxima, nimirum contritio, accuſatio, &c. Id autem ſufficit, ut patet in Baptiſmo, ubi eadem numero aqua poteſt

eſſe

esse materia remota multiplicis Baptismi, modò repetatur materia proxima, nimirum ablutio.

Inst. Forma, *Ego te absolvo*, circa peccata jam *absoluta* verificari non potest. Ergo R. neg. ant. sensus enim formæ hujus is est: Ego confero tibi gratiam de se remissivam peccati. Atqui ad hujusce sensus veritatem necesse non est ut peccatum hactenùs dimissum non fuerit; quia alioqui falsa esset, saltèm materialiter, forma absolutionis iis omnibus datæ, qui ad Sacramentum perfectè contriti accedunt. Ergo ad formæ illius veritatem satis est, ut vel deleat peccatum, si subsit; vel si jam absit, priorem Pœnitentis gratiam adaugeat.

Hîc tria notanda, 1mo. iis qui aliquod præteritæ vitæ peccatum sæpiùs confitentur, curandum enixè ut aliquo erga ipsum doloris motu afficiantur. Quid enim præstare possit accusatio omni devotionis sensu destituta? Et id sedulò monendi sunt Pœnitentes; ne per siccam peccati pluries depositi accusationem, pessimè, quod tamen intendunt, Sacramenti securitati consulant. 2do. Cùm peccata jam dimissa, libera sint, non autem necessaria Pœnitentiæ materia, licitum esse ex his quædam, non secùs ac certò venialia, pro nutu omittere. 3tio. Satiùs esse turpia quædam jam ad æquos juris apices deposita, generali quadam ratione, quam individuo confiteri; nè distinctior rei periculosæ memoria plus noceat quàm profit. Quanquam hæc non parùm pendent à circumstantiis, seu moventis Spiritûs, seu humiliationis hîc & nunc Pœnitentibus necessariæ, seu necessitatis novo innotescendi Confessario.

Quæres an veniale peccatum citra Pœnitentiam ullam remitti possit?

Not. Pœnitentia triplex distinguitur; *habitualis*, quae idem est ac habitualis displicentia peccati ex charitatis perfectae habitu proveniens; *formalis*, quae est detestatio explicita peccati, prout fieri solet in Sacramento Pœnitentiae; & *virtualis*, quae consistit in pio mentis actu excludente affectum ad venialia, & vi cujus homo ea formaliter detestaretur, si tunc menti ejus occurreret eorum cogitatio.

R. Nullum veniale peccatum sine omni pœnitentia remittitur. At nec sufficit habitualis, nec requiritur formalis: unde requiritur & sufficit virtualis.

Prob. 1. pars ex Aug. Epist. 48. ubi sic: *Nec quemquam putes à quocumque, seu magno, seu parvo peccato, ad correctionem sine Poenitentia posse transire.*

Prob. 2. pars. Si habitualis pœnitentia ad venialium remissionem sufficeret, nunquam esset peccatum veniale simul cum charitate; quia ubi est charitas, ibi est pœnitentiæ infusae ha-

 bitus,

bitus, adeòque *habitualis displicentia* peccati, prout docet S. Thomas. Atqui falsum consequens.

Prob. 3. pars ex Augustin. Enchirid. c. 71. ubi sic; *De quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Atqui licèt oratio hæc aliquem importet pœnitentiæ motum, ex quo delicta nostra nobis generaliter dimitti precamur, nullam tamen importat expressam hujus vel illius detestationem; nullam proindè formalem pœnitentiam. Ergo formalis hæc pœnitentia non est absolutè necessaria. Et verò virtualis pœnitentia sufficit aliquando ad veniam mortalis; putà in eo qui tam citò ad martyrium rapitur, ut ipsi nihil aliud liceat per tempus, quàm in actum charitatis prorumpere. Ergo à fortiori, &c.

Prob. 4. pars. Illud pœnitentiæ genus ad deletionem venialium sufficit, quod iisdem sufficienter opponitur. Atqui -- Id enim vitii habent venialia, quòd voluntatem ità ferant in creaturam, ut promptè in Deum & ea quæ Dei sunt, ferri non possit. Atqui effectum directè oppositum parit pœnitentia virtualis; cùm per eam recedat homo à creatura, & iis quæ Dei sunt promptum se & hilarem efficiat.

Cæterum virtualis hæc pœnitentia consistit quidem in pio mentis affectu, non tamen in omni, sed in eo solùm, quo quis à Spiritu S. sic in Deum movetur, ut vel saltem venialia aliqua detestaretur, si ei hic & nunc memoriæ occurrerent.

§. II. *De materia proxima Poenitentiæ.*

Materia Pœnitentiæ proxima debet esse quidpiam quod circa peccata versetur, sicut medicina circa morbos. Cùm autem in Pœnitentia nihil circa peccata versetur, quàm vel actus Pœnitentis, contritio scilicèt, confessio & satisfactio; vel actus Ministri, absolutio nimirùm & manus impositio; necessum est ut in horum quopiam reponatur materia Pœnitentiæ. Scotistæ totam Sacramenti hujus rationem reponunt in absolutione sola, quam sub diverso respectu formam simul & materiam esse volunt. Thomistæ verò actus Pœnitentis pro Sacramenti materia assignant; ità ut contritio & confessio partes sint ad ipsum essentialiter requisitæ; satisfactio, tantùm ut pars integrans. Ab iis omnibus recesserunt Lutherus & Calvinus: prior, cùm duas tantùm admisit Pœnitentiæ partes, nimirùm *terrores conscientiis agnito peccato incussos, & fidem ex Evangelio vel absolutione conceptam, qua credit quis sibi per Christum remissa esse peccata*; posterior, cùm totam Pœnitentiæ rem collocavit in vitiorum mortificatione, & pio bene deinceps vivendi studio. Sit

CONCLUSIO I. Nec terrores aut fides Lutheri ſenſu,nec mortiſicatio aut vivificatio Calviniana partes ſunt intrinſecæ Pœnitentiæ.

Prob. 1. pars. Quæ Pœnitentiam præcedunt, neque neceſſariò præcedunt, neque verè pariunt, ea partes intrinſecæ Pœnitentiæ dici non debent. Atqui terrores conſcientiæ incuſſi 1mo. Pœnitentiam præcedunt. Ad eam enim movent & excitant; ut patet in Ninivitis, qui tremore concuſſi, non per hunc tremorem,ſed per pia virtutis exercitia Pœnitentiam egerunt. 2do. Nec præcedunt neceſſariò; cum poſſit quis ex ſolo Dei & juſtitiæ amore Pœnitentiam amplecti; 3tiò. nec pariunt efficaciter: cùm terroribus multi ſteriliter quatiantur, ut videre fuit in Antiocho & Felice, qui *diſputante* Paulo *de juſtitia & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus* eſt, nec converſus, Actor. 24.

Idem propè dicendum de Lutheri fide. Hæc enim vel eſt Theologica virtus, per quam revelatis aſſentimur, eáque Pœnitentiam præcedit: hinc Jonæ 3. *Crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium,* &c. Vel eſt certa fiducia quâ confidit homo ſua ſibi dimiſſa eſſe peccata; & hæc peccatorum remiſſionem, atque adeò Pœnitentiam præſupponit. Meritò igitur Trid. Seſſ. 14. Can. 4. *Si quis dixerit duas tantùm eſſe Poenitentiæ partes, terrores ſcilicèt incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel abſulutione, quâ credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa eſt peccata; Anathema ſit.*

Prob. 2. pars. Pœnitentia ex Scripturis, via eſt ad juſtificationem, proinde prior ipſa juſtificatione; ut patet ex his Act.3. *Poenitemini - - - ut deleantur peccata veſtra.* Atqui mortificatio & vivificatio Calvini non ſunt juſtificatione priores. Utraque enim fructus eſt fidei *juſtificantis*: is porrò juſtificationem ſequitur. Ergo ſicut errant Lutherani, quia Pœnitentiam in his collocant motibus qui veram Pœnitentiam præcedunt; ità & errant Calviniſtæ, quia Pœnitentiam in his actibus conſtituunt, qui veram Pœnitentiam ſequuntur.

CONCLUSIO II. Manûs impoſitio non eſt proxima Sacramenti Pœnitentiæ materia. Prob. quia id neque ex Scriptura vel Traditione colligi poteſt: cùm neutra impoſitionem hanc ut partem Pœnitentiæ intrinſecam exhibeat. Neque ex antiqua Eccleſiæ praxi. Ex ea enim infertur quidem,impoſitionem manûs ritum fuiſſe erga Pœnitentes adhiberi ſolitum, prout nunc etiam à Sacerdote manum versùs eos elevatam tenente,utcumque obſervatur. At nihil eſt unde inferri poſſit ritum hunc partem fuiſſe Sacramenti eſſentialem: imò eſt unde contrarium deducatur: quia ritus ille & pluries repetebatur, & ab a-

his fiebat quàm à Sacerdotibus, & extra Pœnitentiam usurpabatur, ut constat ex S. Cypriano, & Concilio Carthag. 4. cap. 78.

Conclusio III. Tres Pœnitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio, sunt proxima Pœnitentiæ materia.

Prob. 1mo. ex Decr. Conc. Flor. ubi sic: *Quartum Sacramentum est Poenitentia, cujus quasi materia sunt actus Poenitentis*, &c. quibus consonat id Trid. Sess. 14. c. 3. *Sunt quasi materia hujus Sacramenti, ipsius Poenitentis actus, nempe contritio*,&c. *qui quatenùs in Poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur,hac ratione partes Poenitentiæ dicuntur.* Atqui opinio nostra longè plus hisce Decretis consonat, quàm Scotistica. 1mo. Enim actus Pœnitentis ità dicuntur quasi materia Pœnitentiæ, ut nullam aliam assignent Florentini & Tridentini Patres. 2do. Iidem actus vocantur partes Sacramenti; partes porrò totum componunt. 3tio. Prædicti actus eo modo partes Sacramenti dicuntur, quo verba absolutionis dicuntur forma: hæc autem verba ideò forma nuncupantur,quia veram formæ rationem habent.

Prob. 2do. Pœnitentia ex omnium consensu instituta est per modum processus judicialis, in quo peccator uti Reus intendit cum Deo à Sacerdote tanquam judice reconciliari. Atqui ad judicialem hunc actum pertinent essentialiter Rei confessio, dolor de admisso peccato, & propositum satisfaciendi quibus compertis, vel abesse existimatis, Minister sententiam ferat, qua reconciliet, vel ad tempus reconciliationem differat.

Obj. 1mo. Concilia Florent. & Trid. docent quidem Pœnitentis actus esse *quasi* materiam Sacramenti, at verè esse materiam nè indicant quidem. R. neg. ant. utraque enim Synodus particulam *quasi* apposuit, 1mo. nè omninò dirimeret litem hactenus inter Scolasticos salvâ fide agitatam; 2do. Ut ait Cathec. Rom. *Non quia* prædicti actus *veræ materiæ rationem non habeant*; *sed quia materia hæc non sit* sensibilis, sicut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.

Inst. eadem Concilia satisfactionem dicunt esse partem Pœnitentiæ sicut contritionem & confessionem. Atqui tamen nusquam satisfactionem habuerunt pro parte essentiali. Ergo nec contritionem &c. R. neg. min. Satisfactio enim, non quidem in re, sed per modum connotati est Poenitentiæ essentialis: unde sine explicito vel implicito ejus voto salvari nequit Sacramenti substantia. Potuerunt ergo Concilia loqui de satisfactione, sicut de confessione, quæ nec ipsa, si rigorosè sumatur, essentialis est Sacramento.

Ob-

Obj. 2. ex Trid. Sacerdos ſolus eſt Miniſter Poenitentiæ. Atqui ſi Poenitentis actus ſint Poenitentiæ materia, Sacerdos ſolus non erit ejus Miniſter. Et is enim Miniſter eſt, qui materiam Sacramenti ſuppeditat. Atqui Poenitens materiam ſuppeditat. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Is enim ſolus eſt Sacramenti Miniſter, qui formam applicat materiæ, ſeu hæc ab ipſo ponatur, ſeu ab alio, ut patet in Baptiſmo, Confirmatione, &c. ſicut ergo æger licèt morbum declaret, non eſt artis medicæ Miniſter, ſed medicus qui remedium applicat; ſic à pari, &c.

Obj. 3tio. materia Sacramenti debet ſenſibilis eſſe, & formæ præſupponi, vel coëxiſtere. Atqui hæc locum non habent in actibus Poenitentis. Nam 1mo. contritio ſenſibus percipi nequit. 2do. Confeſſio ſæpiùs non coëxiſtit abſolutioni, ſed eam diu præcedit. R. ad 1. neg. min. & dico, contritionem haud equidem per ſe, ſed per aliud ſenſibilem eſſe, nempè per confeſſionem, & alia quæ edit Poenitens doloris ſigna.

CONCLUSIO IV. Satisfactio in re pars eſt integrans, non eſſentialis Sacramenti Poenitentiæ.

Prob. Ideò contritio & confeſſio partes ſunt Poenitentiæ eſſentiales, quia ſine iis tanquam primariò conſtitutivis ſtare non poteſt Poenitentia. Atqui è contrà ſtat quotidiè Poenitentia ſine ſatisfactione actu exercita: cùm hæc abſolutionem validè datam, ideoque Sacramentũ eſſentialiter conſtitutum, ſequatur.

Obj. Si ſatisfactio ſit pars tantùm Sacramenti integrans, otioſa erit, nec quidpiam producet. Abſurdum conſeq. R. neg. maj. tum quia quòd neceſſariò connotatur ab aliquo eſſentiali non poteſt inutile eſſe: ſatisfactio autem à voto ſuî, quod Poenitentiæ eſſentiale eſt, connotatur; tum quia ſatisfactio opere completa, non utilis tantùm, ſed & neceſſaria eſt ad remiſſionem temporalis poenæ, quæ poſt condonatam culpam & poenam æternam, luenda ſupereſt.

CAPUT QUINTUM.

De Contritione.

DIcendum 1mo. de contitione generatim ſpectata; 2do. de contritione perfacta, 3tio. de contritione imperfecta, ſeu attritione.

§. I. *De Contritione generatim ſumpta.*

Contritionis nomen deducitur à verbo *contero*, ſicut & à verbo

bo *attero* nomen attritionis: Utrumque per metaphoram. Sicut enim corpus durum atteri dicimus, cùm multas in partes, non adeò minutas dividitur; conteri verò, cùm solvitur in pulverem; sic cor peccatoris, è duro, per gratiam emollitur, & ità comminuitur, ut tandem eò se flectat, quò Deus vocaverit; juxta id Ezech. 11. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Jam videndum 1mo. quid sit contritio, & quæ ejus affectiones, 2do. quæ ejus obligatio, 3tio. cujus sit illa meriti.

De natura & affectionibus Contritionis.

Catholicum de contritione dogma adversùs Lutheri errores exhibet Trid. Sess. 14. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum, Anathema sit.*

Contritio ut sic est *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*: quibus si addideris, *Et voto præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum Poenitentiæ Sacramentum requiruntur*, plena exurget definitio contritionis, prout ad præsentem Evangelii statum pertinet.

Dicitur 1mo. *dolor* ist est tristitia, ac veluti *tritura cordis*, quâ, *qui se conterit, irascitur sibi, ut Deum habeat propitium*, prout loquitur Aug. in Ps. 74.

Dicitur 2do. dolor *animi*, seu ab intimo corde profluens, quia quod peccati principium fuit, gemituum ejus principium esse oportet: neque partem sensitivam moveri satis est, aut necessarium; quia penes hominem non est quòd sensibiliter commoveatur. Unde etsi sæpè ex temporali damno, magis concutiantur sensus, quàm ex graviori peccato; malè inferas, te, vel alium, plus animo dolore de jactura temporali, quàm de perdita Dei amicitia.

Dicitur 3tio. *detestatio*, id est odium efficax & absoluta peccati retractatio, omnem voluntatis ad illud affectum excludens.

Dicitur 4to. *de peccato*, id est, de eo omni quod legi adversatur per commissionem, vel omissionem.

Dicitur 5to. *de* peccato jam *commisso*, propria scilicet, non aliena voluntate. Si tamen detestatio & dolor latiùs sumantur, nihil est cur originale peccatum & aliena etiam peccata odisse

odisse & detestari negemus. Odit certè Deus iniquitatem; & Theresia infidelium tenebras lacrymis perpetuis deflebat.

Dicitur 6to. *cum proposito non peccandi*, &c. id est, firmâ & sincerâ voluntate à peccatis abstinendi, & divina seruandi mandata. Utique contritio sincera omnem ad peccata affectum excludit: porrò affectum hunc non deponit peccator, nisi habeat firmum deinceps à peccato abstinendi propositum.

Dicitur 7mo. *cum voto præstandi omnia*, &c. id est, *confitendi ac satisfaciendi.* Illud enim votum, seu desiderium negligi scienter non potest; cùm confessio & satisfactio ex institutione divinâ ad Pænitentiam Evangelicam requirantur, ut infrà patebit.

Ut Tridendinam hanc definitionem à temeraria Novatorum insultatione vindicemus, varias contritionis affectiones indagare conabimur; & 1mo. an contritio debeat esse vera; 2do. an interior; 3tio. an supernaturalis; 4to. an suprema; 5to. an & quomodò universalis; 6to. an cum explicito deinceps non peccandi proposito. Sit

Concl. I. Contritio, ut deleat peccata, vera esse debet: unde non sufficit quæ falsò habetur pro vera.

Prob. 1mo. ex Scrip. quæ ad dimissionem peccati requirunt, ut peccator malum detestetur, ut avertatur ab impietate sua, ut ad Deum ex toto corde suo convertatur. Atqui nihil horum præstare potest fallax & fuccata contritio. Hæc enim nihil immutat in corde, nec affectum ejus aliò trahit, quàm quò ferebatur anteà.

Nec prodest bona pænitentis fides; tum quia *est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem*, Prov. 14. tum quia potest quidem bona fides excusare à peccato, non autem rei necessariæ defectum supplere.

Concl. II. Contritio interior esse debet.

Prob. interior dicitur contritio, quæ non ab ore tantùm, sed ex intimo cordis affectu profluit. Atqui talis esse debet contritio. 1mo. quia hinc prodire debet, unde prodeunt peccata. Atqui *de corde exeunt cogitationes malæ, &c.* 2do. quia id ubique clamat Scriptura: *Convertimini ad me in toto* Corde *vestro*, Joel. 2. *Scindite* Corda *vestra*, Isaï. 46. Ezech. 18. *Facite vobis* Cor *novum.* Ergo.

Concl. III. Contritio, debet esse supernaturalis ratione principii & motivi.

Prob. 1. pars. Contritio vera disponit ad gratiam ex Trident. suprà. Atqui ad gratiam disponere se nemo potest solis naturæ viribus, ex eod. Trid. Sess. 6. Can. 3. ubi anathemate percellitur, qui *dixerit, sivè præveniente Spiritûs S. inspiratione at-*

que ejus adjutoriô, hominem PÆNITERE *posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.*

Prob. 2. pars. 1mo. quia actiones à motivis præcipuè speciem sumunt; ergo si contritio supernaturalis esse debeat, debet & supernaturale esse motivum ipsius 2do. quia contritio quæ ad justificationem disponit, peccandi voluntatem excludere debet. Atqui dolor è naturalibus motivis profluens voluntatem hanc non excludit. Utique enim non fuit expers hujusce doloris Antiochus; & is tamen celebre est Orbe toto fictæ Pænitentiæ exemplum. Meritò igitur indistinctè protrita est ab Innocentio XI. thesis hæc n. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam;* eique notam hæreseos affixit Clerus Gallicanus an. 1700.

Obj. attritio quæ *ex consideratione turpitudinis peccati* procedit, merè est naturalis, cùm ex motivo naturaliter cognito procedat. Atqui attritio hæc ad justificationem disponit ex Trid. R. neg. maj. sicut enim supernaturalis est caritas Theologica, etsi naturali luce cognosci potest DEUM esse amabilem: sic supernaturalis esse potest attritio, quia peccati turpitudinem per lumen fidei attingere potest. Quòd autem eo modo hanc debeat attingere, ut ad justificationem disponat, patet quia dispositio debet proportionem habere cum forma introducenda: naturalis autem dolor nullam cum gratia proportionem habet.

CONCL. IV. Contritio debet esse summa, non quidem intensivè, sed appretiativè.

Prob. 1. pars: quia etsi optandum est, ut *quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus, & Poenitentia crimine minor non sit,* ut ait Cyprianus L. de lapsis; nullibi tamen certam in conversione graduum intensionem requirit Scriptura, sed tantùm ut peccator discat benefacere & Pænitentiam agat.

At, inquies, Scriptura passim ad veram Pænitentiam requirit conversionem *ex toto corde.* Atqui hæc dolorem exigit intensivè summum. R. n. min. Sicut enim præceptum de diligendo DEO *ex toto corde* substantialiter impletur per totalitatem appretiationis, *ita ut diligens nihil cogitet, nihil velit quod divinæ dilectioni sit contrarium,* prout loquitur S. Thomas; non autem requirit intensionis totalitatem, quæ semper ignota perpetuis mentem cruciaret scrupulis: ità contritionis præceptum exigit, tantùm ut Pænitens paratus sit nullo quantumvis alliciente objecto ad peccatum flecti.

Ex his colliges non ideò suspectam videri debere contritionem Pænitentis, eò quia patris mortem doleat vehementius, non sensu solùm, sed & internâ mentis amaritudine, quàm Peccatum: id enim ex statu naturæ sequitur, & in praxi quasi emendatur

datur à gratia. Sic Blanca, quæ audito filii peccato fortè non expalluiſſet, audita verò illius morte potuiſſet dolore commori, eum tamen *vitâ & regno privatum* maluiſſet, *quàm letalis peccati reum.* Curandum tamen ut quàm altiſſimum fieri poteſt de peccato dolorem concipiamus, cùm ex eo fiat ut peccatum magìs etiam appretiativè deteſtemur.

Prob. 2. pars 1mo. ex Scrip. Deut. 4. *Cùm quæſieris Dominum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ* Joël 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, &c.* Luc. 14. *Qui non odit patrem ſuum & matrem*, id eſt, qui non minus diligit quàm me, *non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Atqui hi textus ſenſu ſaltèm appretiativo intelligi debent, ità ut teneatur homo plus odiſſe Dei offenſam, quàm malum quodcumque; vel, quod in idem recidit, ità Deum diligere, ut plus jacturam ejus, quàm boni cujuſcumque pertimeſcat; adeò ut divinæ innixus miſerationi, exclamet cum Apoſt. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia*, &c.

Prob. 2do. ex Trid. Contritio vera omnem peccandi voluntatem, omnem proindè peccati affectum excludere debet. Atqui id præſtare nequit, nisì ut appretiativè ſumma. Id enim ut præſtet, debet Pænitens ſic animo paratus eſſe, ut potiùs in omni caſu poſſibili malum quodcumque eligat, quàm offenſam Dei. Hæc autem diſpoſitio involvit dolorem æſtimativè ſummum.

Etſi verò peccator ità affectus eſſe debet. ut in generali quamlibet pænam pati malit, quàm redire ad vomitum, non tamen per ſingulas pænarum ſpecies excurrere debet, ut exploret an hoc illùdve opprobrii, aut mortis atrociſſimæ genus eligat præ peccato. *Quinimò*, ait Sylvius, *interdum ſtultè ageret is qui ſe vel alios* in Tribunali *ſollicitaret, an mallet v. g. perdere omnia ſua, omnéſque parentes, potiùs quàm peccare.*

Obj. Non poteſt dolor eſſe ſummus appretiativè, quin ſit intenſivè ſummus. Atqui is non requiritur ad contritionem. Prob. maj. Qui dolet de peccato appretiativè, dolet de peccato ſuper omnia. Sed qui dolet de peccato ſuper omnia, de eodem dolet in gradu intenſivè ſummo. R. ad 1. neg. maj. intenſio enim & æſtimatio à diſparibus principiis prodeunt: intenſio videlicet, ſi ſumma ſit, ab enixo conatu voluntatis, æſtimatio autem à judicio, quo unum alteri præferendum eſſe decernitur. Illud autem judicium certâ, aut ſaltem maximâ voluntatis intenſione non indiget.

Ad 2. neg. min. Dolor enim poteſt eſſe magnus æſtimativè, & intenſivè parvus; ut cùm quis ità de peccato dolet, ut

verè paratus ſit malum aliud quodlibet perpeti, potiùs quàm in peccatum recidere; quamvis circa idem peccatum non verſetur cum applicatione vehementi & enixo potentiæ conatu.

Quæres an contritio debeat eſſe ſumma extenſivè. R. neg. vel enim erit ſumma extenſivè ratione temporis, quaſi perdiu durare debeat; vel ratione objecti, quaſi peccata ſingula ſigillatim deteſtari teneatur. Atqui contritionem alterutro ſenſu ſummam eſſe neceſſum non eſt. Non priori; quia ex c. 32. Ezech. *Impietas impii non nocebit ei in quâcumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.* Et id adſtruunt nota Davidis & pii Latronis exempla; quorum alter ad hanc vocem *Peccavi*, confeſtim id audiit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*; alter ad paucula hæc: *Domine, memento mei*, iſtud meruit audire: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo.* Sed nec poſteriori ſenſu, 1mo. quia impoſſibile eſt ut ii peccatores quorum iniquitates mumerum capillorum capitis ſupergreſſæ ſunt, ſingula pecata recenſeant ſub ipſum abſolutionis tempus, &. ſuum unicuique actum contritionis adjungant: 2do. quia formale contritionis motivum, dolor nempè de offenſa Dei, ad omnia peccata ſe extendit.

Etſi vero fieri poteſt ut quis è profundiori peccatorum cæno ſemel & ſimul emergat, prout Davidi contigit; conſtat tamen iis qui longa peccandi conſuetudine tenentur, multo, ut plurimùm, tempore opus eſſe, ut ad certam contritionem deveniant. Enim verò *perverſi difficilè corriguntur*, Eccle. 1. Unde Auguſtinus Serm. 34. de diverſ. *Paulatim recipitur quod ſemel amiſſum eſt: ſi enim citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mortem.*

Concl. V. Contritio debet eſſe univerſalis eo ſenſu, quòd in omnia prorſùs letalia feratur.

Prob. 1mo. quia id exigit Scriptura Ezech. 18. 30. *Convertimini & agite Pœnitentiam ab* omnibus *iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et v. 31. *Proijcite à vobis* omnes *prævaricationes veſtras - - - & quare moriemini domus Iſrael?* Hic autem Sermo eſt de lethalibus peccatis, de iis videlicet quæ mortem animæ inferunt.

Prob. 2do. Contritio eſt dolor de offenſa Dei, ad ejuſdem offenſæ veniam diſponens. Atqui dolor ad veniam offenſæ diſponere nequit, niſi in omnia lethalia feratur. Non enim verè dolet de offensâ Dei, qui ex aliqua parte ſibi in eadem graviter complacet; nec ad veniam ſe præparat, qui cùm ab uno ſine cæteris ſolvi nequeat, uni huic adhærere pergit.

Dixi, *ad omnia lethalia*; nec enim ad contritionem prout ad juſtitiam præparat, requiritur dolor qui in venialia ſingula

ca-

cadat. Ideò quippe dolor ad omnia prorsùs mortifera extendi debet, quia unum fine alio dimitti nequit. Atqui ratio hæc in venialibus locum non habet.

CONCL. VI. Ad contritionem requiritur propofitum non peccandi de cætero lethaliter, Illud autem propofitum, etfi generatim loquendo, formale effe debet, non tamen ex naturâ rei.

Prob. 1. pars ex Trid. Seff. 14. c. 4. ubi *Declarat Sancta Synodus contritionem vitæ novæ propofitum & inchoationem continere.* Et infrà, ad attritionem requirit ut excludat *voluntatem peccandi*: hæc autem ipfum eft deinceps non peccandi propofitum. Et verò: ad contritionem requiritur verâ cordis ad Deum converfio. Atqui hæc effe non poteft fine verâ eidem placendi & obfequendi voluntate. Ubi autem occurrit voluntas illa, occurrit neceffariò propofitum ab iis abftinendi quæ Deo difplicere poffint.

Prob. 2. pars. Per fe & ordinariè loquendo elici debet novæ vitæ propofitum eo modo quo ab Ecclefia præfcribitur. Atqui Ecclefia formale novæ vitæ propofitum præfcribit. Alioqui fruftrà definitioni contritionis addidiffet: *Cum propofito non peccandi de cætero*; cùm in priori ifta definitionis parte: *dolor de peccato commiffo*, implicitum contineatur ejufdem novæ vitæ, feu deinde non peccandi propofitum.

Prob. 3. pars: fi novæ vitæ propofitum, ad effentiam contritionis pertineat, eo etiam inculpatè omiffo, deficiet fubftantia contritionis; sicque conclamata erit falus Pœnitentis, qui peccato fuper omnia deteftando intentus de futuro non cogitaverit. Peribit ergo qui intùs & medullitùs dixerit, feu cum Prodigo, Luc. 15. *Peccavi in Cœlum & coram te*, &c. feu cum Publicano, ibid. 18. *Deus, propitius efto mihi peccatori*; nec ultrà formaliter & explicitè progreffus fuerit. Id autem durum eft & difficile creditu.

Confirm. David, ftatim ut dixit *Peccavi*, facinoris fui veniam confecutus eft. Atqui vox illa nonnifi virtuale novæ vitæ propofitum involvit.

Obj. Quod fufficit aliquando in materia contritionis, femper fufficit. Atqui ex nobis virtuale propofitum fufficit, cùm mens alio intentior, de eo non cogitat. R. neg. mag. ficut enim confeffio implicita, fi fic loqui fas eft, quandòque, putà in extremis, fufficit, nec tamen femper fufficit; fic & propofitum implicitum quandòque fufficit, quia ad contritionis effentiam non pertinet, nec tamen in omni cafu fufficit; quia requiritur ex præcepto admodùm rationi confentaneo; & dempto bonæ fidei cafu, vix citra contemptum omitti poteft. Hinc

quia

quia poteſt infirmus etiam ad mortem vergens, peccare; peccati fugiendi propoſitum emittere debet, ſaltèm conditionatum *ſi vita ſuperſit.*

Cæterùm propoſitum debet eſſe 1mo. efficax *affectivè*, quatenus pœnitens, ſic affectus eſſe debet, ut nihil non pati debeat, potiùs quàm denuò peccare: Non tamen neceſſum eſt ut ſit efficax *effectivè*; quaſi vi illius fieri debeat, ut Pœnitens nuſquam peccatum quod doluit, aliúdve perpetret: Alioqui quilibet gravis relapſus inſufficientiam doloris & propoſiti ſemper argueret; quod falſum eſt. 2do. Debet eſſe *abſolutum* quoad peccata mortalia; ità ut ſtatuat pœnitens nihil unquam facere per quod excidat ab amicitia Dei. Imò & abſolutum eſſe debet quo ad venialia quædam, ſi hæc tantùm clavibus ſubjiciantur. Qui enim horum nulli renuntiare vellet, materiam culpabiliter auferendo, Sacramentum culpabiliter irritum efficeret.

De neceſſitate & præcepto Contritionis.

Quæritur an contritio peccatori neceſſaria ſit, & an ſtatim à peccato neceſſaria ſit.

Circa primum nulla eſt difficultas, ut ſtatim patebit; at ſeriam invehit quæſtionem caput ſecundum: unde hic ſcinduntur Theologi. Alii cum S. Antonino peccatorem, *ſtatim ut culpam ſuam animadvertit*, in contritionis actum erumpere debere contendunt. Alii ex adverſo contritionem citra novi peccati periculum ad tempus differri poſſe credunt. Ità S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 8. a. 1. qui tamen aliud ſenſiſſe videtur in Summa Operum ſuorum poſtremo, ubi ſic, 2. q. 62. art. 8. *Manifeſtum eſt quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari; ſed quilibet tenetur ſtatim peccatum deſerere.* Alii, ut S. Bonaventura, Religioſos quidem promptæ contritionis legi ſubjiciunt, quia his *tempus vitæ eſt tempus pœnitentiæ:* At Laicos contritionem ut & confeſſionem ad Quadrageſimam uſque differre non improbant. Alii verò, Scotiſtæ præſertim, ſed non omnes, cenſent eum quem necdum admiſſi peccati lethalis pœnituit, teneri feſtis diebus actum contritionis elicere; quia ut in c. 1. Iſai. ſcribit Hieron. *Omnis Conventus qui non affert hoſtias ſpirituales, nec audit quod in* 50. Pſalm. *canitur:* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c. *abominabilis eſt Deo.* Sit

Conclusio I. Contritio lapſis per ſe & regulariter neceſſaria eſt, tum neceſſitate præcepti, tum neceſſitate medii.

Prob. 1. pars. Jure naturali tenetur quiſque injuriam alteri illatam compenſare, patri potiſſimùm amico, benefactori. Atqui

qui per peccatum illata est Deo injuria; Deo, inquam, quo nemo magis pater, &c. Hinc Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes perhibitis.*

Prob. 2. pars. Contritio pars est Pœnitentiæ potissima. Atqui Pœnitentia lapsis omninò necessaria est, ut in Dei gratiam restituantur: In hanc enim restitui non possunt, quandiu cor manebit aversum à Deo: manebit autem donec ad eum seria pœnitentia revertantur. Unde August. Lib. de duab. Animab. c. 14. *Nulla est barbaries quæ dicere audeat non esse pœnitendum homini si peccaverit.*

Dixi, *per se*, quia per accidens potest sufficere Pœnitentia, proinde & contritio virtualis, qualis in amore Dei super omnia continetur: ut si quis peccati sui oblitus invincibiliter, perfectum divinæ dilectionis actum eliciat, nihil cogitans de peccato. Hinc damnata hæc 32. Baïi propositio: *Charitas quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

Conclusio II. Præceptum contritionis per se, saltem aliquando, obligat, aliquando per accidens.

Prob. 1. pars; quia præceptum illud obligat per se in evidenti aut probali mortis vel amentiæ continuæ periculo: qui enim tunc contritionem omittit, exponitur periculo nunquam pœnitendi adeòque moriendi in peccato. Unde ad contritionem tenentur, non solùm periculosè ægrotantes, sed & milites ante pugnam, nautæ ante procellosam navigationem, prægnantes ante puerperium saltèm difficile, &c.

Prob. 2. pars. Præceptum illud per accidens; seu ratione alterius, obligare dicitur, quod nisi impleatur, aliud debitè impleri nequit. Sed multi sunt casus in quibus qui contritioni defuerit, præceptum aliud ritè implerè non possit; putà cùm quis in peccato existens Sacramentum aliquod ministrare, conficere, perficere, vel suscipere debet. Idem est cùm gravis urget tentatio, cujus victoria speciales gratias postulat.

Conclusio III. Urget etiam contritionis aliqualis præceptum, quando menti occurrit peccatum prout est offensa Dei.

Prob. Vel enim, cùm animo recurrit peccatum ut offensa Dei, in eo sibi complacet peccator, ut ii faciunt *qui lætantur cùm malè fecerint*, vel illud indifferenti oculo respicit vel ad illud non reflectit sine aliquo doloris & displicentiæ sensu. Atqui peccat in prima & secunda hypothesi. In primâ quidem, quia hujusmodi delectatio nova quædam est præteriti mali approbatio, novum proindè scelus in eo genere, cui corde applauditur, mœchiæ v. g. si gaudeat quòd mulierem seduxerit. In secundâ verò, quia patrem contemnit filius, eo ipso quo injuriam ejus, quasi extraneo factam, patienter suffert. Ergo ut

ma-

mala hæc evitet peccator, saltèm imperfectè conteri debet, statim atque meminit se in Deum peccasse.

Conclusio IV. Qui studiosus est salutis suæ, eam sententiam sequi practicè & aliis consulere debet, quæ contritionis præceptum urgere censet, statim ut actus ejus exeri potest.

Prob. in re controversa præstat eam opinionem sequi, quæ hinc quidem nihil habet periculi, indè autem absque multiplici periculo negligi non potest. Atqui opinio nostra, 1mo. nihil in futurum habet periculi, ut per se patet. 2do. Habet periculi plurimum adversa opinio, quæ ad dies aliquot, ad mensem, menses quatuor; imò ad annuæ confessionis tempus contritionem protrahi permittit. 1mo. enim parum consonat huic Spiritûs S. monito, quod præcepti speciem præfert: *Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem: subito enim veniet ira illius*, Eccli. 5. 2do. Deum irridere videtur. Annon enim Dei irrisor est, qui auditâ illâ commonitione: *Non tardes converti*, alioqui *veniam ad te tanquam fur*, obfirmato animo, in rebellione sua perseverat, nec timet incidere in manus Dei viventis? 3tio. Peccatorem exponit, 1mo. jacturæ temporis, quia quandiu est in statu peccati, nihil ex operibus suis percipit lucri, quod æternæ vitæ condignum sit, juxta id I. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* 2do. Periculo è peccato in peccatum proruendi: quia, ut docet S. Gregorius, Hom. 11. in Ezech. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* 3tio. Periculo damnationis æternæ, cùm in peccatores ingruat *interitus quasi tempestas, quasi dolores parientis*; & ex iis multi quotidie lectum petant vegeti, qui uno post instanti illud audiunt: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.*

Obj. 1mo. Præceptum contritionis est affirmativum. Atqui præcepta affirmativa non obligant statim & pro semper, sed determinato tempore. R. 1mo. interrogando eos qui argumentum istud proponunt, an è viginti peccatorum millibus, qui eodem nixi ad unum duosve menses contritionem distulerunt, nè unus quidem in æternum perierit, hac præsertim ætate qua vigent subitaneæ mortes. Magninè porrò erit argumentum quod vel unum hominem damnat. R. 2do. dist. maj. est affirmativum simul & negativum, C. affirmativum simpliciter, N. Ità enim præcipit amorem Dei, ut præcipiat nè Dei inimici tranquillè maneamus. Id enim si terrenus pater in filio abhorret, quantò plus Deus in nobis? Hinc aliud istud præceptum: *Non tardes convecti ad Dominum.*

Obj. 2do. Si præceptum contritionis obliget statim ac post peccatum impleri moraliter potest, peccabit homo qaoties il-

lud

lud negliget; centies proindè in hora, si centies in memoriam redeat peccatum. Atqui hæc sunt contra sensum Fidelium, qui nec ista accusant, nec de iis à Confessariis interrogantur. R. nos difficultatis hujus solutionem præstolari ab adversariis. Ii nempè fatentur, 1mo. hominem in probabili mortis periculo, prohinc ab initio periculosæ navigationis, teneri ad contritionem; 2do. eum qui ad quinque menses contritionem differt, novi tandem peccati reum fieri. Dicant ergo quot admittat peccata, qui per longum procellosæ navigationis tempus nè semel quidem ingemuit de peccato; vel funestum attigit tempus quo urgere incipit serii doloris præceptum. Quod reponent, id à nobis reponi putent.

Quod addunt, Confessarios de his non interrogare; sicut, inquiunt, *nec interrogare solent* eos qui ab anno non sunt confessi, *an per id tempus actus fidei, spei & charitatis elicuerint*; ad summum probat è Confessariis esse non paucos qui muneri suo desint: novimus certè qui de his interrogent cùm opus est. Erit autem opus,nisi defectus ille è confessionis seriè satis intelligatur; ut in iis statim intelligitur qui in habitu scelerum & plena Dei oblivione degunt.

An & quatenus contritio dici possit causa meritoria remissionis peccatorum, colligetur ex iis quæ dixi cap. 4. Tractatus de actib. hum.

§. II. *De Contritione perfecta.*

Contritio alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta quæ simpliciter contritio dicitur, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero ex motivo charitatis perfectæ. Contritio imperfecta quæ & attritio vocitatur, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero propter motivum aliquod supernaturale, seu per fidem cognitum, distinctum à motivo charitatis perfectæ. De prima quæritur 1mo. an semper, an tantùm in casu necessitatis, hominem justificet, priusquam actu recipiatur Sacramentum. 2do. An sit necessariò requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ. 3tio. An ad ipsam requiratur formale Sacramenti votum, &c.

An Contritio semper justificet ante Sacramentum.

Duæ sunt eâ de re opiniones. Docet prima per contritionem, statim ut perfecta est, deleri peccata. Censet secunda per eam deleri quidem peccata cum perfectissima est, at non

deleri *ordinariè*, *sed rarò*, extra casus necessitatis, quales sunt articulus mortis, timor scandali, &c. Ità Baïus, Estius, &c. Sit

CONCLUSIO. Contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed semper hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu recipiatur.

Prob. 1mo. ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ibid. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit:* ubi *dies* pro momento accipitur Hebraica phrasi, ut Genes. 2. *In quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Atqui iis in locis generatim promittitur cuicumque perfectè converso remissio peccatorum, eaque statim concedenda.

Prob. 2do. ex Sancto Leone, epistola 84. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm conversus ingemueris, salvus eris.* Atqui hæc generaliter prolata nullam ferunt restrictionem pro solis necessitatis casibus.

Prob. 3tio. ex Trid. Sess. 14. c. 4. ubi hæc: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, &c. Atqui verba hæc in obvio sensu intellecta; docent contritionem, quando *perfectam* hanc *esse contingit* hominem reconciliare ante usum Sacramenti, non autem aliquando reconciliare, aliquando non, unde protrita fuit hæc Baïi thesis; n. 68. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sinè actuali susceptione Sacramenti* quæ est ipsissima Estii opinio.

Obj. 1mo. Perfecta fuit contritio Peccatricis, de qua Luc. 7. Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Atqui tamen Peccatrix non statim justificata est; sed tunc tantùm cùm ad Salvatorem accessit: unde nec in præterito dictum est ei: *Remissa sunt*, nec in præsenti, *quoniam diligit*, sed *quoniam dilexit.* Ergo.

R. ad 1. neg. min. & dico Peccatricem vi suæ ex multa dilectione contritionis illicò fuisse justificatam, ità ut dolor ardenti succensus charitate, veniam peccatorum sola, ut aiunt, prioritate naturæ, non autem temporis præcesserit.

Nec nocet verbum id præsentis temporis, *remittuntur*, tum quia Græci, Syri & Arabici Codices habent *remissa sunt*; tum quia vult Christus absolutionem jam datam coram hominibus confirmare: Sic Marci 5. Mulieri ait, v. 34. *Esto sana à plaga tua*, & hæc tamen jam *sanata* erat à profluvio sanguinis, ibid. v. 29.

Nec

Nec nocet rursùs quòd juxta PP. Mulier *accessit immunda, ut rediret munda*; quia hæc intelligi possunt de toto mulieris accessu adæquatè sumpto, prout veniendi, & alia quæ scribit Lucas, pietatis officia exercendi, votum complectitur.

Obj. 2do. Paulus plenissimè contritus fuit, cùm in via Damasci divina voce prostratus est. Atqui tamen vel tunc temporis justificatus non est; ut docet Aug. Serm. 1. & 25. de SS. ubi hæc: *Ananias baptisavit lupum, & fecit agnum*; vel saltèm qui de contritione ejus dubitare non poterat Ananias, ad minus de ejusdem justificatione dubitavit, ut ex his illius verbis patet: *Baptisare, & ablue peccata tua.* R. neg. min. & dico cum S. Thoma 1. 2. q. 112. a. 2. Paulum, quo instanti divina voce percussus se ad omnia paratum exhibuit, justificationis gratiam esse consecutum. *Ità passim Interpretes, ac nominatim S. Gregòrius Lib.* 11. *Moral. cap.* 7. ait Corn. à Lapide. Unde quod dicit Aug. Ananiam de lupo agnum fecisse, non sic intelligendum est quasi Paulus usque ad Baptismum lupus esse perrexerit; id enim exhorrent christianæ aures; sed quia Baptismus erat conditio justificationis Pauli necessariò confirmativa. Hinc Aug. ipse, Serm. 175. *Quare*, inquit, *trepidas ire, Anania, ad eum qui* JAM LUPUS NON EST; *Respondet tibi Dominus* DE LUPO OVEM FECI.

Obj. 3tio. Si perfecta contritio hominem vi propria reconciliaret, utique ante Baptismum, ut ante Pœnitentiam. Atqui non ità est, siquidem Augustini ævo plures erant fervidæ charitatis Catechumeni. Atqui hi tamen non justificabantur ante Baptismum. *Quantumcumque*, ait S. Doct. Tract. 13. in Joan. *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat: non ei dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.* R. ad 1. & 2. neg. min. in qua *à dicto secundùm quid*, arguitur *ad dictum simpliciter.* Neque enim loquitur Augustinus de omnibus universim Catechumenis, sed de certa specie, quæ tunc temporis dominabatur; de iis nimirum qui sua contenti sanctitate, quam plurium baptisatorum sanctitati præferebant, Baptismi receptionem ex fastidiosa negligentia omittebant.

Hujusmodi homines qui in se confidebant tanquam justi, meritò redarguit August. *Neque enim, ait ipse* Lib. 4. de Bapt. c. 25. *ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur.* Unde in forma, dist. Cathecumenus, quantumcumque proficiat, id est, sibi proficere videatur sarcinam iniquitatis portat, si vel contemnat, vel ex gravi negligentia Baptismum omittat, vel pro viribus non curet in se accendere perfectam charitatem, C. portat sarcinam iniquitatis, etiamsi vera & plena charitate informetur, uti censet Estius, N.

Inst. qui Cathecumeni charitatem comparat cum charitate Cornelii Centurionis, & hunc charitate sua, tametsi perfecta, non justificatum fuisse docet; ille supponit charitatem stare cum peccato usque ad tempus Baptismi. Atqui Augustinus comparat - - - Sic enim loquitur, Lib. de divers. quæst. q. 2. n. 2. *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cœlorum, sicut in Cathecumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ - - - Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.* R. neg. min. Nihil enim est in Augustino unde colligi possit Cornelium ante adventum Petri perfecta donatum fuisse charitate. Imò in eo, ut in iis plerisque qui Cathecumeni fieri incipiunt, quasdam tantùm *fidei inchoationes conceptionibus similes* admittere videtur: Eæ porrò ad justitiam disponunt, sed non sufficiunt. Videtur quidem Augustinus illas, fidei inchoationes in Cornelio continuare usque ad tempus quo is per Sacramentorum participationem Ecclesiæ incorporatus est: verum id de participatione in voto proximo intelligendum est, nè Augustinus Scripturæ. Act. 44. 10. palàm contradicat.

An perfecta Contritio ad Pœnitentiæ Sacramentum necessaria sit.

Non defuêre, etiam post Tridentinum, qui affirmativam tenuerint; at invaluit opinio contraria, & meritò. Sit

Conclusio. Contritio perfecta non est necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Prob. 1mo. Contritio perfecta semper justificat etiam extra Sacramentum, ut modò probavimus. Atqui contritio per se justificans non est ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria; 1mo. quia Ecclesia verè dimittit peccata, non autem tantùm declarat ea esse dimissa, ut constat ex Cap. 2. p. 33. Atqui si ad Pœnitentiam prærequiratur contritio justificans, Ecclesia verè non dimmitteret peccata, sed jam dimissa declararet; 2do. quia Pœnitentia eò Sacramentum mortuorum dicitur, quòd per se instituta sit ad suscitandos homines à morte peccati. Atqui id præstare non posset, si semper homines inveniret jam à peccati morte per contritionem suscitatos.

Prob. 2do. quia Clerus Gall. in comitiis an. 1700. duo *ex sancta Synodo Trid.* doceri vult & moneri, *primum, nè quis putet in utroque* Baptismi & Pœnitentiæ *Sacramento requiri, u præviam contritionem illam quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti antequam actu suscipiatur, hominem Deo recon-*

reconciliat. Alterum, &c. His accedit cenſura Facultatis Pariſienſis in Seguenotii theſim noſtræ adverſam, de qua ſupra, pag. 28.

Quæres an & quale Sacramenti votum ad perfectam contritionem requiratur. Not. Votum eſt voluntas ſeu propoſitum recipiendi ſuo tempore Sacramenti. Votum vel *formale* eſt ſeu *explicitum*, quod rei cognitionem ſupponit, & expreſſam ejus voluntatem importat; vel *implicitum*, quo quis vult rem, non quidem in ſe, ſeu quia hanc ignorat, ſeu quia ad ipſam non attendit, ſed in alio, quod perfectè velle non poteſt, niſi neceſſaria ejus conſectaria velit.

R. 1mo. votum Sacramenti Pœnitentiæ ad perfectam contritionem requiri. Ratio eſt, quia ad perfectam contritionem requiritur propoſitum ea omnia implendi ſinè quibus ſtare non poteſt peccatoris juſtificatio. Hæc autem poſitis rebus ut ſunt, ſtare non poteſt ſinè Sacramento Pœnitentiæ; quia nemo etſi perfectè contritus peccatorum remiſſionem actu obtinet, niſi ea lege, ut peccata ſua clavibus ſubjiciat. Unde Trid. Seſſ. 14. c. 4. docet *reconciliationem* quæ à contritione oritur, *ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

R. 2do. non requiri abſolutè votum formale, ſed ſufficere implicitum; 1mo. quia alioqui damnabitur homo, qui penè ut Jonas, è mari medio in quod demerſus eſt, præſtantem elicit contritionis actum, omiſſo voto confeſſionis, quam videt impoſſibilem; 2do. quia magis neceſſarium eſt in contritione propoſitum non peccandi de cætero, quàm confitendi: prius enim ex natura rei requiritur: poſterius verò ex poſitiva tantùm Chriſti inſtitutione. Atqui ad contritionem ſufficit propoſitum virtuale non peccandi de cætero. Ergo à fortiori & virtuale Sacramenti propoſitum.

Sed de his ſatìs: ſic enim Chriſtianus quiſque puer didicit contritionis actum à ſacramenti voto finire, ut nemo hìc unquam aberret.

§. III. *De Attritione.*

Attritio, eſt proprii peccati deteſtatio, & dolor ex ſupernaturali motivo, ei tamen inferiori quod contritionem perficit, conceptus cum propoſito non peccandi de cætero, & ſpe ac petitione veniæ. Motivum illud motivo charitatis inferius, vel eſt peccati turpitudo, vel gehennæ metus, vel amor virtutis, beatitudinis æternæ, &c. De attritione quæritur 1mo. an bona ſit & utilis; idque pertinet ad dogma: 2do. an ſola ſufficiat

ficiat

ficiat in Sacramento Pœnitentiæ; & hoc pertinet ad ſcholam.

Utrùm Attritio ex gehennæ metu bona ſit.

Timor in genere definitur Motus animi malum aliquod imminens refugientis. Timor vel eſt mundanus, vel ſervilis, vel filialis, vel qui inter utrumque medius eſt initialis. Timor *mundanus* ille eſt, quo quis Deum offendit, nè temporale malum ſibi alioqui à creaturis inferendum incurrat; prout fecit Petrus, cùm Chriſtum negavit. Metum hunc reprobavit Chriſtus Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Undè de eo non agitur in præſens. Timor *ſervilis* ille eſt, quo quis peccatum fugit, quia ſervorum more pœnam peccato præparatam veretur. Is autem timor vel eſt *ſerviliter ſervilis*, cùm quis abſtinet quidem exteriùs à peccato quia pœnam metuit, ſed ità eſt ſaltèm implicitè affectus, ut ſi abeſſet pœna, illud committeret. Vel eſt *ſimpliciter ſervilis*, cùm quis abſtinet, quidem à peccato tanquam inductivo pœnæ, ſed ſinè affectu illius committendi, ſi hæc abeſſet; vel ſaltèm abſtrahendo ab eo quod ageret, ſi pœna peccato non eſſet intentata. Timor *filialis* ille eſt quo culpa timetur non ut inductiva pœnæ, ſed ut Dei, patris optimi offenſiva. Timor *initialis*, is eſt quo quis peccatum fugit, tum quia inductivum pœnæ, tum quia offenſivum *Dei*: ità tamen ut, juxta S. Thomam 2. 2. q. 19. ut ſecundariò pœnam, primariò autem offenſam timeat.

Metum etiam initialem uti bonum admittunt omnes: eum verò qui ſerviliter ſervilis ſit rejiciunt. Tota igitur lis in eo eſt an timor ſimpliciter ſervilis, quo quis abſtinet à peccato ex gehennæ metu, quem ad Deum propter ſe dilectum non refert, vel in ſe malus ſit, vel ſaltèm verum includat peccatum omiſſionis, quatenus ad Deum ex charitate dilectum non refertur. Poſtremum hoc admittunt Janſeniani, ut patet ex his Quenelli propoſitionibus, 61ma. *Timor nonniſi manum cohibet: cor autem tandiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.* 62da. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud comittit in corde ſuo,* &c. Sit

CONCLUSIO I. Attritio ex ſolo gehennæ metu concepta bona eſt & utilis.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Eccli. 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas - - - dicentes; Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Unde ſic: Actio,

ca-

cujus motivum bonum est & salutare, nonnisi bona & utilis esse potest. Atqui motivum attritionis ex solo gehennæ metu conceptæ bonum est & salutare. Motivum enim quod & justis proponitur, & peccatoribus universis, iis proinde qui necdum ullo veræ charitatis sensu moventur, bonum est & salutare. Atqui attritionis motivum, ipse videlicet gehennæ metus, & justis proponitur, & peccatoribus è quibus multi semper fuere, præsertim apud Judæos, duræ cervicis gentem, qui vix graviorum suppliciorum formidini cederent, nedum teneræ charitatis impulsu traherentur.

Prob. 2do. ex S. Aug. quem ut olim Lutherani, sic nunc totum suum esse clamant Jansenistæ. S. Præsul in psalm. 27. n. 7. tres secernit timoris species, quarum prima constituit timorem castum; secunda metum servilem, quo quis timet nè quid in terra patiatur mali; tertiam verò his describit verbis: *Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet. Audistis, cùm Evangelium legeretur: Ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Audiunt hæc homines - - timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent equidem, sed non amant justitiam: cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ; & incipit quod durum erat, amari.* Et n. 8. *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnam timet: timore facit quidquid boni facit; non timore* amittendi bonum illud, sed timor *patiendi illud malum. Non timet nè perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet nè mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est, sed nondum est iste castus permanens in seculum seculi.* Unde sic: Timor de quo hic loquitur Aug. est simpliciter servilis, uti Jansenius fatetur. Atqui timoris hujusce actus hominem coram Deo reum non facit. Actus enim quo quis abstinet à peccato, & tam utiliter timet, ut contrahat justitiæ consuetudinem, hominem peccati reum non facit. Sed nec actus ille merè naturalis dici potest: cùm ex actu merè naturali exurgere non possit justitiæ consuetudo, in eo potissimùm systemate, in quo omnis actus liberi arbitrii per gratiam non adjuti verum est peccatum. Atqui per timorem de quo loquitur Aug. continet se homo à peccato, & tam salubriter timet, ut habitum justitiæ & amoris sensim comparet. Ergo.

Idem S. Doctor. Serm. 161. cap. 8. utrumque temporalis & æterni damni timorem prolixè discutiens quærit ab homine in adulterium propenso, cur, quod facilè posset, crimen non committat. *Respondit*, inquit, *quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni - - - Quid dicturus sum? Malè times? vanè times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato*

 timo-

timore hominum *subjecit timorem* gehennæ,*ubi dixit*:Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. *Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, dicturus ego sum, malè times? Ista non dicam. Planè time, nihil meliùs times. Sed interrogo tè: Si non te videret Deus, quando facis, faceres? tu te vide - - - Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes, serviliter times. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te ut perducat te ad dilectionem, Timor enim iste quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; litera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste dum non facis timendo & veniet charitas - - - Quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id agebat nè faceres: charitas id agit, ut nolis facere, etiamsi impunè posses admittere.* Atqui hi S. Doctoris textus Quenellianum systema funditus subvertunt. Ibi quippe agitur de timore servili, per quem videlicet solum homo à peccato abstinet, ità ut in alia hypothesi, in qua timore illo fuisset destitutus, reipsa peccasset: cum è contra homo charitate motus, nequidem malum operari vellet in ea hypothesi in qua nihil haberet metuendum pœnæ. Atqui, quæcumque de hoc timore docet Augustinus, è diametro adversantur iis quæ de eodem timore docet Quenellus 1mo. Enim docet Aug. eum qui ex hoc timore agit, nec malè agere, nec in vanum. Atqui, quantumcumque timoris servilis bonitatem venditare videantur Janseniani, docent tamen eum qui ex eodem timore operatur, & in vanum & malè operari. In vanum quidem, quia ex propos. 53. Quenelli, *qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo* quàm charitatis, *in vanum currit*; malè verò, quia ex propos. 45. ubi non regnat amor Dei, regnat mala cupiditas, quæ *omnes* cordis *actiones corrumpit.* 2do. Loquitur Aug. de eo timoris actu, quem Christus *incussit, & vehementer incussit.* Atqui Christus vehementer non præcepit eum timoris actum, qui ex Quen. prop. 67. Christum *non sibi repræsentat nisi ut Dominum durum & intractabilem*; quique ratione finis semper est perversus, adeoque veri nominis peccatum. 3tio. Loquitur Aug. de timore, qui timentem custodit, qui ad dilectionem perducit, qui charitati locum ità præparat, ut juxta S. Doctorem Tract. 9. in Ep. Joan. *Si non est timor, non sit quò intret charitas.* Atqui metus servilis, qui juxta Jansenianos merè naturalis est, & gratia purè exterior, hos effectus parere non potest. 4to. Loquitur Aug. de timore qui efficit nè diabolus cor hominis possideat, quique *animum* etiam *interiorem* jàm *peccare* volentem *continet*, & peccare non

non finit. Atqui hæc conciliari non valent cum fystemate Quenelliano, juxta quod timor manum quidem cohibet, cor verò & animum cohibere non poteſt. 5to. Loquitur Auguſt. de timore qui differt à mortis naturalis timore, ut bonum differt à malo. Ergo loquitur de timore, qui non tantùm penès ſubſtantiam & ratione officii, ſed undecumque bonus eſt. Ipſe enim mortis timor ratione officii bonus eſt & neceſſarius.

Nec obeſt quòd ſervilis ille timor, non gratiæ juvanti, ſed minanti litteræ tribuatur à S. Doctore. Id enim eo dictum eſt ſenſu, quòd gratia terrens ad antiquum potiùs quàm ad novum Teſtamentum pertineat; licèt & in novo debeat reperiri, ſecundum id S. Doctor. in Pſal. 77. *Initium eſt vetus Teſtamentum, finis novum: Timor enim prævalet in Lege, ſed* & in nova *initium ſapientiæ timor Domini. Niſi* enim, ait S. Præſul in Pſalm. 149. *timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.*

Prob. 3tio. ex Trid. Seſſ. 6. can. 8. Ubi *ſi quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit.* Et Seſſ. 14. can. 4. declarat S. Synodus, *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur - - - ſi voluntàtem peccandi excludat, donum Dei eſſe & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.* Unde ſic: Si attritio aliunde vitioſa ſit, vel quia licèt ſit à gratia, non tamen eſt à charitate ſaltèm initiali, vel quia non excludit voluntatem peccandi. Atqui ſtante Tridentini doctrina nullum ex his dici poteſt.

Non 1. tum quia ſi attritio vitioſa ſit quatenus initiali charitate deſtituta, vitioſum erit opus quodcumque non profluet à radice charitatis. Id autem falſum eſſe liquet ex Tract. de Actib. human. Hinc reprobata eſt an. 1690. ab Alexandro VIII propoſitio iſthæc: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſinè dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.*

Non 2. quia hæc verba, *Si voluntatem peccandi excludat*, manifeſtè ſupponunt dari attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat: alioqui Concilium pro diſpoſitione ad juſtificationem ridiculè proponeret attritionem, quæ in rerum natura non extat.

Prob. 4to. Ea actio undequaque bona eſt, quæ bonum habet objectum, quæ in illud per medium legitimum tendit; quæque ex parte finis ultimi culpari non poteſt. Atqui attritio, 1mo. bonum habet objectum. Siquidem objectum ſeu finis

nis proximus attritionis est fuga pœnæ omnium maximæ. Hanc porrò pœnam vereri & fugere juxta legem Christi, bonum est. Unde suprà August. *Time: nihil est quod magis timere debeas.* 2do. Attritio in illum finem tendit per medium legitimum. Medium enim quod illa assumit, est emendatio vitæ, detestatio peccati, firmum ab eo deinceps abstinendi propositum, idque juxta motum Spiritûs S. nondum quidem inhabitantis, sed tamen efficaciter moventis. Atqui nihil est in hoc medio illegitimum. Si quid enim hic redargui possit, maximè implicita quædam & latitans peccandi voluntas. Atqui hoc non. Verum enim & ab ipsis Scripturis propositum fugiendæ gehennæ medium id omne excludere debet, quod gehennam mereri potest. Atqui ipsa peccandi voluntas gehennam meretur. Ergo attritio voluntatem hanc excludere debet; & si non excludat, haud erit veri nominis attritio. 3tio. Demùm attritio ex parte finis ultimi culpari nequit. Eatenùs enim ex illa parte redargui posset, quatenùs vitiosa diceretur actio omnis, quæ ad Deum ex motivo charitatis saltèm inchoatæ non refertur. Atqui principium illud solidè confutavimus in Tract. de Act. humanis.

Obj. 1mo. quod opponitur charitati, bonum esse non potest. Atqui metus, ideoque & attritio inde nata, opponitur charitati. Prob. min. ex 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foràs mittit timorem.*

Confirm. Malè fit, quidquid fit ex alio quàm Evangelii spiritu. Sed quod fit ex timore - - - Prob. min. ex 2. Timot. 1. *Non dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis.*

R. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. Charitas expellit timorem, sicut magis perfectum excludit minùs perfectum; Quo sensu visio beatifica fidem & spem excludit, C. Expellit timorem, ut contrarium sibi in genere mali, subd. expellit timorem mundanum vel serviliter servilem, C. servilem simpliciter, N. Si enim charitas timorem gehennæ ut malum sibi contrarium propelleret, ubicumque esset vera charitas, hic statim desineret timor. Id autem falsum est; cum ex August. in Psalm. 68. Martyres ipsi mortis timorem timore inferi vicerint.

Ad confirm. dist. malè fit quod fit ex alio, id est, ex spiritu positivè contrario spiritui Evangelii, C. quod fit ex alio, id est, ex spiritu qui in Evangelio non dominatur, nec tamen ab eo excluditur, N. Etsi porrò non decet ut Christiani, Judæorum instar, timore potissimùm moveantur, constat tamen eos utiliter timore concuti, idque ab ipso Christo præceptum esse Matth. 10. Unde timor & amor non adeò sunt tota utriusque

Te-

Testamenti differentia, ut vel nullus in antiquo fuerit amor, vel nullus in novo sit timor: *Utrumque in utroque* est ait August. Lib. 1. de morib. Eccl. *Prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.*

Inst. Charitas uti malum expellit quidquid inordinatum est. Atqui timor gehennæ - - - Ille enim timor inordinatus est, quo quis plus timet peccati pœnam, quàm culpam peccati. Sed qui movetur timore servili, &c. R. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Qui movetur timore serviliter servili, plus timet pœnam, C. qui movetur timore servili sinè servilitate, N. nam non plus detestatur appretiativè pœnam quàm culpam: non enim unam cum alia comparat, nec alteri præfert; sed præcisè detestatur gehennam propter se, & culpam propter gehennam, neutram alteri præferendo, sed præscindendo ab appretiatione.

Inst. 2do. ille magis æstimativè detestatur pœnam, quàm culpam, cui pœna totum est motivum detestandi culpam. Atqui peccatum timenti & detestanti propter gehennam, gehenna totum est motivum, &c. Sublato enim metu gehennæ non timeretur culpa, quæ propter solam gehennam vitari supponitur. R. neg. maj. Sicut enim non valet illatio hæc: Deus Incarnationem voluit propter homines Ergo plus amat homines quàm Incarnationem; nec isthæc quoquè: Servus diligit Dominum propter cibum; ergo plus cibum diligit, quám Dominum; sic nec valet illatio quæ objicitur. Ratio ulterior est, 1mo. quia actus à Spiritu S. directus, magìs æstimativè detestari debet id quod majus est malum. 2do. quia tunc tantùm è duobus quæ ad eundem actum concurrunt, unum pluris quàm aliud æstimatur, cùm vel in eo ultimatè conquiescit homo, ut in sanitate, qui medicinam sumit; vel unum cum altero comparat. Atqui nec conquiescit homo attritus in sola gehennæ fuga, sed ad melius quid anhelare incipit; nec gehennam comparat cum culpa, sed tantùm culpam odit propter gehennam: quo ferè modo vir justus qui furem suspendi videt, furtum odit propter supplicium; nec tamen plus odit suspendium quàm furtum.

Obj. 2do. Dolor ad gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ obtinendam disponens, excludit voluntatem peccandi; *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*; ait Trid. Atqui dolor ex solo metu conceptus non excludit, &c. Dolor enim ille per se solum non excludit, id quod solus amor justitiæ excludere potest. Atqui peccandi voluntatem - - - Prob. min. ex eo August. Lib. 2. contra adversarium legis, &c. c. 7. *Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Et Lib. de Na. & Gr.

Gr. cap. 57. *Qui timore supplicii quod Lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quòd occultè desiderat.* Idem docent SS. Prosper, Gregor. Bernardus, &c. Utique porrò qui actu in ipsa voluntate reus est, actu peccat. Sed, juxta August. qui ex metu servili agit, &c. Ille enim actu reus est in voluntate, qui ità affectus est ut pecccare mallet, quàm abstinere à peccando, si pœnam non timeret. Atqui ex August. qui agit ex solo metu, ità affectus est, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Voluntas peccandi non extinguitur ex Aug. nisi per desiderium rectè faciendi,non extinguitur inquam, id est, non tollitur quo ad habitum, C. non extinguitur,quo ad actumSubd.non extinguiiur ubi deest fides operans per dilectionem latè vel strictè sumptam,C. strictiori sensu, N. Ut indubia sit hæc solutio pro 2da parte, quæ sola difficultatem habet, duo sufficiunt, 1mo. ut Augustinus expresè agnoverit peccandi desiderium actu perimi in eo qui ex metu operatur; 2do. ut dum etiam dilectionem, imò & charitatem ad bonum hominis opus requirit, non requirat eam charitatis speciem, quæ Deo propter se dilecto inhæret, sed illud tantùm piæ affectionis genus, quod ei non deest qui ex metu supernaturali agit. Atqui utrumque constat. Primùm liquet ex cit. serm. 161. ubi S. Doctor: *Quid* ait *dicturus sum* homini à crimine abstinenti nè cum diabolo ardeat. Num ei dicam: *Male times vanè times - - - ista non dicam - - - Time; ut ista formido perducat te ad dilectionem*, &c. Porrò actus quo quis intùs reus foret adulterii, à quo ex metu abstinet exteriùs, eum utique ad dilectionem non perduceret. Secundum non minùs constat. Si enim Augustinus in affectu etiam naturali charitatem licitam & rectam admiserit, dubio procul admisit, in actione quæ producitur ex impulsu Spiritùs S. Atqui charitatem licitam & rectam in ipso naturali affectu admisit August. Notum id S. Doctoris Serm. 349. *Charitas alia est divina, alia est humana, alia humana licita, alia illicita - - - - Licita est humana charitas, quâ uxor diligitur, illicita, quâ meretrix, vel uxor aliena. Licitam ergo charitatem habere: humana est, sed ut dixi, licita est; & ità licita, ut si defuerit, reprehendatur.*

Ad textum ex Lib. de nat. & gr. dist. qui ex metu agit, mallet peccare, sed extra hypothesim in qua versatur, & in sensu diviso timoris, C. Mallet, id est, actu mavult in sensu composito timoris, Subd. Mavult cùm humano tantùm aut servili-

viliter servili timore movetur, C. cùm etiam movetur metu supernaturali, N. Ut attritio vitiosa foret ex eo quod objicitur capite; necessum foret ut explicitè vel implicitè pravum hunc affectum includeret: *Peccata non detestarer, si nulla eis imposita esset pœna*: Atqui licèt attritio merè humana affectum hunc includere possit, non tamen ea quæ supernaturalis est & efficax. Hæc enim donum est Spiritûs S. peccatorem ab iniquitatis viâ ad viam justitiæ revocare studentis; prout Ninivitis contigit. Implicat porrò ut malo laboret affectu opus quod est ab efficaci S. Spiritûs impulsu. Neque hic falluntur adversarii, nisi quia metum ex gratia prodeuntem cum metu purè naturali, qualis est in servo, vel in fure; comparant; aliumque ex alio metiuntur.

An Attritio sola sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ.

Ut famosam hanc disceptationem clarè pertractemus, videndum 1mo. an. Trid. Synodus definierit attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, satis esse in Pœnitentiæ Sacramento; 2do. an practicè secura sit opinio, quæ attritione cognita qua tali contenta est; 3tio. si hæc non sufficiat, quid ultra requiratur.

CONCLUSIO I. Tridentinum nullibi definiit attritionem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ.

Prob. 1mo. si quæ à Trid. Patribus prodiisset ea de re definitio, huic indubiè adhæsissent Theologi, qui Concilio interfuerant, quive eidem coævi aut propè coævi vixerunt. Atqui ex iis nec pauci, nec infimæ notæ, attritionem ut justificando per se imparem explosêre; cæteri verò nullâ eos censurâ tunc temporis affecêre. Sic Lainez, secundus S. J. Præpositus. & Pontificis in Concilio Theologus, teste Pallavicino, *dixit. Sacramento esse necessaria, Pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem.* Sic & Jaïus, qui easdem sanè ad Pœnitentiam exegisset dispositiones, quas ad Baptismum, ad hunc dilectionem prærequirebat, ut scribit Pallavicinus L. 8. c. 13. Idem docuêre Salmeron, Canisius, Edmundus Augerius, Toletus L. 3. Instruct. Sacerd. c. 4. num. 8. edit. Rom. &c. Nec minùs constat Theologos, qui attritionem servilem tuiti sunt, ut Vega & D. Soto, uterque conciliii Theologus, nullam his qui aliter sentirent, notam inussisse.

Prob. 2do. Si attritionis puræ sufficientia in Tridentino definita fuerit, nulli notior esse potuit definitio hæc, quàm Sedi Apost. Atqui Apostolica Sedes definitionem hanc ignorat; & qui eam supponunt, anathemate percellit. Primum patet ex

Con-

Concilio Rom. an. 1725. ubi sic pag. 404. *Communis hodie est sententia, bonam esse in Confessione, non tamen necessariam contritionem perfectam; quandoquidem sufficiat attritio, seu pura, seu ad summum juncta cum aliquo benevoli erga Deum amoris principio*: QUOD HACTENUS MANET A SANCTA SEDE INDECISUM. Secundum liquet ex celebri Decreto Alexandri VII. an. 1677. ubi sapiens Pontifex vetat sub pœna excommunicationis sibi reservatæ, nè quis omnino *audeat alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex gehennæ metu concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede, fuerit aliquid hac in re definitum.* Ubi notand. attritionis formidolosæ sententiam, Alexandri VII. tempore fuisse communiorem; quia tunc vigeret tam numerosa Casuistarum laxiorum cohors, ut ferè nihil non probabile haberetur.

Prob. 3tio. authoritate Cleri Gall. qui an. 1700. propositionem hanc: *Concilium Trid. adeò expressè statuit attritionem quæ supponitur esse sinè amore Dei, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiaverit adversùs negantes*; reprobavit ut *falsam, temerariam. Concilio Trid. contrariam*, &c.

Obj. 1mo. Ex Trid. Sess. 14. C. 4. *Quamvis* attritio *sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Atqui verbum *disponere*, de proxima, adeoque de sufficienti dispositione intelligi debet. Concilium enim certam vim tribuit attritioni in Sacramento, qua omninò caret extra Sacramentum. Atqui extra Sacramentum reremota est ad gratiam dispositio. Ergo in Sacramento proxima est & sufficiens dispositio. R. ad 1. neg. min. Synodus enim verbo *disponit* consultò usu est, nè definiret attritionem in Sacramento sufficere. Cùm enim, teste Pallavicino L. 12. c. 10. conditum fuisset *à nonnullis Decretum*, quo statuebatur attritionem, *non solùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam sufficere ad Sacramenti* Pœnitentiæ *constitutionem*: monuit Joannes *Æmilianus Tudetanus Præsul, qui stabat pro contritionis perfectæ necessitate, variare ea de re Authorum sententias; atque adeò id esse tollendum*; unde *Decretum sicut nunc extat, reformatum est.* Sanè non definivit Concilium id quod solemniter declaravit se definire nolle. Atqui declaravit Concilium se definire nolle sufficientiam attritionis; dum ex priori Decreto expunxit vocem *sufficere*, quia circa sufficientiam hanc variabant Theologorum sententiæ.

Ad

Ad 2. neg. maj. Neque enim, ut malè ſupponunt adverſarii, Trid. Patres attritionem extra Sacramentum comparant vel opponunt attritioni intra Sacramentum; nec proinde eidem in Sacramento aſſignant vim qua careat extra Sacramentum, id eſt, vim diſpoſitionis proximæ. 1mo. quia non faciunt Patres id, quod facerent, decretum ſuum reformarunt. 2do. quia alioqui ore rotundo dicere debuiſſent, attritionem, etſi, contritionis perfectæ inſtar, hominem ad juſtitiam per ſe deducere non poſſe extra Sacramentum, eum tamen ad juſtitiam perducere in Sacramento. Spectat ergo ſacra Synodus attritionem ut in ſe eſt, non verò quatenùs in Sacramento aut extra Sacramentum: de ea autem ſic ſpectata affirmat, quòd licèt per ſe ad juſtitiam peccatorem perducere nequeat, *eum tamen ad gratiam in Pœnitentiæ Sacramento*, ubi ſolùm juſtitia peccatoribus conferri ſolet, *impetrandam diſponit.* Unde contra Lutherum ſequitur, quòd attritio licèt per ſe non poſſit reconciliare hominem extra Sacramentum, uti contritio perfecta, non ſit tamen inutilis & mala.

Obj. 2do. Ex Trid. Seſſ. 14. C. 4. contritio in genere eſt pars, utique ſufficiens, hujus Sacramenti. Ergo & attritio. Quod enim convenit generi convenit & ſpeciei. R. ad 1. diſt. ant. Eſt pars hujus Sacramenti, quando id omne habet quod ex Traditione & Tridentino ipſo requiritur ut ſit pars Sacramenti, C. ſemper & in quocumque caſu, N. Sicut enim ad Sacramentum non requiritur contritio perfecta; ſic ad Sacramentum poteſt non ſufficere quæcumque attritio. Cùm enim hæc aliquando ex ſolo gehennæ metu, aliquando ex ſuperiori motivo concipiatur; aliquando incompleta eſt, aliquando completa; & ideò quandoque ſufficit, quandoque non.

Quod dico, Attritionem aliquando ex digniori quàm metûs motivo concipi, his nititur Tridentini, verbis: *Illam veró contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu* COMMUNITER *concipitur*, &c. id enim, *communiter*, ſubindicat attritionem ex præſtantiori quàm gehennæ motivo poſſe oriri. Unde è priori Decreto, ubi attritio *ſolùm vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu* concipi dicebatur, vox *ſolùm*, à patribus deleri juſſa eſt. Quapropter cavendum, nè in Cathechiſmis nudè & ſimpliciter definiatur attritio, *Dolor ex gehennæ metu conceptus*: ſic enim reſtringitur Concilii definitio, quæ latiorem ſenſum patitur, ſi non prorsùs exigit.

CONCLUSIO II. Opinio quæ attritionis puræ ſufficientiam docet, vel eo rejicienda eſt quod in praxi tuta non ſit.

Prob.

Prob. 1mo. Opinio, qua, etiamsi speculativè supponatur probabilis, practicè uti non licet, est opinio in ordine ad mores prorsùs rejicienda. Atqui opinione quæ attritionis servilis sufficientiam adstruit, uti non licet, etiamsi, &c. Ut enim opinio ista nullum practicè usum habere possit, sufficiunt duo hæc, 1mo. ut eadem opinio tametsi probabilis, imò & opposita nonnihil probabilior [quod utique negamus] dubia tamen sit & incerta; 2do. ut, extrà necessitatis casum, illicitum sit in Sacramentis conferendis sequi opinionem dubiam, etsi probabilem, relicta tutiore; qualem esse oppositam fatentur omnes. Atqui utrumque constat. Primum quidem: Illa enim opinio incerta est, cujus opposita non improbabilibus fulcitur momentis, & teneri potest ut probabilis. Atqui opinio opinioni de sufficientia formidolosæ attritionis opposita, est ad minus probabilis. *Quis* enim, ait Henno ipse, postquam omnes intendit nervos ut attritionem puram vindicaret: *quis dicere ausit moraliter improbabilem esse opinionem, quam hoc tempore tot hoc sustinent Episcopi, Academiæ & Theologi*, præsertim cùm *ante Tridentinum vix reperire sit Authores, qui dixerint sufficere attritionem sinè aliquo Dei amore benevolo. Unde Suarez scribens post Trid. de nostra sententia dicebat: Illa opinio nec valdè antiqua est, nec multùm communis.* Secundum non minùs constat, 1mo. quia damnata est ab Innocentio XI. an. 1679. & à Clero Gallic. an. 1700. hæc assertio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* 2do. quia reipsa non licet sequi opinionem, quæ æternæ ruinæ periculo eum exponit à quo practicè tenetur. Atqui opinio, cui sufficiens est attritio formidolosa, utpotè nec indubia nec certa, æternæ damnationis periculo eum exponit à quo practicè tenetur, atqui opinio, cui sufficiens est attritio formidolosa utpotè nec indubia, nec certa, æternæ damnationis periculo eum exponeret, à quo practicè tenetur, ut docet Suarez: imò evponeret adhuc, si, quod negamus, opposita probabilior supponeretur. Quia qui sola contenus esset attritione servili, materiam dubiam adhiberet pro certa, adeoque Sacramentum exponeret nullitari, citra necessitatem. Neque enim negabunt adversarii Deum, qui impossibilia non jubet, eas, urgente præcepto, gratias largiri, quæ ad detestandum ex perfectiori quàm attritionis motivo peccatum, requiruntur. Sicut ergo pessimè audiret medicus, qui omissa citrà causam medicina indubiè profutura, aliam probabiliter tantum profuturam daret, ægroto; sic à pari in præsenti materia.

Obj. 1mo. Tuta est practicè opinio, cujus praxim approbat Ecclesia. Atqui - - - Illius enim opinionis praxim approbat Eccle-

Ecclesia, quam scit & permittit doceri ut veram & practicè tutam. Atqui scit Ecclesia, &c. R. ad 1. neg. min. ad 2. 1mo, retorq. argumentum. Illius opinionis praxim improbat Ecclesia, quam scit & ad minus permittit rejici ut falsam ut nullatenùs securam in praxi. Atqui scit Ecclesia - - - Neque verò ignorat Apostolica Sedes, quæ sit ea de re sententia seu Cleri Gallicani, cùm is eam publicis monumentis inscripserit; seu innumerabilium toto Orbe Theologorum; cùm ex his alii suos ea de re Libros Rom. Pontifici, alii Ministris ejus dedicaverint.

R. 2do. neg. maj. 1mo. quia Thesis ista: ***Debet** opinio censeri probabilis, dùm non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem*, damnata est ab Alexandro VII. an. 1665. & à Clero Gallic. an. 1700. *ut scandalosa, saluti animarum noxia, &c.* 2do. quia si quis attritionis sufficientiam appabasset, maximè Clemens X. dum hanc ulla censura notari vetuit. Porrò Clemens X. Lovaniensibus deputatis renuntiavit, *se in ea esse sententia quòd requiratur aliquis Dei amor propter se in Sacramento.* 3tio. Non magìs Ecclesia servilis attritionis sufficientiam probare censenda est, quia illam doceri sinat, quàm approbasse censenda sit tot Ethicæ Christianæ corruptelas, quarum aliquot tandem proscripsit, alias, Deo dante, proscribet deinceps.

Obj. 2do. Non tenemur in materia salutis viam semper eligere tutiorem. Alioqui nequidem sufficeret charitas initialis, cùm tutior sit contritio perfecta. R. dist. ant. Non tenemur viam eligere tutiorem, cùm præstò est alia vere tuta, C. si hæc deficiat, ut in præsenti fatentur præcipui contrariæ opinionis assertores, N. Non requiritur contritio perfecta, quia hanc non requiri penè asseruit Sedes Apost. in textu ad calcem Concilii Romani apposito; & expresè definiit Ecclesia Gallic. nulla in contrarium reclamante. Aliquid verò ultrà metus servilis impulsum probabilissimè ad salutem requiri constat ex infinitis propè monumentis, quorum aliquot deinceps excutiemus.

CONCLUSIO III. Ad justificationem in Sacramento requiritur aliquid ultra motivum timoris.

Prob. 1mo. Ex dictis opinio quæ servili attritione contenta est, nec certa est speculativè, nec practicè tuta. Ergo.

Prob. 2do. authoritate Cleri Gallic. qui an. 1700. hæc statuit: *De dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ità ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, necessaria, hæc duo imprimis ex S. Synodo Trid. docenda esse duximus: Primum, nè quis putet in utroque Sacra-*

mento requiri ut præviam contritionem eam quæ ſit charitate perfecta. Alterum, nè quis putet in utroque Sacramento ſecurumſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem. Et infrà vetat nè Miniſtri *in hoc Pœnitentiæ Sacramento, aliiſque Sacramentis conferendis, ſequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; neve Pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſſent, ut in pœnitendo inchoatæ ſaltèm dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola ſecura ſit; graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel eo ſolo quòd certis incerta præponant.* Atqui in his evidenter requiritur aliquid ultra metum gehennæ. Ergo.

Iſtud verò quid ſit controvertunt Doctores. Alii enim præter timorem requirunt amorem concupiſcentiæ vel ſpei, quo Deum diligimus ut ſummum noſtri bonum. Alii amorem charitatis, quo Deus diligitur propter ſe ipſum. Ex his verò quidam volunt amorem hunc eſſe per ſe ſuper omnia; ſed ſimul credunt ſatis eſſe ut ſit in gradu remiſſo. Quidam verò exiſtimant non requiri ut amor ille ſit per ſe ſuper omnia; ſed ſufficere ut roboratus adminiculo timoris, vel ſpei, omnia vincere poſſit, quæ necdum per ſe ſolum, utpotè adhuc debiliorem, vincere poſſet. Quidam demum exigunt, non ipſam charitatem, ſed quemdam ejus influxum unà cum influxu aliarum virtutum: ità ut actus ex his omnibus reſultans, non ſit propriè & ſimpliciter charitas [ſicut mixtum ex aqua & vino, non eſt propriè vinum vel aqua] ſed aliquid ex iis compactum.

Sed antequàm ulteriùs progrediar, paucis expendere liceat, an præſens quæſtio tanto cum tumultu agitare mereatur. Sanè tota hæc controverſia vel à Janſenianis contra Antijanſenianos, vel ab Antijanſenianis inter ſe agitatur. Si 1. inutiliter movetur. Cùm enim Janſeniſtæ omnem Chriſti gratiam, gratiam eſſe charitatis tueantur, neceſſum eſt ut in eo omni qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit ex aliquo gratiæ motu, ſit vera charitas, ſaltèm initialis. Quòd ſi res inter Catholicos agitur, non multò utilior videtur tota hæc diſceptatio. 1mo. quia qui attritionem puram ſufficere judicant, digniori motivo Pœnitentes ſuos conſtanter inſtruunt; ſicque quod ſpeculativè docent, abjiciunt in praxi. 2do. quia nè ipſi quidem Pœnitentes diſcernere poſſunt, quo agantur ſpiritu, metus an amoris. Erunt qui ſibi Seraphim ardentiores videantur, & tamen vix ſupernaturali moveantur impulſu. Erunt qui ſe ſilice duriores æſtiment, qui tamen legem plus diligant, quàm millia auri & argenti. Sit jam

CON-

Conclusio IV. Ad justificationem in Sacramento non sufficit amor spei vel concupiscentiæ.

Prob. quia citata superiùs Cleri Gall. declaratio aliquid ultrà spei amorem exigit. Amor enim spei nihil aliud esse potest quàm actus aliquis spei. Atqui vetat Clerus Gallic. *nè quis putet in utroque* Baptismi & Pœnitentiæ *Sacramento securum sè esse, si præter fidei & spei actus non incipiat Deum diligere tanquam omnis justitiæ fontem.*

Confirm. 1mo. Jubet idem Clerus à Confessariis admoneri Pœnitentes, *ut in Pœnitendo inchoatæ saltèm dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit.* Unde sic: Amor quem requirunt PP. Gallicani, solus materiam Sacramenti tutam efficit, amor verò quem excludunt, materiam facit solùm probabilem. Atqui dici nequit spei amorem esse materiam, quæ sola tuta sit, amorem verò benevolentiæ, vel inchoatæ charitatis, materiam esse solùm probabilem. Ergo amor quem requirunt, non est amor solius spei.

Confirm. 2do. Duo faciunt Gallicani Præsules, 1mo. cavant nè Presbyteri in Sacramento Pœnitentiæ conferendo sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; 2do. declarant opinionem, quæ in attritione inchoatam saltèm Dei dilectionem requirit, solam esse quæ secura sit. Ergo opinionem hanc non solùm probabilem, sed & securam opponunt opinioni alteri, probabili quidem, sed non securæ. Quæro, autem, quæ sit illa de attritione probabilis opinio in eorum mente. An opinio quæ attritionem naturalem sufficere docet? at illam damnant ut hæreticam. An opinio quæ statuit gehennæ metum sufficere etiam sinè ullo ad Deum offensum respectu, & ideo sinè ulla Dei dilectione? at hanc declarant esse perniciosam, & inducentem in hæresim. Ergo superest ut solam opinionem de attritione ex gehennæ metu & amore spei concepta agnoscant ut probabilem, sed minimè securam.

Conclusio V. ad attritionem ut justificet in Sacramento, requiritur aliqua Dei propter se dilectio, vel saltem aliquis charitatis influxus.

Prob. 1mo. ex Trid. Sess. 6. c. 6. ubi sic: *Disponuntur ad justitiam, dum excitati á divina gratia - - - à divinæ justitiæ timore quo utiliter concutiuntur - - - in spem eriguntur, fidentes sibi Deum propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Ubi cum Palavicino L. 8. C. 13. *Advertendum est, per tenorem*

Decreti priùs delineati nullum fieri dilectionis mentionem, sed Salvatorem Alepium, Claudium Jaium, &c. monuisse, ut aliquis charitatis actus insereretur - - - quia si Pœnitentia tota esset ex timore, sinè amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, non propter Dei offensam, infructuosa esset. Ex iis sic: Eadem ad minus in Sacramento Pœnitentiæ requiritur dispositio, quæ in Baptismo, uti docebat an. 1700. Clerus Gallic. & meritò; cùm minor sit efficacia Pœnitentiæ, quàm Baptismi; & graviora peccata post Baptismum quàm ante: unde Pœnitentia Baptismus est laboriosus. Atqui ex Trid. requiritur in Baptismo aliquis Dei propter se amor, Ex Trid. enim requiritur ad Baptismum amor quo Deus diligi incipiat tanquam fons omnis justitiæ. Atqui amor ille in mente Concilii est amor Dei propter se. Prob. min. amor à Concilio requisitus, is ipse est quem inseri postulaverunt ut *aliquis charitatis actus insereretur*; nomine verò charitatis simpliciter dictæ intelligitur amor Dei propter se; neque aliud intelligi potest; cùm amor ille actibus fidei & spei superadditur.

Prob. 2do. Magnum Dei super omnia ptopter se diligendi mandatum aliquando urget, ut alibi probavimus. Atqui nullum est tempus quo urgeat magis cùm homo in gratiam cum Deo regredi satagit. Dicant nempè adversarii quo potiùs tempore incumbat suavis Deum diligendi necessitas, quàm cùm suam erga inimicos charitatem commendat; & infidelem sponsam ea suscipit benignitate qua suas non suscipiant miseri mortales. Qui igitur fieri possit ut tunc ab immani ingrati animi vitio immunis censeatur, si non amet? An dicent deesse tunc charitatis gratiam? Non puto. An eidem citra periculum tunc etiam resisti posse? At cui persuadebunt?

Obj. 1mo. Ad justificationem in Sacramento non requiritur actus qui ante Sacramenti susceptionem justificet. Atqui actus charitatis, quantumvis remissus, semper justificat - - Prob. min. 1. ex censura hujus Baianæ thesis, n. 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, potest esse sinè remissione peccatorum.* 2do. Ex Script. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, &c. R. ad 1. neg. min. Docet enim Tridentinum, docet & Clerus Gallic. ad Baptismum prærequiri aliquam Dei propter se dilectionem. Atqui tamen nec Tridentin. nec Clerus Gallic. crediderunt hominem semper ante Baptismum justificari. Ergo.

Nec nocent quæ objiciuntur. Non 1. Baïana siquidem propositio eo sensu proscripta est, quòd perfectam seu intensam charitatem cum peccato compati doceret, non autem eo quòd

id

id de quantulacumque charitatis veræ ſcintilla opinaretur: alioqui S. Sedes, quæ Decreta ſua palam violari non patitur, inchoatæ charitatis vindices, qua data occaſione, perſtrinxiſſet: quod nedùm fecerit, eorum opinionem pluries adjuvit.

Non 2. Sicut enim iſti textus: *Qui crediderit in eum, non confundetur*, 1. Petri 2. *Omnis qui petit, accipit*, Matth. 7. *&c.* intelligunur ſervatis ſervandis; adeoque de iis qui credunt, invocant & petunt quantùm & quomodò oportet: ſic & tèxtus qui Dei amorem ſpondent homini Deum amanti, intelligi debent de homine Deum amante quantùm & quomodò oportet. Et certè, verè diligit, qui diligit ſuper omnia ex amore concupiſcentiæ. Atqui tamen nemo ex ſolo concupiſcentiæ amore juſtificatur. Ergo Scriptura, dum hominis amorem amore divino rependi docet, cum reſtrictione intelligi debet.

Obj. 2do. Ex D. Thoma, 3. p. q. 70. a. 4. *Minima charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.* Ergo minima charitas veram Deum inter & hominem amicitiam conſtituit. R. 1mo. neg. conſeq. Nam amor ſpei, cùm ſummus eſt apretiativè, plus Deum diligit quàm cupiditas millia auri & argenti; cùm eum vitæ propriæ anteponat, cui aurum non anteponit cupiditas. Atqui amor ſpei per ſe ſolum par non eſt homini juſtificando. R. 2do. textum D. Thomæ eſſe extra rem, quia in eo agitur de charitate habituali, de ea ſcilicet quæ *facit dignum vita æterna.* Adde quòd duo hæc toto cœlo differant; *Minima gratia poteſt cuilibet concupiſcentiæ reſiſtere*, & *Minima gratia eſt amicitia cum Deo.*

Obj. 3tio. Aſſignari nequit quis charitatis gradus ad juſtificationem ſufficiat: Indè verò quæ ſcrupulorum ſeges. R. id quod adeò mirum videtur Tournelyo, totidem verbis doceri à S. Thoma in 4. diſt. 17. q. 2. ubi ſic: *Non qualiſcumque motus voluntatis eſt præparatio ſufficiens ad gratiam, ſicut nec qualiſcunque dolor ſufficit ad remiſſionem peccati; ſed oportet eſſe aliquem modum determinatum,* QUI QUIDEM HOMINI NOTUS ESSE NON POTEST. Neque hinc oritur ſcrupulus: ſicut enim homo citrà ſcrupulum accedit ad Euchariſtiam, etſi *neſcit* abſoluta certitudine *utrum amore an odio dignus ſit*; ſic poſtquam penſata coram Deo ſcelerum ſuorum magnitudine, pro virili conatus eſt ſpiritum doloris & amoris detrahere, confidere moraliter poteſt Deum ſibi in neceſſariis minimè defuturum.

Obj. 4to. Ea opinio admitti non debet, quæ Eccleſiæ praxi contradicit. Atqui - - - Permittit enim Eccleſia ut Sacerdotes, deficiente Confeſſario, celebrent abſque prævia confeſſione, tantumque requirit ut contriti ſint. Atqui non ſupponit Eccleſia eos perfectè contritos eſſe; *cùm pauci admodùm ad*

perfectam contritionem perveniant. Aliundè verò non permittit ut celebrent in statu peccati mortalis. Ergo supponit eos quacumque, etiam initiali, charitate extra Sacramentum justificari, R. ad 1. neg. min. ad 2. dico cum Sylvio, vel in hoc casu Deum invisibiliter ministrare effectum Sacramenti, quod sola excludit necessitas, ut docet S. Thomas; vel permitti ut Sacerdos celebret, non quia sua qualicumque contritione justificans supponatur, sed quia id sinè peccato in casu necessitatis facere potest,

Obj. 5to. Si vera charitas extrà Sacramentum non justificet, Pœnitens qui cum ea morietur absque Sacramento invincibiliter omisso, peribit in æternum. Horrendum consequens; quia fieri nequit ut sub Deo, cujus *natura bonitas*, in æternum pereat qui Deum tenerè diligendo mortuus est, iisque privetur bonis, *quæ Deus præparavit diligentibus se.* R. 1mo. argumentum hoc ab iis esse solvendum, qui ad Sacramentum requirunt spei amorem super omnia, & eum per se justificationi sufficere negant: nam & in hac opinione damnabitur quis etiam super omnia Deum, & quidem intensè diligens. R. 2do. neg. seq. maj. Deus enim in his casibus, vel per se supplet visibile Sacerdotis ministerium; vel, ut alii volunt, remissam Pœnitentis charitatem ad eum gradum provehit, qui obtinendæ justificationi sit idoneus. Ità S. Thomas, 3. p. q. 72. a. 7. ubi: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, per gratiam collatam in hoc* Confirmationis *Sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Idem de Eucharistia docet, ibid. q. 79. art. 3.

Cæterum objectæ hactenùs difficultates eos ferè tantùm impetunt, qui in attritione prout justificativa, exigunt initialem charitatem super omnia. Non desunt porrò quibus sufficiat charitas longè minor, seu quæ facit quidem ut Deus & mandata ejus suaviter diligantur, sed nondum fortiter, nisi ratione spei adjunctæ, quæ timore gehennæ & desiderio felicitatis æternæ mentem corroborat; alioqui facilè gravibus præsertim tentationibus cessuram, nisi utroque hoc motivo sustentaretur: cùm è contrà timor filialis, qui prævalidam charitatem involvit, ità per se solum firmet hominem, ut obvias quasque tentationes prætervolet sola Deo displicendi formidine. Porrò, inquiunt, nihil mirum, quòd initialis ille amor extrà Sacramentum non justificet. Si enim per se & extrà Sacramentum justificaret, vel ratione sui præcisè, vel ratione actuum spei, scilicet intensi timoris gehennæ, & fervidi desiderii beatitudinis, quibus admixtus roboratur. Neutrum porrò dici potest. Non

2. ha-

2. hactenùs enim inauditum fuit quempiam extrà Sacramentum solo gehennæ metu, aut solo concupiscentiæ amore justificari. Non 1. tum quia initialis amor per se debilior est quàm ut voluntatem ab illicitis affectibus prorsùs avellat; unde non magìs gratiam sanctificantem parere potest, quàm primus caloris gradus in ligno humido flammam ciere possit: tum quia Deus dona sua conferre non solet statim ac expetuntur, sed differt donec ruptis repagulis in ea toto corde feramur. *Petendo & quærendo crescis ut capias*, ait Aug. Serm. 61. *Servat tibi Deus quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare.* Superest ergo ut initialis amor, non quidem per se solum, cùm super omnia non esse supponatur, sed ratione metus dominantis quo fulcitur, justificet in Sacramento.

Et hæc de pœnosa hac materia sufficiant. Erunt certè plures qui Pœnitenti de salute sua sollicito transitum à timore ad initium aliquod charitatis non adeò difficilem existiment. Dicat is secum: Merui, & centies merui gehennam. Si præcisa esset vita mea, uti decem & octo illorum super quos cecidit turris Siloë, jam dudum agerem apud inferos: Misericordiæ igitur Domini quia non sumus consumpti; de nobis actum erat, si defecissent miserationes ejus. Quid retribuam Domino tam clementi? Confitebor ei, non quia mihi bonus fuerit, sed quia qui mihi omnium nequissimo bonus fuerit, summè in se bonus, summè amabilis.sit, &c.

Hi porrò sensus non tam ex confessione oris, quàm ex tota peccatoris agendi ratione æstimabuntur. Licebit in eo amorem supponere, qui olim avarus, dispergit nunc pauperi; qui impudicitiæ deditus pactum jam cum oculis suis pepigit, ut nè de virgine quidem cogitet, &c. Dicat is se solo agi metu gehennæ; absolvam intrepidus, non quia solum pœnæ timorem satis esse credam, sed quia ei contra se testimonium ferenti non credam; sicut nec crediderim Bernardo se Monachi nomine indignum profitenti.

Solvuntur practicæ quædam difficultates.

Quæres 1mo. an contritionis actus à Pœnitente debeat elici ante confessionem, vel ipso confessionis tempore, vel ad minus ante absolutionem.

R. 1mo. eum ad minus elici debere ante absolutionem, quia peccator sinè dolore non est Pœnitens, nec dispositus ad peccati remissionem. Ergo subsequens absolutio ex defectu materiæ suo frustraretur effectu. R. 2do. necessum non esse ut actualis dolor confessionem comitetur; quia impossibile est ut

qui totus ad peccatorum suorum accusationem, ad Confessari interrogationes, ad responsa iisdem facienda intendit, contritionis actus interim eliciat. R. 3tio. satis esse absolutè loquendo, ut contritio absolutionem præcedat; & id suadetur tum ex communiori Theologorum sensu; tum ex trita Confessariorum praxi, qui contritionem à Pœnitentibus post confessionem ipsorum solicitè exigunt, non anteà. Curandum tamen semper Pœnitenti ut antè confessionem multa prece totum illum quo indiget dolorem accersere conetur. Ecquis confidat futurum ut brevi eo temporis spatio quod accusationem inter & absolutionem defluit, quodque totum penè audiendis Confessarii monitis destinatum est, irruant in se dispositiones ad recipiendum utiliter Sacramentum requisitæ.

Quæres 2do. an ad Sacramenti valorem sufficiat contritio quæ confessionem diù antè præcesserit, sed tamen in ordine ad ipsam. R. necessum esse ut contritionis actus confessioni uniatur, non quidem physicè, sed moraliter, ea nimirùm *simultate* quæ ad actum judicialem sufficit & requiritur; quia Sacramentum, utpotè compositum morale, coalescere debet ex partibus quæ sibi, non physicè quidem, sed moraliter, coexistant. Unde qui elicito doloris actu, mentem ad studium, vel aliò averterit, etsi Sacramenti suscipiendi voluntatem non abjecit, curare debet ut dolorem breviter renovet, saltèm in fine confessionis; quia in materia tanti momenti, dimisso incerto, adhærendum est certiori.

Quæres 3tio. an dolor de peccatis conceptus sinè ordine ad Sacramentum, in eodem Sacramento inservire possit. R. partem negantem in praxi tenendam esse; ideò enim v. g. in Baptismate ablutio, ut sit materia Sacramenti, exigit intentionem conficiendi ejusdem Sacramenti, quia ablutio de se indifferens est ad hunc vel illum effectum. Atqui pariter contritio de se indifferens est ad justificationem in Sacramento, aut extrà. Ergo seclusa ipsius ad Sacramentum relatione non erit actio sacramentalis.

Quæres 4to. an novo opus sit dolore, quoties nova recipitur absolutio; putà cùm quis oblitus peccati, paulò post impensam sibi absolutionem redit ad Confessarium denuò ab eò absolvendus. R. tutius esse ut nova eliciatur contritio, id tamen non videri necessarium; 1mo. quia ad novam absolutionem sufficit nova confessio cum dolore moraliter perseveranti; quæ duo in præsenti casu concurrunt: 2do. quia alioqui infirmus, qui peccati oblitus, revocaret Confessarium, ab eo non posset absolvi, si antequàm novam concepisset dolorem, excidisset ab usu rationis.

Quæ-

Quæres 5to. an dolor ſemel conceptus per ſubſequens peccatum retractetur. R. 1mo. retractari per peccatum lethale, quia per illud retractatur peccati deteſtatio, & annexa veræ contritioni voluntas non peccandi ampliùs. R. 2do. per lapſum in veniale aliquod non retractari dolorem de aliis ſeu venialibus, ſeu letiferis; quia cum ſincero de mortalibus, aut venialibus plurimis dolore ſtare poteſt affectus ad aliquod veniale, ut patet in juſtis. Quia tamen deciſio hæc non caret difficultate, ſecurius erit elicere alium doloris actum circà mortalia, aut innovare priorem actum circà omnia.

Quæres 6to. an ad venialium in Sacramento remiſſionem requiratur contritio vel attritio. R. affirm. Ità enim necaſſaria eſt ſaltèm attritio, ut qui venialia ſola ſinè ullo dolore & ullo emendationis propoſito culpabiliter confitetur, mortaliter peccet, quia Sacramento materiam omninò neceſſariam ſubtrahit. Porrò ad hanc de venialibus contritionem ſatis eſt ut Pœnitens ſibi proponat ea vitare quomodò vitari poſſunt; id eſt diſtributivè, ſeu ſingula; non collectivè, ſeu omnia. Huic autem venialia ſingula vitandi propoſito addi debet propoſitum aliud majori ſtudio vigilandi ad eorum diminutionem. Hujus porrò vigilantiæ debitum, etſi Chriſtianis omnibus incumbit, at præcipuè Religioſis, quibus, cum ex officio eniti debeant ad profectum in via ſalutis, omnimodè ſatagendum ut abſtergant veniales culpas, veluti ſordes quæ ſpiritalem profectum retardant. Neque tamen quia quis denuò in venialia lapſus fuerit, animis cadere, aut malè de præterita contritione augurari debet. *Ipſi enim Apoſtoli*, ait Epiſc. Caſtorienſis, *de his peccatis animitus quotidie dolebant, & tamen ab illis ſeipſos non omninò continebant: unde quotidie eis uſurpanda erat hæc oratio:* Dimitte nobis debita noſtra.

Quæres 7mo. an qui ſinè legitima contritione confitetur venialia ſola, ſemper gravis noxæ reatum incurrat. R. 1mo. incurrere, dempto bonæ fidei caſu, quoties venialia ſola ſinè formali & efficaci contritione de aliquo confitetur; quia grave eſt ſacrilegium quòd Sacramentum defectu eſſentialis materiæ, voluntariè nullum reddatur. Quòd ſi de aliquo verè conteritur, etſi non de aliis, cùm validam Sacramento materiam præbeat, gravem eidem injuriam non infert. R. 2do. non peccat lethaliter, qui bona fide, ſed falsò, contritum ſe exiſtimans, venialia confitetur. Ratio eſt, 1mo. quia conſtat ſanctam eſſe crebræ confeſſionis praxim, quam quotidie frequentarunt Petrus à Luxemburgo, Carolus Borrom. & ad minimum ſemel in hebdomada piæ quæque Sodalitates. Atqui nulla erit praxis quæ plus habeat periculi, ſi nullum ſit medium fructuo-

ſam inter & ſacrilegam confeſſionem. Quoti enim eò peribunt, quò plus proficere conabantur? 2do. quia alioqui juſtus, qui imminente morte, ut leviores eluat maculas, confitetur; ſed vel aſtantium lacrymis, vel dolorum vi diſtractus, haud ſatìs veniale, cui fortiter adhærebat, peccatum deteſtatur, ideò duntaxat peribit, quia enixiùs voluerit coram Deo mundus comparere. Id autem quis ferat? 3tio. Si juſtus in his circumſtantiis mortiferè peccet, maximè quia debitam Sacramento materiam ſubtrahit: id autem dici non poteſt. Qui enim ex diſtractione tantillùm culpabili aquam loco vini funderet in Calicem, irritum faceret Sacramentum, nec tamen graviter reus judicaretur. Certè Deus non perdet amicum ſuum ob levem negligentiam, quam is ob humanæ mentis fragilitatem nequaquam adverterit; *Si ſic iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?*

Cæterùm inſtanter monendi ſunt qui ſæpiùs ſola venialia confitentur, ut nuſquam ad Sacerdotem accedant, quin contritionis donum à Deo fuerint deprecati oratione fervida, ſenſuum mortificatione, eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus; & depoſito pro viribus affectu eorum quæ ſibi ſunt frequentioris lapſus occaſio, expreſſos contritionis actus elicuerint. Vereri enim eſt nè qui vix ullam ſibi vim inferunt, determinata voluntate adhæreant peccatis quæ confitentur, adeoque ut nimium tepidè vivendo, tremendam illam comminationem in ſe accerſant: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, &c. Duo igitur præſtet ſagax Director: erigat animos, nè ſcrupulo vel deſperatione concidant; territet, nè mentem invadat ſocordia. Interim nè Pœnitens ſatìs fortè non doleat de venialibus, in quæ frequenter labitur, curet grave anteactæ vitæ peccatum, generaliter tamen ut plurimùm, confiteri; ſed ità ut illud verè & ex animo deteſtetur.

Quæres 8vo. an confeſſio ſinè contritione facta poſſit ſimul eſſe valida, & informis; id eſt. habere partes omnes ad valorem ſuum requiſitas, & tamen effectum gratiæ non parere propter indiſpoſitionem ſubjecti. R. affirm. quia defectus contritionis impedit quidem effectum confeſſionis, ſed non valorem ejus; unde apud eundem Confeſſarium repetenda non erit, ſed ei ſolùm declarandus erit defectus contritionis, ut abſolutionem repetat. At verò Sacramentum nuſquam informe eſt & ſimul validum; quia vel recipitur cum diſpoſitionibus neceſſariis, & tunc non modò validum eſt, ſed & formatum; vel ſinè iiſdem diſpoſitionibus recipitur, & tunc invalidum eſt & informe. Hinc informe & nullum eſt Sacramentum ab eo ſuſceptum, qui perperàm credidit ſe ſufficienti dolore

lore instructum esse. Unde comperta deinceps rei veritate, confessionem iterare, si Confessarium mutaverit, & per novam præcepto ecclesiastico satisfacere tenebitur. Contra verò, formata simul & valida erit confessio illius, qui oblitus perjurii, credit se de solo quod accusavit furto doluisse; quia reipsa dolor ille cætera quæ memoriæ exciderant peccata, saltèm implicitè affecit. Quòd si quis furtum doluerit ut grave peccatum perjurium verò, putà in gratiam innocentis factum, vel nullatenus, vel ad summum ex Purgatorii metu doleat; quia à viro docto audierit illud in hac occasione non esse peccatum, vel esse peccatum duntaxat veniale. Hujus confessio erit valida, si invincibiliter perjurii gravitatem ignoraverit; invalida, si vincibiliter; quia in secunda hypothesi necessario dolore culpabiliter caruit; in prima verò, vel à dolore simpliciter, vel saltèm à doloris gradu ex bona sua fide excusatus est. Et id, si minus in perjurio, cujus gravitatem vix ignorant agrestiores; in aliis propè innumeris casibus, ipsis etiam eruditis quotidie contingit.

Quæres 9no. an satis sit si Pœnitens doleat se non dolere. R. neg. si illud *non dolere*, omnem de peccatis dolorem excludat; quia requiritur dolor de peccatis, non de doloris defectu: secùs si, ut sæpè scrupulosis evenit, non dolorem, sed certam doloris qualitatem excludat, putà vehementiam, aut sensibilitatem, Porrò de intensione doloris non tam ex Pœnitentis ore, quam ex agendi ejus ratione judicandum.

Quæres 10mo. quibus signis dignoscere possit Confessarius contritionem Pœnitentis: neque enim in re tanti momenti aberrare potest, quin gravi se exponat indignum absolvendi periculo. R. triplex secerni debet classis eorum qui se sacro Tribunali sistunt. Alii Deum timent, & piè vivunt, etsi pro humana fragilitate in aliqua labantur, quorum rei in manus supremi Judicis incidere nolint. Alii nihil de salute sua solliciti, vix boni quidquam, multùm verò mali qua data occasione perpetrant. Alii media penè inter utrosque via gradiuntur, non boni prorsùs, non impendiò mali.

In primis ea ipsa quam agunt vitæ ratio, sufficiens esse solet contritionis argumentum. Rarum est ut graviter peccent; & si quid ab iis solito majus extorserit transiens quidam oculorum aut linguæ pruritus, continuò ad Petri normam flent vel ingemunt amarè, properant ad Medicum, sententiæ ejus humiliter subscripturi, peneque id unum timent nè indulgentiorem experiantur. Hi ergo vix quidquam facessunt difficultatis.

Secundis non sufficiet, vel desiderium aliquod veræ contritionis, & pia aliqua ad eam excitandam consideratio; vel quòd

ex

ex pio motivo ad ſacrum Tribunal accedant; vel quòd peccata humiliter & ſimpliciter confiteantur; vel quód Pœnitentiam, quamvis difficilem, promptè acceptent: vidimus enim qui hæc & multò plura fecerint, & tamen vitiis ſuis adhæſerint conſtanter. Hæc igitur, licèt optima, nec raro idonea quæ Confeſſarium moveant, ſæpè etiam haud ſufficiunt, non tantùm erga eos qui inimicitias geruntveteres,quialienam rem vel famam injuſtè retinent, qui in proxima peccandi occaſione verſantur, qui pravæ conſuetudinis nodo irretiti ſunt, ſed & erga eos quoque qui mira facilitate è bono ad malum, è malo ad bonum tranſeunt; qui ſi peccato non adhæreſcunt, non etiam diu in virtutum exercitio perſeverant; qui per tempus ſeu Miſſionis, ſeu receſſus annui vivunt angelicè; poſt hebdomades aliquot, non in flagitia, quæ naturaliter horrent, ſed in ea tamen quæ verè gravia ſunt peccata, totis pedibus reverſuri. Hi ergo cognoſcendi primùm à Confeſſario, deinde ex præteritis judicandi, probandi demùm diutiùs, ut videatur an ab iis immineat idem qui antè boni & mali circulus.

Tertia peccatorum claſſis, cùm ipſa ſit tepidorum claſſis, aut ad hanc proximè accedat, ex ea Scripturæ regula ponderanda eſt: *Utinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es --- incipiam te evomere ex ore meo.* Quid porrò non vereri ſit de eo ſtatu, qui, judice Deo, ipſo mortalis peccati ſtatu utcumque deterior eſt. Hic ergo conatu plurimo indiget Pœnitens, præſertim quia exeundum ſit ex via, quæ, cùm juſtitiæ ſpeciem præferat, nihil offerre videtur quod multo dilui dolore indigeat. His porró conatibus ſi deſint Pœnitentes, ut fermè ſolent, eorum partes ſupplere debet Confeſſarius: cùm enim curare debeat nè Sacramentum contritionis defectu irritum fiat, neceſſum eſt ut quaſi induat Pœnitentium perſonas, iiſque, non rudibus tantùm, ſed etiam ſpeculativè eruditis, nervoſa, & ut plurimùm brevi oratione aperiat quàm periculoſum ſit opus Dei facere negligenter; quàm facilè proruant in graviora, qui levibus ſinè ſcrupulo aſſueſiunt; quàm ſæpè gravia ſint quæ habentur ut modica, quàm fluxu ſit quæ è peccato prodit voluptas, &c.

Quæres 11mo. quibus mediis uti debeat Director ut in corde Pœnitentis contritionem pariat. R. ei ſatagendum, 1mo. ut è pietatis Libris, potiſſimùm autem ut è meditatione eruat motiva quæ pro conditione & ſtatu Pœnitentis animam ejus concutiant; 2do. ut cum eo actus odii, ſeriique de peccato doloris efformet; 3tio. ut eum his per ſe ſolum eliciendis aſſuefaciat, dato aliquo, prout indiguerit, temporis intervallo, ut in eis ſe ex corde toto exerceat.

Cùm

Cùm autem humana mens præcipuè moveatur timore & amore, alterutro utendum erit pro genio & indole Pœnitentis.

Rudiores, aut qui in peccatis tandem induruêre, metu in primis configi debent. Eorum igitur oculis aperiendum illud ignis ac sulphuris stagnum, in quod Angeli rebelles, Civitatum malè famosarum incolæ, ipsi fortè Pœnitentium amici, eò plerumque quòd amici, vivi missi sunt, nocte ac die cruciandi. Inde ut ad Deum sensim adducantur, subjicienda erunt bona quibus se peccando privavêre, thesauri gratia, pretium sanguinis Christi, filiatio Dei, æternum illud gloriæ pondus quod oculus non vidit, &c. Proponetur subindè spes damna præterita resarciendi, obtinendæ denuò stolæ, quâ se ipsos miserabiliter spoliaverunt. Demùm ac Dei amorem, sinè quo nutat vel concidit Pœnitentia omnis, paulatim flectentur. Inspectis oculo fidei, seu suppliciis quæ promeruêre, seu bonis quæ adhuc comparare possunt, paulatim fiet ut confiteantur Domino quoniam summè bonus, & in sæculum misericordia ejus.

Etsi verò motiva hæc sobriè proposita penè omnibus proficere possunt; iis tamen qui multò plus in virtutem quàm in vitium propendent, alia digniora proponi decet. His ergo, sed gradatim, subjiciatur, 1mo. summa Dei majestas, quæ à vili creatura contemnitur; infinita bonitas, quæ à propriis filiis, enutritis tenerrimè & misericorditer exaltatis, petulanter offenditur. 2do. immensa charitas Christi, qui è cœlis descendit ovem perditam quæsiturus; qui non invenit nisi crucem passus; qui dum ab ea mutuum amorem pro jure suo expectaret, odium pro dilectione, & novam crucem pro gratiarum actionibus consecutus est. 3tio. Stupenda peccatoris cæcitas, qui Deo, patri, amico, fideli in promissis, munifico remuneratori, dæmonem præfert, quo nihil homini infensius, nihil crudelius, &c.

Verùm absit ut quidquid sui muneris est implevisse se credat Confessor, quia hæc & alia id genus in aurem Pœnitentium insusurraverit. * *Admonere* poterit *per strepitum vocis*: *si non sit intùs qui moneat, inanis* erit *strepitus* ejus. Hunc autem Spiritum qui intùs movet, sola oratio, soli, iique diuturni, inter vestibulum & altare gemitus eliciunt. Totis igitur viribus incumbat director ut exemplo Christi sanctificet se pro Pœnitentibus suis. Eo pietatis efflatu si destitutus sit, timendum, nè, licèt Tullio facundior, sit æs sonans, & cymbalum tinniens. Eo contrà si plenus sit, licèt, ut Moyses tardioris linguæ, mira operabitur.

Cæterùm, in praxi semper, quantùm potest, adducendi sunt Pœnitentes ad eliciendam contritionem perfectam; tum quia actus ejus Deo gratior est, utilior Pœnitenti, & idoneus qui sup-

* *August.*

ſuppleat defectus qui ex parte Miniſtri, vel Pœnitentis ipſius occurrere poſſunt; tum quia actus charitatis ſæpiſſimè in vita, eliciendus eſt ex præcepto.

CAPUT SEXTUM.

De Confeſſione.

CONFESSIO peccatorum alia eſt hominis ad Deum, ut Pſ. 31. *Dixi, confitebor adversùm me injuſtiam meam Domino*; alia hominis ad hominem: & hæc vel eſt civilis, qua reus crimen ſuum coràm Judice confitetur; alia Sacramentalis, qua peccator delictum ſuum accuſat coràm Eccleſiæ Miniſtro, ut ab eo abſolvatur: & hæc quæ præſentis eſt inſtituti, definitur, Accuſatio peccatorum propriorum poſt Baptiſma commiſſorum à Pœnitente legitimè facta coram Miniſtro competente, ad illorum abſolutionem virtute clavium obtinendam.

Dicitur 1mo. *accuſatio*, proinde non ſimplex declaratio, non hiſtorica narratio, multò minùs diſſimulatio, excuſatio, vel oſtentatio. 2do. *peccatorum propriorum*, hæc enim ſola ſunt confeſſionis noſtræ materia, non defectus & tentationes prorſùs involuntariæ, non aliena delicta, niſi ex omiſſione vel commiſſione noſtra fiant. 3tio. *poſt Baptiſma commiſſorum*, quæ enim ante ipſum commiſſa ſunt, virtute ejus deleri debent. 4to. *à Pœnitente legitimè facta*, id eſt, cum conditionibus infrà exponendis, 5to. *Miniſtro competenti*, proinde non Laico, imò nec Sacerdoti cuilibet, ſed tantùm juriſdictionem neceſſariam habenti. 6to. *ad obtinendam virtute clavium abſolutionem*; quæ verba confeſſionis finem ejuſque efficaciam exhibent.

Idem eſt Græcis Exomologeſis, quòd Latinis confeſſio, niſi quòd confeſſio unam tantùm Pœnitentiæ partem exprimit; exomologeſis verò quandoque totam Pœnitentiæ actionem. Jam quæritur 1mo. an præcepta ſit confeſſio; 2do. quæ ſit ejus materia; 3tio. quæ conditiones.

§. I. *De divino Confeſſionis præcepto.*

Divinam confeſſionis inſtitutionem, ejuſque adeò neceſſitatem de jure divino negaverunt præcipuè Lutherus, qui eam primùm adoptaverat, & Calvinus, qui ipſam in Concilio Lateran. ab Innocentio III. adinventam contendit. Sit

CONCLUSIO I. neceſſitas confeſſionis ſacramentalis efficaciter probatur ex Scriptura.

Prob.

Prob. ex Matth. 18. ubi peccata remittendi potestas Apostolis promittitur: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis, erunt soluta & in cælo.* Et Joan. 20. ubi eadem potestas de facto traditur his verbis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui ait Trid. Sess. 14. c. 5. ex his verbis, *universa Ecclesia semper* & meritò *intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* Quòd *semper* intellexerit, demonstrabitur Concl. seq. Quòd *meritò* probatur: Ad id enim tria sufficiunt, 1mo. ut Christus Apostolos eorumque Successores instituerit tanquam judices eorum qui post Baptisma lapsi sunt; 2do. ut eosdem simul constituerit peccatorum medicos; 3tio. ut neutrum munus sinè integra peccatorum declaratione exerceri possit. Atqui 1mo. Christus eo loci Apostolos instituit judices: Qui enim Apostolis stupendam illam potestatem concessit, vi cujus, dum unum absolvunt in cœlo & in terra, alterum in terra & in cœlo ligant, ille Apostolos verè constituit judices; sicut Princeps eos verè facit, sed in gradu summè inferiori, judices, quibus plenam dat vitæ & mortis potestatem. 2do. Eosdem constituit medicos peccatorum: qui enim Apostolos misit sicut ipse à Patre missus erat, adeoque cum eadem potestate & voluntate, non intendit ut ligarent simpliciter, sed ut ligarent in ordine ad absolutionem & salutem, qui unicus fuit Christi missionis scopus. Atqui ut ligarent in ordine ad salutem, non judicum modo, sed & medicorum partes agere debuerunt; nimirùm congrua præbendo Fidelibus remedia, quibus à morte peccati ad vitæ gratiam resurgerent. 3tio. Neutrùm munus sinè integra peccatorum confessione exerceri potest: Judex enim in statuendis pœnis equitatem, medicus verò in designandis remediis aptitudinem servare debent. Atqui nec æquæ reo pœnæ decerni possunt, nec idonea infirmo remedia præscribi, nisi reus & æger sua etiam in specie delicta & vulnera aperiant. Ergo.

Obj. 1mo. Non magis ex eo quòd Sacerdotes à Christo constituti sint Judices, colligi potest necessitas confessionis, quàm quia constituti sint à Rege Magistratus, colligi possit non alio quàm ipsorum ministerio lites componi posse. Atqui istud colligi nequit: possunt enim litigantes negotium componere, vel rectà tendere ad Regem. Ergo à pari. R. ad 1. neg. maj. disparitas inter temporaneos Judices & Christi Ministros, duplex. Prima quòd istis claves dederit Regni Cœlorum, nec perperam. Atqui perperàm dedisset, moraliter loquendo, si alia longè faciliori via pateret introitus ad idem Regnum. Ecquis

quis non malit cum Calvinistis soli Deo confiteri, quàm omnes fœdati cordis recessus pandere homini? Secunda, quòd Sacerdotibus datum sit non tantùm solvere, sed & ligare. Atqui in adversariorum hypothesi possent quidem eos solvere, quibus ipsorum opera uti placeret, sed verè ligare non possent. Quomodò enim eos ligarent efficaciter, qui se solo suo ad Deum accessu solvere possent?

Obj. 2do. Scriptura nihil aliud à justificandis requirit, quám contritionem cordis. Ergo. R. quòd sicut vera non est cordis conversio sinè voluntate recipiendi Baptismi, cùm agitur de nondum baptisatis; sic nec vera est cùm de baptisatis agitur, sinè confessione aut ejus voto, quia utrumque à Christo æquè præscriptum est.

Conclusio II. Confessionis usus & necessitas antiqua & constanti Ecclesiæ Traditione nititur.

Prob. è selectis aliquot textibus præcipuorum Patrum, qui prioribus sex sæculis, apud Calvinianos potioribus, floruere. Tertul. Lib. de Pœn. c. 10. *Plerosque hoc* Confessionis *opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & itá cum verescentia sua pereunt --- Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? An melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Atqui ex his constat, non modò antiquam esse confessionem, sed & omninò esse necessariam; 1mo. quia ea sublata perit peccator penès animam, sicut sublata Medico occulti & verecundioris morbi cognitione perit æger secundùm corpus. 2do. Quia ex ejusdem omissione efficitur ut *damnatus lateat*, seu ut lantens ac peccata reticens damnetur, qui peccata sua confitens absolutus esset. Jam verò eadem confessio *de omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis*, fieri debet, ut docet idem ibid. capite 4.

Cyprianus, præcipuus Sæculi III. Author, Lib. de lapsis, eos laudat *qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt - - - scientes scriptum esse,* Deus non deridetur - - - *Confiteantur singuli - - - delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.* Atqui hic confessio, 1mo. fieri jubetur, 2do. Sacerdoti, 3tio. de peccatis secretioribus. 1mo. Fieri jubetur, quia alioqui *deridetur Deus* quasi hominis instar ignoret crimen quod

non

non palàm admissum est, 2do. Confessio *apud Sacerdotes dolenter* & *simpliciter* fieri præcipitur. 3tio. Demum facienda præcipitur de peccatis secretioribus, nimirum de his etiam quæ sola *cogitatione* commissa sunt. Ergo confessio non tantùm peccata scandalosa, quæ publicæ Pœnitentiæ subjicienda erant, sed & occulta spectat, teste Cypriano, qui omnium Africæ Episcoporum calamus æstimari possit.

Idem verbo & factis docuit S. Ambrosius. Ut enim scribit Paulinus in ejus vita, *Quotiescumque illi aliquis ad percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ità flebat, ut & illum flere compelleret - - - Causas autem criminum quas illi confitebantur' nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* En sanè confessionem secretam. Atqui confessio hæc Ambrosii tempore necessaria judicabatur: Sic enim de ejusmodi Pœnitente pergit Paulinus: *Ipse sui accusator est, ut accusando suum allevet delictum, nè habeat quod adversarius criminetur.* Ergo per confessionem allevatur delictum, & prævenitur alioqui futura Diaboli accusatio.

S. Chrysost. Lib. 3. de Sacerd. c. 5. *Qui terram incolunt, datum est ut potestatem habeant quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, Neque enim ad eos dictum est:* Quæcumque alligaveritis, &c. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm: id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit.* Neque hi porrò potestate illa, juxtà S. Doctorem, præditi sunt tantùm cùm baptisant, sed posteà etiam *cùm nobis peccata condonant.* Unde eis *immunditiam* ipsam *animæ, non purgatam probandi, sed prorsùs purgandi potestatem* tribuit. ibid. c. 6.

Idem, Homil. de Muliere Samarit. *Qui homini detegere peccata erubescit, neque confiteri vult, in die illa judicii, non coràm uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Atqui non aliter loquimur Catholici.

S. Aug. Serm. 353. *Lazarus processit de tumulo; & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt à morte; nam non confiterentur nisi procederent - - - Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ?* Quæ solveritis, *inquit*, in terra, soluta erunt & in cœlo. *Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem: jam cætera implet Ecclesiæ ministerium.* Et num. 9. *Solent inde Pagani, quasi insultare nobis - - - Vos, inquiunt, facitis ut peccent homines, cùm illis promittitis veniam si egerint pœnitentiam,* &c. Atqui hic habetur per confessionem Sacerdotibus factam, peccatorum etiam latentium remissio; eaque ità omni-

bus nota, ut inde *Pagani* Ecclesiæ insultandi causam arriperent. Cum autem obierit Augustinus anno 430. testis est fidei quarto & quinto sæculo in Ecclesia vigentis.

S. Leo, epist. 82. *Christus*, inquit, *hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri confessione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Fulgentius formulam generalis peccatorum confessionis condidit, quam quisque suos ad usus accommodaret. In hac porrò Pœnitens ait: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ*; & tamen *confessio* fieri dicitur *coràm homine Sacerdote*: sic autem pergit Pœnitens: *Multa mala cogitavi - - - Ego corpus Domini & sanguinem ejus polluto corde & corpore, sinè confessione & pœnitentia sciens indignus accepi.* Atqui 1mo. hic statuitur confessio de iis etiam peccatis quæ *cogitatione* commissa sunt. 2do. Eadem confessio fit homini, sic tamen ut Deo, cujus vices gerit Sacerdos, fieri videatur. 3tio. Confessio hæc adeò necessaria est, ut qui eam omisit ante communionem, reus sit corporis & sanguinis Domini. Ergo tunc ubique confessio in specie necessaria judicabatur. Et verò ad quid formula confessionis, peccata omnia singulatim recensens, si moris fuisset uni Deo confiteri?

Prob. 2do. ab exemplis eorum qui peccata sua deposuisse leguntur. S. Iren. L. 1. c. 13. scribit vitiatas ab heresiarcha Marco feminas, ad Ecclesiam reducens, suum illud corporis & animi scelus confessas fuisse. Hæc autem confessio, seu occulta fuerit, seu ordinata ad publicam pœnitentiam, verè erat sacramentalis; cùm ad veniam per claves Ecclesiæ recipiendam tenderet. Eusebius, L. 6. Hist. c. 34. scribit Philippum Cæsarem non antè in Ecclesiam *cum reliquo populo* admissum fuisse, *quàm confessionem scelerum fecisset*, & iis qui pœnitentiæ stadium decurrebant, *se adjunxisset.* Hi porrò omnes eò tendebant, ut tandem Deo & Ecclesiæ reconciliarentur. Socrates & Sozomenus famosam illam nobilis matronæ confessionem referunt, quæ tantum in Ecclesia scandalum peperit. Quode infrà. S. Ambrosius *Pœnitentium Confessiones* secretò *excipiebat*, teste suprà Paulino, S. Eleutherius, Tornacensis Antistes, revelante Deo, secretum Clodovæi Regis peccatum cognovit, cujus confitendi eidem author fuit. S. Isidorus Hispalensis, morti vicinus, an. 636. peccata sua confessus est. Idem fecère S. Eligius, & S. Tillo Abbas, &c.

Prob. 3tio. argumento præscriptionis: Ut confessionis, prout ad salutem necessariæ, fides à Christo profluere dicatur, duo sufficiunt, 1mo. ut fides illa sit Græcæ pariter & Latinæ Ecclesiæ

fides; 2do. ut nulla circa punctum hoc in utramque Ecclesiam irrepere potuerit mutatio. Atqui utrumque constat. Et quidem 1mo. quòd Ecclesia Græca, non secùs ac Latina, necessitatem confessionis ut fidei punctum admittat, res est indubia, 1mo. ex ejus Libris Pœnitentialibus; qui perinde ac nostri confessionem præcipiunt 2do. Ex Jeremia CP. Patriarcha, qui Augustanam Confessionem ad se missam à Lutheranis, censura perstrinxit, quia negaret peccata omnia per species in Pœnitentiæ Tribunali enumeranda esse. 3tio. ex Synodo apud Bethleem habita an. 1672. ubi eadem astruitur Græcorum fides. 2do. nulla hic suboriri potuit mutatio. Si enim, ut alibi ostendimus, nulla circà realem præsentiam oriri potuit mutatio, etsi hæc solam mentis adhæsionem requirit, quantò minùs induci potuit novitas in materia confessionis, quæ homini sibi relicto pondus videtur intolerandum? Qua animorum conversione factum est, ut Imperatores, viri ac feminæ Principes, rudes & periti, Monachi & Sacerdotes, id jam senes facere voluerint quod juniores nè audiissent quidem esse faciendum? Ubique nunc persuasum est Catholicis necessariam esse confessionem; & hanc nihilominùs non pauci refugiunt. Quid igitur, si nossent eam sæculo uno minùs antiquam esse? Meritò igitur Trid. Sess. 14. c. 6. *Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, anathema sit.*

Obj. 1mo. Celebre Nectarii Patriarchæ CP, factum, quod sic refert Socrates, Lib. 5. c. 19. *Sub idem tempus Presbyteros Ecclesiarum, qui Pœnitentiæ præerant, placuit aboleri, idque ob hujusmodi causam. Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum à se perpetrata sigillatim confessa erat; Presbyrer verò præcepit mulieri ut jejuniis & orationibus vacaret - - - Progressu temporis mulier confessa est Ecclesiæ Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cùm dixisset, Diaconus quidem Ecclesia ejectus est; populus verò graviter commoveri cœpit - - - Cùm igitur eam ob causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam, Ecclesiæ Presbyter, Nectario suasit ut Pœnitentiarium Presbyterum expungeret; unumquemque verò pro arbitrio & pro animi conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere. Hæc ego cum ab ipso Eudemone acceperim, Historiæ huic inserere non dubitavi - - - Et initio quidem Eudæmoni ista dixi: Consilium tuum, o Presbyter, utrùm Ecclesiæ proerit, annon, Deus viderit. Cæterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem ampliùs non coarguant.* Idem narrat Sozomen. L. 7. c. 16. Ex iis sic: Quod ab

Ecclesiâ institutum est, ac deinceps ab ea sublatum occasione gravis scandali, institutionis est tantùm humanæ, Aiqui peccatorum confessio ab Ecclesia instituta est, &c.

R. neg. min. & dico 1mo. tolli potuisse Pœnitentiarium Presbyterum [sicut nunc tolli posset major Pœnitentiarius Cathedralium] absque eo quod tolleretur confessio sacramentalis; 2do. hanc de facto non fuisse sublatam.

Quòd Pœnitentiarius ille citrà confessionis dispendium tolli potuerit, patet 1mo. quia ab Ecclesiæ initio institutus non fuerat, sed tantùm occasione Novatianorum, qui Catholicos redarguebant, quòd lapsos ad communionem nimis facilè admitterent. Ergo eodem sublato res in eo erant statu quo fuerant ante Novatianos: tunc autem & antea viguisse confessionem suprà probavimus. 2do. Quia præter Pœnitentiarium hunc erant alii qui confessiones exciperent; tum quia is solus in numerosissima civitate, qualis erat Constantinopolis, excipiendis, seu ad instructionem, ut Dallæo placet, seu ad veniam, ut volumus, omnium Fidelium confessionibus par esse non potuisset; tum quia Serapion, * ut à crimine quod sacrificando commiserat, absolveretur, *unum ex Presbyteris* accersiri precatus est; tum quia ex Origene, Hom. 2. in Ps. 37. *Circumspiciendum est diligentius cui peccata sua confiteatur* Pœnitens: si autem uni tantùm confiteri licuisset, quis delectui locus? 3tio. Quia Pœnitentiarium hunc pro his tantùm qui in certo genere, publicæ Pœnitentiæ obnoxiò, deliquissent, institutum fuisse evincit ipsa Socratis narratio. Ex ea enim constat 1mo. Pœnitentiarium hunc institutum fuisse adversùs illos, qui in Deciana persecutione sacrificaverant; quod delictum solemni pœnitentia multari solebat. 2do. Eundem sublatum fuisse occasione sacrilegæ constuprationis, quæ in notitiam populi venit. Undè liquet officium ejus spectasse illos qui crimina quædam pœnitentiæ solemni subjecta perpetrassent: jam verò tolli potest qui certo peccantium generi præest, absque eo quòd abjiciatur cæterorum cura. Ergo stat 1mo. Pœnitentiarium à Nectario tolli potuisse, absque eo quòd tolleretur confessio secreta.

Neque minùs constat reipsa sublatam non fuisse à Nectario confessionem: 1mo. enim hanc ad salutem omninò necessariam esse statuerunt Patres antiqui; idemque fecit Chrysostomus Nectarii successor, ut ex dictis constat. 2do. Non graviora tantùm, ac pœnitentiæ publicæ subjecta, sed & vulgaria etiam confessioni subjacuisse ex Sozomeno apertè conficitur. Is enim scribit 1mo. in eo Pœnitentiario requisitum imprimis fuisse, ut *prudentia* & TACITURNITATE polleret. Ad quid au-

* *Euseb. L. 6. c. 44.*

tem

tem taciturnitas isthæc, si vel publica fuisset confessio, vel tantùm de criminibus publicis? 2do. Mulierem illam *sua* Pœnitentiario *delicta post Baptismum perpetrata* SIGILLATIM detexisse. Eáne verò nihil admiserat quod solemnis Pœnitentiæ stadio non indegeret? Ideò id factum, quia ad obtinendam veniam, *peccatum* NECESSARIÒ *confiteri oporteat.* Idne porrò sustulit Nectarius quod fieri *necessariò* deberet; Ergo stat 2do, confessionem sublatam non fuisse.

Inst. 1mo. Ex Socrate, abolitio Pœnitentiarii gravem intulit Ecclesiasticæ disciplinæ plagam. Atqui non ità se res habuissent, si superfuisset aliquis confessionis usus. An enim hodie conclamata esset Fideliũ salus, si in Ecclesia aliqua tolleretur Major Pœnitentiarius? Nequaquã sanè, quia eodem amoto non deficerent alii. R. neg. min. Id enim vi officii sui faciebat Major Pœnitentiarius, quod à nullo æquè præstari poterat; 1mo. morum sanctitati censoria quadã & publica authoritate invigilabat. 2do. Non ea tantùm quæ sibi ultrò à Pœnitentibus deferebantur peccata excipiebat, sed auditis, ut tradit Socrates, testium delationibus, urgebat reos ut suo se Tribunali offerent, ibidem congruæ Pœnitentiæ addicendos. 3tio. Post accepta secretò Pœnitentium flagitia, quædam designabat ab iis, prout Ecclesiæ intererat, in solemni Fidelium conventu expianda. 4to. Scrutabatur diligenter an & quatenùs publici illi pœnitentes imposito sibi penso satisfacerent. Atqui extincto Pœnitentiarii officio, nullus fuit qui tanta hæc bona promovere posset: Non alii Presbyteri, quia nullam ad id habebant jurisdictionem: non Episcopi, quia aliis distenti negotiis huic tanto vacare non poterant. Ergo superstite etiam privata confessione Disciplinam Ecclesiasticam graviter labefactavit Nectarius; extunc enim non alii fermè Pœnitentiæ subjacuerunt, quàm qui eam expeterent spontè, vel scandalosum aliquit perpetrassent, &c. Hinc patet magnum occurrere discrimen inter Pœnitentiarios, quales erant Nectarii tempore, & nunc sunt, unde non ità noceret istorum suppressio, quàm tunc nocuerit; noceret tamen plurimùm: quoti vel uno Majoris Pœnitentiarii nomine deterrentur à peccato!

Inst. 2do. Si sublato Pœnitentiario Permansisset obligatio confessionis privatæ, non magis quàm antea liberum fuisset ad Sacramenta pro nutu accedere. Atqui ex Socrate Nectarius *unicuique permisit pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere.* R. neg. maj. & dico 1mo. abrogato semel Pœnitentiario, multò liberiorem quàm anteà fuisse communionis usum. 2do. Non ità tamen liberum fuisse, ut nulla superesset obligato confessionis. Et qui-

dem 1mo. liquet quòd post obligationem Pœnitentiarii multò liberior fuerit accessus ad Sacramenta. Cùm enim is sollicitè inquireret in mores Fidelium, delationes acciperet, & de peccatis quæ scandalo fuissent, admoneret, nemo erat publicè flagitiosus qui nisi per eum ac Sacramenta accedere posset: neque satis erat eundem adiisse, nisi præscripta ab eo pœnitenria impleretur ad unguem. Hæc autem omnia simul cum ipso penè corruerunt, adeò ut præter certi ordinis facinersos vix quisquam à sacra Mensa palàm excluderetur. At constat nihilominus 2do. semper remansisse confessionis obligationem, quæ tametsi ab hypocritis eludi facilius poterat, ut nunc potest, verè tamen ligabat conscientiam. Unde summa illa ad communionem accedendi libertas, de qua conqueritur Socrates, non absolutè, sed comparatè ad præcedens tempus intelligenda est. Si enim ex tunc omnimoda unicuique fuisset libertas ad sacra pro arbitrio accedendi, nulla à fortiori remansisset Pœnitentia publica; cùm hæc, & sæpè ad longum tempus, arceret à sacra Communione. Atqui tamen negat Dallæus contrà Calvinum sublatam cum Pœnitentiario fuisse publicã Pœnitentiam. Cur porrò? quia ejus deinceps supersunt monumenta. Atqui supersunt & confessionis, ut probatum est.

Obj. 2do. S. Chrysost. confessionis privatæ legem pluribus in locis subvertit, præcipué autem Catechesi 2. ad illuminandos, ubi sic: *Deus peccata nostra non revelat, sed* SIBI SOLI *rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Sed qui tantùm jubet hominem sibi soli sua confiteri peccata, idem non indixit legem homini confitendi. R. dist. maj. Deus non cogit accedentes ad Baptismum peccata sua revelare, C. non cogit Fideles jam baptisatos, qui ad Pœnitentiam accedunt, N. Chrisostomus eo loci Catechumenos solos alloquitur, ut patet tum ex ipso titulo Homiliæ hujus quæ est, *ad illuminandos;* tum ex Sermonis contextu, ubi hæc: *Si quis morum vitia non correxit, nè baptisetur.* PorròCatechumenos à confessionis lege immunes esse vel ipsis pueris notum est.

Inst. 1mò. Atqui hic declarat satis esse ut iidem Deo confiteantur. Sc ille *Rogo, Fratres, crebrius Deo Confitemini ---Non enim te in theatrum conservorum tuorum duco; non hominibus peccata tua detegere cogo: conscientiam tuam expande coram Deo. Dic igitur ut illis hic depositis illinc abeas purus,* &c. Et Hom. 56. *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes, intus in conscientiâ,* ASTANTE NEMINE PRÆTER EUM QUI CUNCTA VIDET. Ego. R. dist. min. Docet Chrisostomus satis esse ut Fideles peccata sua confiteantur Deo soli, & vox *soli* exclu-

dit confessionem coram omnibus faciendam, C. & excludit Sacerdotem qui gerat vices Dei, N. Constat solutio ex ipsis qui objiciuntur locis: *Non cogit Deus*, ait S. Doctor, *in medio procedentes quæ peccavimus annuntiare. Non dico tibi ut ea dicas conservo tuo. qui te probris impetat. Non confiteris conservo tuo ut in publicum proferat.* Atqui hæc excludunt quidem confessionem, vel publicam, vel faciendam *conservo*, seu paris conditionis homini, qui audita crimina exprobret, vel evulget; sed nullatenùs excludunt confessionem Ministro Dei faciendam. Quare porrò? quia apud omnes, potissimè verò apud Græcos, confessio facta Sacerdoti, soli Deo fieri dicitur. Hinc Græcus sacerdos confessionem excepturus, ait Pœnitenti: *Ne quæso, erubescas, non enim mihi peccata enuntias, sed Deo apud quem consistis.*

Inst. 2dò. Qui negat homini confitendum, quamcumque homini factam confessionem excludit. Atqui Chrisost - - - Sic enim habet Serm. 58. *At erubescis enuntiare peccata? Sanè quidem si coram hominibus ea dicenda essent & evulganda: non tamen ità pudere te oporteret --- Jam verò neque necessarium est testibus præsentibus confiteri - - - Deus te confitentem* SOLUS *audiat*. R. dist. min. Negat homini confitendum palàm & *præsentibus testibus*, qui confessum crimen exprobrent aut evulgent, C. secretò & privatim, N. Namque Chrisost. alibi pluries docet confitendum etiam Dei Ministro. Sic Homil. de Samaritanâ: *Qui homini detegere peccata erubescit neque confiteri vult ---- in die illa judicii, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.*

Inst. 3tiò. Si quando urgeret necessitas confessionis, tunc certè ex Trid. sess. 13. cùm probare seipsum debet homo, ut ad Eucharistiam accedat. Atqui nè tunc quidem temporis necessaria est confessio, juxta Chrisost. confessio enim ad eam probationem necessaria non est, quæ per ipsum Pœnitentem, *intus & nemine præter Deum astante*, fieri debet. Atqui ex Chrisost. suprâ - - - R. neg. maj non enim urget necessitas confessionis cùm homo se probat, sed postquam probavit se, & hàc probatione, quæ merum est conscientiæ examen, se se graviter peccasse detexit. Nimirùm probatio de quâ eo loci disserit Chrisost. ea est quâ homo sui *judicium instituit, & peccata sua inquirit atque examinat.* Hæc autem probatio & sinè confessione sacramentali fit, & ad eam necessariò ex naturâ rei non ordinatur, quia fieri potest ut quis se nullo gravi peccato teneri animadvertat. Hanc equidem probationem in graviter reis sequitur alia probatio per Sacerdotem facienda; verùm hanc non exclusit ut in majori hebdomadâ *diligenter &*

Purè spirituali Medico, seu Sacerdoti, peccata aperiret, ut videre est Hom. 30. in Genes.

Obj. 3tiò. Patres docent peccata solâ contritione deleri. Ità S. Hilarius in Psalm. 51. Basilius in Psalm. 37. &c. R. juxtà nos etiam deleri peccata per solam, modò veram, contritonem, sed non sinè voto præstandi cetera necessaria. Id autem prædictis in locis non expressère Patres; 1mò. quia importunus sit, qui dum boni aliquid extollit, ea omnia recenset quæ eidem adjungi debent: unde iidem Patres eleemosynam aliquando siluerunt, etsi cum contritone necessariam, 2dò. Quia in objectis testibus loquuntur de Davidis & S. Petri contritione, huic autem jungi non potuit confessio, quæ, cùm deliquit uterque, necdum erat instituta.

Obj. 4tò. Gratianus qui circà an. 1151. Decretum edit, de confessione disputat, quasi nihil hactenùs super eo capite in Ecclesiâ esset definitum. R. neg. ant. non enim dubitavit Gratianus de confessionis præcepto, sed de ejus effectu, an scilicet peccata dimitteret, an eadem supponeret per contritionem jam dimissa. Unde sic concludit, c. 37. *Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur.* Et rursùs: *Ex quo datur intelligi, quòd antequam Sacerdotibus peccata nostra confiteamur, à leprâ peccati mundamur.* Unde sic: Si qui confessionem abstulissent, ii profectò quibus persuasum erat peccata solâ contritione dimitti. Atqui ii tamen confessionem frequentabant, licèt persuasi *quòd antequam* QUISQUE *confiteatur*, jam absolutus est à peccato. Ergo.

Q. 1mò. quinam divinâ confessionis lege teneantur. R. teneri adultos omnes & solos, qui post Baptisma letaliter deliquerint. 1mò. Tenentur soli baptisati; quia nemo extrà Ecclesiam positus ab Ecclesiâ solvi aut ligari potest. 2dò. Tenentur soli & omnes letaliter rei; quia mortale solum & omne necessaria est confessionis materia, ex Trid. sess. 14. c. 5.

Q. 2dò. quo tempore obliget divinum gravia confitendi præceptum. R. 1mò. Obligat per accidens, id est, ratione alterius præcepti quod citrà præviam confessionem dignè impleri non possit, 1mò. cùm recipienda est Eucharistia, & adest copia Confessarii, idque quantumvis pœnitens se contritum existimet; 2dò. cùm sacra quædam functio imminet quæ statum gratiæ requirit; 3tiò quoties confessio medium est necessarium ut à novo gravi peccato abstineas, vel gravem tentationem superes. R, 2dò. Obligat per se, 1mò. in quovis probabili mortis periculo, putà gravi morbo, partu certò vel dubiè difficili, navigatione periculosâ, instante opere unde mors evenire solet. 2dò. Cùm quis vereri debet nè deinceps confiteri non possit,

putà quia imminet periculum amentiæ, captivitas ab hæreticis, &c. 3tiò. Sæpè etiam obligat in vità extrà periculum mortis; tum quia qui legem indicit, nec indicit tempus quo hæc debeat adimpleri, non vult ad extremum usque, imò nec diu, executionem ejus protrahi; tum quia experientiâ compertum est eos qui confessionem de die in diem protrahunt, antè rapi quàm confiteri potuerint.

Q. 3tiò. an urgeat præceptum confessionis statim moraliter post admissum letale. Negant plures cum S. Thomâ. Affirmant alii, quorum opinio, ut animarum saluti longè tutior amplectenda videtur. 1mò. Quia ex suprà probatis non licet diu contritionem post peccatũ differre, ob innumera quæ dilationem hanc sequuntur pericula. Atqui eadem ferè pericula dilationem confessionis sequuntur; quia difficilis & rara est contritio quæ extrà Sacramentum justificet. 2dò. Quia opinio quæ uni tantùm unoquoque sæculo ruinæ foret, vel hoc ipso meretur abjici. Atqui constat annis singulis perire plures, quia confessionem ad Pascha usque citra culpã differri posse crediderint.

Haud tamen credo vexandos esse ut novi ac specialis peccati reos, qui huic defuerint officio; 1mo. quia facilè hîc excusare possit bona fides ob contradicentium autoritatem; 2do. quia peccatum illud ex annuâ confessione satìs intelligitur; 3tio. quia interrogandi sint Pœnitentes quo primùm tempore post receptam absolutionem relapsi sint, ut intelligatur annon confessiones anteà factas iterare teneantur. Multominùs redarguendus erit qui confessionem ad aliquot dies differt, ut interim peccati solito gravioris veniam uberiori oratione consequatur.

§. II. *De Præcepto Ecclesiastico Confessionis.*

Præceptum illud emisit an. 1215. Concilium Later. VI. sub Innocentio III. can. 21. En ipsius verba. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltèm semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Enchariſtiæ Sacramentum? alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens christianâ careat sepulturâ. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat á proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.* Jam quæritur 1mo. quis ille sit *proprius Sacerdos* cui semel in anno confitendum; 2do. quinam hujus cofessionis lege teneantur, &c.

CONCLUSIO. Proprius de quo Concilium Lateranense Sacerdos, est Parochus, salvo tamen Romani Pontificis & Episcoporum jure.

Prob. 1. pars. Proprius Sacerdos necessariò est persona quædam ab aliis distincta, & cui specialior certi gregis cura incumbit; cùm sinè ejus *licentiâ* ceteri gregem regere non possint. Atqui notio hæc Parocho apprimè convenit, ut ex terminis patet. Et verò proprius Sacerdos, can. 32. ille est cujus unaquæque Ecclesia curam habere debet; & à quo decimæ aliaque jura in alium citrà *fraudem* trasferri non possunt. Atqui hæc Parocho indubiè competunt. Hinc Martinus IV. in Constitutione *ad Uberes*: *Volumus*, inquit, *ut qui Fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltèm semel in anno, prout generale Concilium statuit, teneantur.* Idem decrevêre 1mo. Innoc. IV. an. 1281. Benedictus XI. an. 1304. Sixtus IV. an. 1478. 2do. plures Galliæ Synodi, ut Tolosana an. 1228. cap. 13. Biterensis, an. 1256. cap. 46. &c. 3tio. Facultas Parisiensis, quæ an. 1482. in Joanne Angelo Mlnoritâ, assertionem hanc: *Parochianus confessus* Mendicantibus *satisfecit Decretali*, omnis utriusque sexùs, *nec tenetur confiteri, proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam*, confixit ut *scandalosam, Juri communi contrariam*, &c.

Prob. 2. pars; 1mo. ex ipso Canonis contextu. ubi hæc: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causâ sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote, &c.* Hic proprius Sacerdos opponitur alieno, qui nonnisi de illius licentiâ solvere potest vel ligare. Atqui sanus nemo dicet S. Pontificem in totâ Ecclesiâ, & Episcopos in suâ quemque Diœcesi, alienos esse Sacerdotes, qui Parochorum licentiâ indigeant, ut Pœnitentiæ Sacramentum validè administrent. Hanc enim Potestatem ab ipso Christo habent; & virtute ordinationis suæ quidquid inferioribus Sacerdotibus inest authoritatis, eminentiori ratione continent. Hinc posteriora Concilia, quæ Lateranensis Decreti sensum non ignorabant, per proprium Sacerdotem ita Parochum intelligunt, ut nec S. Pontificem, nec Episcopos, nec ab ipsis Delegatos excludant. Sic Claromontanum, an. 1263. *Proprium Sacerdotem dicimus vel ex officio, utpotè Papam, Episcopum & Curatos; vel ex commissione, sicut Fratres Prædicatores, &c. quibus Episopus commiserit vices suas.* Idem habent Concilia Lingonense, an. 452. Attrebatense, an. 1490. &c. Unde Parochi Parisienses in publicâ Declaratione quam an. 1656. Gallicano Clero obtulêre: *agnòverunt Episcopos proprios esse Sacerdotes, qui jure divino, & quidem superiori & immediato, possunt Sacramenta administrare, & quibus voluerint ea administrandi facultatem concedere.*

Obj. 1mo. Sacerdos proprius opponitur in Lateran. Synodo

modo Sacerdoti communi. Atqui S. Pontifex est tantùm Sacerdos communis; idémque est de Episcopis, qui generalem tantùm in totam Diœcesim jurisdictionem habent. R. neg. maj. Sacerdos enim proprius non communi opponitur, sed extraneo; ei nimirùm, qui nullam in Diœcesi jurisdictionem habet, vel saltèm non habet in hanc vel illam Diœcesis partem: quales ii erant quorum occasione conditus est Canon Later. qui nempè alterius loci Parochianos ad se accersebant ut eis Sacramenta administando, decimas ab ipsis perciperent.

Inst. 1mo. Si Sacerdos proprius non opponatur communi jam invitis etiam Parochis poterunt Regulares Fidelium confessiones excipere. Ad id enim satis erit ut generaliter approbentur à Sacerdote communi, seu is Papa sit seu Episcopus. R. neg. Sequelam. Si enim, ut contendimus, Parochus sit speciali ratione proprius Sacerdos, jam Regulares ex generali sive R. Pontificis sive Episcopi delegatione, annuas Fidelium confessiones renitente Parocho excipere non poterunt: quia juxtà nostram expositionem. Fideles, non simpliciter jubentur semel in anno confiteri, sed speciatim confiteri Parocho suo, vel Sacerdoti alteri de illius consensu. Ergo cùm ista confessio sit Parocho reservata, non possunt Regulares eam recipere ex generali Papæ vel Episcopi approbatione; quia ex Regulâ 81. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Porrò verisimile non est Papam aut Episcopum à lege per Concilium generale latâ, sine speciali eàque gravi causâ recedere. Ergo cùm uterque vel alteruter Regulares generatim approbat, non magis eos ad annuam confessionem approbare censetur, quàm cùm Sacerdoti generatim concedit facultatem per totam Diœcesim sacramentaliter absolvendi, censetur tribuere licentiam, audiendi Moniales, vel à casibus sibi reservatis absolvendi.

Inst. 2do. Si Episcopi possint delegare ad audiendas invitis Parochis, Fidelium confessiones, id poterit R. Pontifex, qui majorem his potestatem habet. Atqui eo ipso concidit jus Parochis assertum à Concilio Later. Reipsâ enim facultatem hanc concessêre Regularibus Alexand. IV. anno 1256. Clemens IV. anno 1265. & post alios plures Innoc. X. in Brevi ad Archi-Episcopum Burdigalensem anno 1645. ubi hæc: *Non potest Archi-Episcopus Burdig. prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica ne à Dominicâ Palmarum usque Dominicam in Albis inclusivè administrare valeant personis sæcularibus Sacramentum confessions*; quod Breve executioni mandari jussit Ludovicus XIV. die 11. Martii ejusd. anni. R. dist. maj. Poterit S. Pontifex delegare, prout in Decretis summi

momen-

momenti dispensare potest, id est, citrà ullam ordinis debitè constituti subversionem, C. secùs, N. Non movetur hic quæstio de potestate S. Pontificis, sed de competente ejusdem potestatis usu, quam Christi Vicarius in ædificationem tantùm à Christo accepit. Porrò si quandoque exigere potest rerum conditio; ut Papa quosdam deleget, qui confessiones excipiant; putà cùm inferiores Prælati ovium curam negligunt; exigit plerumque debitus ordo, ut concreditam à Spiritu S. singulis Episcopis gregis portionem uni eorum curæ dimittat. Et verò an affixus uni loco Papa, & generalibus Ecclesiæ negotiis distentus, uniuscujusque Religiosi mores, doctrinamve appendere potest in staterâ Sanctuarii? Sicut ergo non tam ex potestatis quàm ex notitiæ defectu, sua in causis Matrimonialibus Rescripta dirigit S. Pontifex ad Episcopos, qui factorum veritatem penitùs indagare valent; ità nec Tridentinum Episcopos suprà Papam erexit dum sanxit Sess. 23. C. 15. *nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis idoneus judicetur*; etiamsi Sedis Apost. *privilegiis & consvetudine etiam immemorabili* graudeat: Sed solùm Decreto illo significavit, è re esse ut Episcopi, qui propioribus oculis omnia intuentur, bonas aut malas Sacerdotum, quos in sollicitudinis suæ partem vocant, qualitates perpendant.

Quod spectat ad privilegia Regularibus ab Alexandro IV, &c. concessa, liquet ea quæ Tridentinum præcessère, nullius jam esse roboris, utpotè ab eo revocata. Quæ verò Tridentinum subsecuta sunt, vim in Galliâ non habent. Sic contra Innocentii X. Decretum, regiâ licèt autoritate munitum, insurrexère an. 1645. Galli Præsules, ac vetuère ne quis Regularium Paschali tempore confessiones sinè Episcopi, vel Parochi licentiâ exciperet; idque Rex, & deinde Papa gratum habere rogati sunt.

Obj. 2do. Episcopi, licet Parochis superiores, eorum tamen jura servare debent; nedum ea infringere. Atqui infringunt, cùm inconsultis, quandoque etiam renitentibus Parochis. Regulares deputant, &c. R. neg. min. Non enim alienum jus infringit, qui suum servat: porrò Episcopi, dum aliquos è Clero seu Sæculari, seu Regulari excipiendis Fidelium confessionibus præficiunt, servant jus sibi à Christo assertum, & quo nec à se ipsis, nec à Concilio spoliari potuère.

Hic tria notanda, 1mo. executionem Canonis: *Omnis utriusque sexûs*, strictè urgeri certis in Diœcesibus, quales sunt Remensis, Catalaunensis, Virduensis, Tullensis, Novomensis & Senonensis, in quibus annua confessio; sinè Parochi consensu

facta

facta, irrita & iteranda declaratur. In aliis verò Diœceſibus, quæ prædicti Canonis executionem non urgent, valet confeſſio ſinè Parochi conſenſu extrà Parochiam facta Sacerdoti cuilibet generaliter tantùm approbato, modò adſit tacitus Epiſcopi conſenſus; qui meritò præſumitur, vel ex ipſius ſilentio, vel ex receptâ conſuetudine. Quamquam ut omnem hâc in parte anxietatem tollant Parochi, ſuis è *Suggeſtu* ante Paſchalis Qindennæ initia, licentiam dare ſolent, vel ad ordinarios ſuos Directores, vel ſaltèm ad unum è vicinis pluribus quos aſſignant, recurrendi. Quod ultimum cautè fieri debet, ſi poteſt, nè dum tres nominas, quartum excludendo, offendere videaris.

2do. Parochis curandum, ut ſuis licentiam extrà Parochiæ fines confitendi facilè indulgeant. Tum quia id præſcribunt Concilia, ut Burdigalenſe an. 1624. Tum quia multiplici experimento conſtat, eos qui ſibi blandiuntur, quòd Parochianos ſuos omnes eò adduxerint ut apud ſe peccata deponant, in causâ eſſe, cur plura committantur ſacrilegia, quia pudor confitentium, præſertim juniorum, eorùmve qui plus à Parocho dependent, ora, etiam in morte, obſtruit. Unde operæ pretium eſt ut Parochus, maximè ſi ſolus in Eccleſiâ ſuâ confeſſiones excipiat, identidem extraneos vocet *Sacerdotes*, horteturque atque etiam urgeat Parochianos,, ut illis ſe ſiſtant. *Si* enim levamen illud Monialibus ter in anno indulſit Trid. *Synodus*, quantominus ruſticis erit denegandum,

3tio. Animadvertendum tamen in concedendâ Parochiano licentiâ apud extraneum Sacerdotem confitendi, habendam eſſe rationem tum Parochiani, tum & Confeſſarii. Unde ſi prior roget ut ſibi liceat confiteri apud imperitum, dubiæve fidei, vel nimis facilem, non erit audiendus. Addo, Confeſſarium, niſi aliunde pœnitentem cognoverit, aliquando de ejus ſtatu eſſe admonendum: Alioqui enim cùm uſuras tranquillè exerceat, officio ſuo deſit in gravioribus, libros malos legat, abſolutionem immeritam ſuffurabitur.

Q. 1mo. an in textu Later. vox, *Omnis Fidelis*, omnes oomninò baptiſatos compræhendat. R. affirmat. itâ ut vel ipſum R. Pontificem, alioſque à fortiori Sacerdotes complectatur: tum quia ea lex quædam eſt determinatio juris divini, cui ſubjacet Papa; tum quia conſuetudo, optima legum interpres, ipſaque vim habens legis, ſic Decretum de quo agimus, interpretatur. Paſſim tamen, in his ſaltèm partibus receptum eſt, ut Sacerdotes cuilibet in Diœceſi approbato citrà Parochi licentiam confiteantur.

Q. 2do. an pueri eâdem lege teneantur. R. affirm. Concilium

cilium enim legem suam non refert ad ætatem, sed ad *annos discretionis*, id est ad illud tempus, quo malum à bono morali discerni potest. Ergo si malitia ætatem superet, puer qui mortaliter deliquit, confiteri tenetur. In dubio an puer pleno rationis usu gaudeat, debet confiteri; tum quia pars isthæc tutior sit; tum quia non solùm mortalia certa, sed dubia etiam confiteri jubemur. Eximuntur tamen pueri à pœnis quas comminatur Decretum Lateranense: quia C. 2. *De delict.*: &c. *In pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges ducunt severiùs corrigendum.* Ceterùm nec inconsulto Episcopo quisquam, quia Paschali officio defuit, Ecclesiastici privandus est sepulturâ. Hæ enim pœnæ Superioris sententiam prærequirunt.

Q. 3tio. An qui sola habet venialia, teneatur eadem confiteri. R. probabiliùs affirmat. secundùm dicta Tom. 2. *Tractat. de Præc. Eccl. cap. V. Quæst. 4ta.* Adde quòd qui à mortali prorsus abstinuisset, teneretur saltem proprium suum Sacerdotem adire propter Eucharistiam: imò qui non confitetur intrà annum debet per se rationem reddere cur id non faciat; quod moraliter loquendo, nullus facit, sed confitetur ut potest. Interim dicenti in foro Pœnitentiæ, se ab omni peccato gravi liberum esse, fides habenda erit, nisi Parochus justas habeat rationes aliter judicandi.

Q. 4to. quæ ab implendo annuæ confessionis prœcepto excusent. R. excusat, 1mo. impossibilitas physica; nec enim Deus vel Ecclesia impossibilia jubent. 2do. incommodum grave, quod ab extrinseco & præter institutionem Sacramenti prudenter timetur; ut si justè verearis nè unus qui præsto est Sacerdos, peccatum tuum revelet, vel apertum sibi in confessione peccatum alterius intelligat. Aliud est, si incommodum confessioni intrinsecè annexum sit, putà quòd à pii famâ, quam apud Confessarium obtinueras, sit tibi excidendum. Est enim onus illud confessioni prout à Christo instituta est, moraliter loquendo annexum; cùm fieri vix possit, ut ignoto semper confiteamur.

Sed an gravi laborat impedimento, qui non nisi per interpretem cofiteri potest; vel qui nisi in scriptis confiteri nequit, ut si surdus sit Sacerdos, vel mutus Pœnitens.

Circa primum hæc in praxi sequerer, 1mo. non redarguerem eum qui annuæ confessioni deest, quia nisi per interpretem confiteri nequit. 2do. Si per interpretem significaret, se vehementer dolere de peccatis, seque panem fortium esurire, aut eo ad vincendam tentationem indigere, non negarem, exploratâ priùs per me & per alios ejusdem agendi ratio-

ratione, & datâ post signa & nutus absolutione. 3tio. Plus aliquid suaderem in extremis hortarerque ad utendum interprete, modò is notæ foret probitatis. 4to. Si, quod feminis faciliùs contingit, invictam ad id repugnantiam in eo detegerem, hærerem incertùs. Non desunt certè qui cum Lugo existiment eum qui in periculo mortis nonnisi per interpretem confiteri potest, teneri omnia per ipsum mortalia accusare: quia manifestatio peccati apud duos gravî sigillo obstrictos, est quidem incommodum, sed non grave adeo, ut propter illud divino mortalia omnia confitendi præcepto deesse liceat. Favet S. Thomas in 4. dist. 17. ubi de præsenti casu dicit: *Quando non possumus uno modo,* DEBEMUS *secundùm quod possumus confiteri.*

Is verò qui solùm in scripto confiteri potest, non eximitur à confessione: Quia Ecclesiasticum & à fortiori divinum confessionis præceptum obligat, quando citrà grave inconveniens adimpleri potest. Atqui quòd homo confiteatur in scrtptis nullum habet inconveniens, quod præcaveri facilè non possit, Peccati enim manifestatio vitabitur à Pœnitente, si literam mutet; vel non anteà scribat, sed coram sacerdote, & statim rumpat, &c.

Q. 5to. quæ confessio necessaria sit, ut Ecclesiæ præcepto satisfiat. R. 1mo. non fatisferi per confessionem sacrilegam, qualis ea est quæ fit sinè dolore idoneo, vel absque examine sufficienti. Patet id 1mo. ex censurà hujus propositionis: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* 2do. Quia Ecclesiæ præceptum est juris divini determinatio. Divino autem juri non satisfit per sacrilegium.

R. 2do. neque etiam satisfieri per confessionem ritè factam nondum secutâ absolutione. Ratio est, quia Ecclesia id præcepit quod ex Christi præcepto debitum erat: Porrò Christus non præcepit confessionem utcunque, sed confessionem quæ per judicis sententiam terminetur.

Q. 6to. An quì hoc anno confiteri omisit, plura, differendo, peccata committat. R. eum unius esse reum peccati, sed pluribus æquivalentis, si permaneat idem non confitendi propositum: plura verò ab eo committi peccata, si propositum sit moraliter interruptum, & pluries renovatum, putà quoties novæ occurrunt confitendi occasiones. Etsi autem alibi docuimus, per unam confessionem satisfieri præcepto tum anni præteriti, tum & currentis; meliùs tamen est bis confiteri primùm pro anno præterito, & rursus pro anno curenti.

Q. 8vo. an præceptum impleverit, cui ritè confesso absolutionem injustè denegavit Sacerdos R. negat. quia per confessio-

fessionem à Lateranensi præceptam intelligitur confessio quam sequatur absolutio valida. Si tamen subsit spes obtinendæ postmodùm absolutionis, licebit expectare ad tempus, nè eadem pluribus iteranda sit confessio, quod sæpius molestum est.

Q. 9no. quibus subjaceat pœnis qui annuæ confessioni desunt. R. nullam Jure communi præcepti hujusce transgressoribus imponi pœnam, quæ ipso facto incurratur. Lateranensis enim Canon tantùm decernit, ut vivi *ab ingressu Ecclesiæ arceantur*, post mortem verò christianâ sepulturâ priventur. Utrumque autem requirit Judicis sententiam, ut ex verbo *arceantur*, constat. Unde pœna hæc incurri non potest, nisi cùm manifesta est confessionis omissio. In multis tamen Diœcesibus plectuntur excommunicatione ipso facto, qui confessioni annuæ defuerint: hæc autem censura, cùm probationem non requirat incurritur, licèt crimen sit occultum; ut patet in hæresi occultâ, modò externâ. Repete quæ dixi Tom. 2. ubi de præceptis Ecclesiæ.

§. III. *De conditionibus Confessionis.*

Quatuor numerantur confessions conditiones hoc expressæ versu: *Integra sit, simplex, humilis, parere parata.*

1mo. *Sit simplex*, id est non artificiosè composita, vel superfluis contexta, qualis est in eis, quæ ab extraneis abstinere nolunt; gloriantúrque quòd Confessarium bis in hebdomadâ per horam occupent. Sed & hîc peccant Confessarii, qui novum nacti Pænitentem, nomen ejus, familiam, & similia interrogant. Doceat Sacerdos modum confitendi accuratum, sed brevem, & necessariis contentum.

2do. *Humilis*, proinde vera, qualis esse debet Rei veniam deprecantis accusatio; ideóque cum intimo propriæ indignitatis sensu, deposito fastu sæculari, oculis in terram demissis &c. Contra hanc legem peccant 1mo. qui gravia sua deferunt ad ignotum, levia verò ad ordinarium Directorem; Quanquam ità fieri melius est, quam sacrilegium committi: modo à gravium confessione incipiatur. 2do. qui ad excusanda peccata, eadem in conjugem fratrem, domesticos refundunt.

3tio. *Integra*, quæ peccata eorúmque speciem, numerum & circumstantias, satis evolvat.

4to. *Parere parata*, talis nempe, ut Pœnitens, adversùs Sacerdotem non disputet: quod sæpè faciunt rudes & semidocti; raró verè docti & quandoque ipsis Confessariis doctiores.

Hic expendimus; an confessio omnimodè vera esse debeat; an frequens; an integra; an necessariò facienda sit voce. *De*

De Confeſſionis veritate.

Non quæritur an confeſſio vera eſſe debeat; cùm homo ſemper *quœcumque vera* loqui debeat: ſed an quiſquis in confeſſione mentitur, eo ipſo delinquat graviter. Quod ut intelligatur, Not. pœnitentem mentiri, vel in materiâ confeſſioni extraneâ: (quod ſæpè contingit mulierculis, quæ ſive ad ſolamen, ſuum, ſive ad proprii peccati imminutionem, graviſſima de proximo effutiunt, ſeu mentiendo ſimpliciter, ſeu è levioribus monſtra compingendo) vel in materiâ ipſius confeſſionis, ut 1mo. ſi neget quis ſe veniale quodpiam feciſſe quod fecit 2do. ſi neget ſe mortale quid perpetraſſe, quod fecit quidem, ſed nunc confiteri non tenetur, vel quia jam confeſſus ſit, vel juſtam habeat ejus hic & nunc reticendi cauſam, 3tio. ſi neget. reum ſe mortalis, quod admiſit, & hic & nunc confiteri tenetur. 4to. ſi confiteatur veniale quod non fecit. 5to. ſi confiteatur mortale, quod non commiſit. Hic porrò ſupponimus deceptorem hunc mentiri ſcienter, vel ex ignorantiâ culpabili. Sit

CONCLUSIO Mendacium in confeſſione commiſſum, quandóque letale eſt, & tunc Sacramentum irritat: Quandóque venialè tantùm; & tunc non obeſt valori Sacramenti.

Prob. caſuum mox recenſitorum inſpectu. Et 1mo. qui veniale quod non fecit, confitetur; vel ſimul aliquod veniale aut mortale quod fecit, confitetur, vel non. *Si* I. venialiter tantùm peccat, quia culpa ejus, utpotè in materiâ levi ac minimè neceſſariâ, nec Confeſſario, nec Sacramento gravem injuriam facere videtur: *Si* II. peccat mortaliter, quia nullam veram Sacramento materiam præbet.

2do. Qui mortale quod non fecit, cofitetur, peccat mortaliter: quia in materiâ gravi ac neceſſariâ judicium Confeſſarii pervertit. Idem de iis eſt, qui in numero mortalium excedunt, vel ut certa accuſant quæ dubiá ſunt, aut ut dubia, quæ certò ſibi conſtant: quia & hi Judicem in gravi, quæ ad judicium pertinet, materiâ fallunt. Sæpè tamen ratione bonæ fidei excuſantur, ſaltem à mortali, tum ſimplices qui fallunt penè nè fallant; quíque ſibi tutiorem videntur eligere ſemitam, certa exponendo pro dubiis, & numerum adaugendo: tum ſcrupuloſi, qui peccata vix dubia habent pro indubiis.

3tio. Qui negat reum ſe mortalis, quod fecit & tunc confiteri tenetur, letaliter peccant.

4to. Qui negat ſe feciſſe veniale quod fecit, aut mortale quod fecit quidem, ſed confiteri non tenetur; venialiter tantùm peccat, modò aliunde ſufficientem abſolutioni materiam

subministret: Quia nec videtur gravem irrogare injuriam Confessario, cui peccatum illud aperire non tenetur; nec formam Sacramenti inutilem facit; nec impedit quin Director prudens de illo judicium ferat, quòd hic ferre debet.

Si Tamen puella mendacio constanter addicta, ideò à Communione pluries exclusa sit, hæc utique mendaciter negando se rursùm mentitam esse, Communionem quasi surripiet; idque semel, iterùm & tertiò efficere poterit: quod quàm sit periculosum ex iis liquet quæ de frequenti communione diximus, Mihi ergo tutius fuerit ejusmodi confessiones velutidubias iterare. Idem pari de causâ dicendum de eo qui negat se reum letalis peccati, quia ipsum jam confessus sit, vel justis de causis hic & nunc non teneatur confiteri. Potest enim peccatum jam confessum causa esse cur in sequenti confessione denegetur, vel alio modo impendatur absolutio; ut si injungenda sit restitutio, vel præscribenda contra relapsus proximásve occasiones remedia. Imò generatim timendum nè pœnitens qui in ipsâ confessione mentitur, debitâ contritione careat; nisi culpam minuat perturbatio animi, vel intempestiva Confessoris interrogatio.

5to. Qui inter confitendum mentitur in re propriæ confessioni extraneâ, graviter vel leviter peccat pro ratione materiæ; gravius tamen quàm extrà Sacramentum, ob irrogatam eidem injuriam. Et id cautè observandum, tum à Pœnitentibus, qui suâ v. g. gravi detractione novum committunt scelus, nedum priorum absolutionem recipiant; tum à Confessariis, ne garrulas mulieres, quæ vivorum ac defunctorum historiam textunt, contra debitum auscultent. Quid ergo de iis dicendum qui curiosis interrogationibus nativæ loquacitati pabulum sufficiunt?

Q. 1mo. an graviter peccet, qui in confessione generali miscet peccata nondum confessa cum jam confessis. R. 1mo. curandum Pœnitenti generalem confessionem peracturo, ut peccata post ultimam absolutionem commissa declarét: quia id necesse est ut præsens ejus status intelligatur. Qui tamen novam omnium delictorum confessionem instituit quia præteritas omnes, suo, vel novi Confessarii judicio, habet pro sacrilegis, omnia ejusdem speciei peccata, seu confessa, seu non, uno contextu aperire potest: quia quidquid hactenùs deliquit, habetur pro non confesso; & ut tale puniri debet unà cum ipsis confessionibus. Suppono actualem Pœnitentis statum satis hâc viâ innotescere Confessario. R. 2do. eum qui in confessione generali, quasi animo pietatis aut ad majorem cautelam factâ, dolosè peccata necdum deposita misceet

ſcet cum jam confeſſis, ità ut omnia jam confeſſa fuiſſe intelligantur; graviter peccare. Quia in re gravi & neceſſariâ decipit Sacerdotem; qui citiùs abſolvit eum quem jam ritè abſolutum eſſe conjicit, & leviorem ei decernit Pœnitentiam: non modò inchoare debet à peccatis poſt ultimam abſolutionem commiſſis; ſed & ea quæ ante ipſam oblitus erat, tanquam non confeſſa declarare.

Q. 2do. an qui malâ fide peccatum aliquod reticuit in confeſsione, confeſsiones omnes exinde iterare teneatur. R. huic iterandam eſſe cum ſacrilegii ſui accuſatione primam illam confeſsionem, & quas exinde fecit cum peccati hujus iniquè ſuppreſsi memoriâ: quia hæc fuêre ſacrilegia. Quòd ſi peccatum, ſacrilegii cauſam, & ſacrilegium ipſum deinceps inculpatè oblitus ſit, confeſsiones extunc bonâ fide peractas repetere non tenetur; quia formaliter integræ fuerunt, & aliis, ut ſupponitur, conditionibus informatæ. Hinc non ſemper tenetur iterare ſubſequas confeſsiones, qui prævias iterare debet.

Q. 3tio. quid agendum ei, qui advertit Sacerdotem tempore confeſsionis dormire, aut dormiiſſe. R. Si id advertat confitendo, debet eum ſuſcitare, & poſtrema repetere, ut intelligat num audierit. Si poſt confeſsionem advertat, debet oblatam etiam abſolutionem recuſare, donec in eâdem vel ſequenti confeſsione defectum ſuppleverit. Si verò neſciat quæ audita vel non audita fuerint, dolendum quidem, ſed neceſſum ut denuò totum confiteatur. Hinc curare debent Confeſſarii, nè eo tempore tribunali vacent, quo ſomno obruuntur.

De frequentiâ Confeſſionis.

Confeſsionis frequentiam alii laudant impensè, alii redarguunt impenſiùs, utique quia ſub diverſo intuentur reſpectu. Etſi verò in materiâ, quæ pro infinitâ circumſtantiarum varietate variè definienda eſt, nihil generali lege definiri poteſt, juvat nihilominùs duplicem hîc ſtatuere regulam, quæ ſi fortè fallit in multis, prodeſſe poterit in pluribus.

Regula I. Frequens confeſsio, generaliter loquendo, laudanda eſt, nedum redarguenda.

Ratio eſt 1mo. quia hanc ſuis conſuluêre piiſsimi quique Ordinum vel Congregationum utriuſque ſexûs Inſtitutores; idque approbantibus Epiſcopis. Atqui vix credi poſsit homines ſummæ pietatis in re tam gravi cœcutiiſſe. 2do. quia Communitates, quæ pium & frequentem habent uſum confeſsionis, à vitiis pluribus, nec rarò ab ipsâ mali ſpecie abſtinent: etſi harum non paucæ, ut puellæ Charitatis, in ipſo penè

sæculi æstu versantur. 3tio. quia praxim hanc exemplo suo comprobarunt Sanctissimi quique posterioris ævi Sacerdotes. Sic quotidie levissima confitebatur S. Carolus Borr. qui summam illam hâc viâ consecutus est cordis puritatem, quam in ipso hodiéque demiramur.

Nec nocet quòd confessio rarior esset prioribus Ecclesiæ sæculis. Deus enim quædam identidem inspirat quæ pietatem nutriunt. Sic olim nec publicè circumferebatur corpus Christi in Processionibus; nec eâ, quâ nunc solemnitate deferebatur ad ægrotos, nec palam exponebatur in Altari. Hæc autem, licèt iis abutantur impii, pluribus, parum etiam devotis, prosunt.

Non tamen temerè & passim omnibus suadenda est frequens confessio: cùm hæc periculosa esse possit, 1mo, iis qui in scrupulum vergunt; quique, nisi Directori sacram Synaxim jubenti parere assuefiant, nullâ unquam pace fruentur. 2do. Feminis, & iis etiam Sanctimonialibus quæ minùs conscientiæ munditiam in confessione inquirunt, quàm naturale solatium, vel exercendæ loquacitatis occasionem. 3tio. & iis, quæ cùm vix in pietate proficiant, vix aliud in frequenti confessione, quàm immeritum pietatis nomen ambiunt.

REGULA II. Frequens confessio iis etiam utiliter suadetur, quin & præcipitur, qui necdum satis à peccato & peccati occasione sejuncti sunt.

Ratio est, quia licèt id genus homines indigni sint absolutione plurimùm tamen ex confessione iteratâ capere possunt utilitatis. Utique enim potentibus egent consiliis, qui crimen, v. g. corde meditantur, necdum tamen ipsum exequi potuerunt; qui jam pluries lapsi in continuâ denuò labendi occasione positi sunt; qui sibi miserè dimissi, vix unquam peccati gravitatem ac tristes effectus intellexerunt. Atqui sicubi pia & efficacia consilia vigent, certè in sacro tribunali, ubi præsto est unctio Spiritûs S. ubi Ambrosiorũ lachrymæ lachrymas cient Pœnitentium; ubi lenia primùm injunguntur pietatis officia, quæ contritionem, vigilantiam, custodis Angeli, ac Dei-paræ magis opem alliciant.

Satagendum autem Confessario, ut quos solvere nequit, ad se post duas circiter hebdomadas revocet, iisque aliquod emendationis initium gratuletur; novos lapsus carpat, sed citrà amaritudinem; hortetur ut identidem in infimo templi angulo exclament: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Tum aliquo jam Pœnitentiæ usu, occasionum fugâ, divini verbi auditione roboratos, in austeriorem Pœnitentiæ viam paulatim inducet; donec idoneè probatos, ad absolutionem primò, & post

post aliquot gemituum novæque pietatis dies, ad Agni convivium admittat.

De Confessionis integritate.

Supponendum 1mo. ad debitam confessionem requiri examen eâ curâ instituendum, quam exigit res magni momenti. 1mo. quia ità docet Trid. Sess. 14. Can. 7. ubi: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ ac diligenti præmeditatione habeatur, & circumstantias quæ speciem peccati mutant anathema sit.* 2do. quia, ut solidè Catechismus Trid. 2. p. n. 66. qui *nimis remissè conscientiam* suam scrutantur, peccata sua *nè recordari quidem voluisse meritò videri* possunt: cùm finem nolle censeatur, qui non vult media ad finem. *Id* autem, pergit Catechismus, *si factum fuerit, confessionem iterare omninò oportebit*, aut saltem defectum ejus apud eundem Confessarium reparare.

Suppon. 2do. ad debitum examen non requiri ut in omnibus æquale sit. Minus enim iis sufficit, qui extrà peccati occasiones versantur, qui crebrò peccata deponunt, qui cùm sint timorati, noxas etiam leves memoriâ facilè retinent; nec differunt; si præter morem gravius quid commiserint, recurrere ad Pœnitentiam. Aliud est de iis qui in obvia quæcunque peccata inconsiderate proruunt; unde non menses tantum, sed & dies dierumque momenta in amaritudine animæ suæ recogitare debent. Hi autem etsi graviori indigent examine, non tamen summo; tum quia curandum ut confessio utilis sit non nimium onerosa; tum quia sic providendum est Sacramento, ut non periclitetur sanitas cerebri.

Hinc colliges 1mo. eum qui ex gravi negligentiâ grave quid omisit, mortaliter peccare; eique iterandam esse confessionem: Quin & Confessarius, quos ad se imparatos accedere animadvertit, remittere debet, donec idoneam conscientiæ indagandæ operam adhibuerint. Nunquam tamen acerbè objurgandi sunt, nè territi in perpetuum recedant, imò erit iis breviter præbenda debiti examinis methodus; ac indicandum tempus, quo redire possint. Leniùs quoque agendum cum rudibus, à quibus vix quidquã, nisi ut parvulos interroges, extundas. A fortiori differri non debet, cum imminet rationis vel mortis periculum. Idem est, si conjicere liceat Pœnitentem per interrogata & industriam Confessarii sufficienter dispositum iri: quod iis qui parum Sacramenta frequentant, raro continget.

Colliges 2do. iis qui sedulum examen parant, decurrendas

esse

eſſe varias claſſes peccatorum, quæ ad ſe pertinent. Unde præter capitalia peccata ſigillatim percurrant Dei & Eccleſiæ mandata, negotia quæ tractarunt, aut contra debitum tractare omiſerunt, loca ſibi periculoſa in quibus verſati fuêre, prout ſunt omnibus ſpectacula, multis cauponæ; perſonas quibuſcum egerunt; peccata in quæ magis propendent; generalia ſtatûs ſui munia, quæ inter non infimam ſedem tenent Chriſtiana prolis educatio, cura domeſticorum, & alia quæ ex divino lumine, ſi humiliter poſtuletur, innoteſcent.

Suppon. 3tio. integritatem aliam eſſe *materialem*, quæ eſt adæquata omnium quæ quis commiſit peccatorum accuſatio; aliam *formalem*, quæ eſt accuſatio vel eorum duntaxat, quæ poſt diligens conſcientiæ examen redeunt in memoriam; vel eorum quæ hîc & nunc Eccleſiæ clavibus ſubjicere tenetur Pœnitens. Jam quæritur utra ſit neceſſaria, & quomodo. Sit

CONCLUSIO I. Ad legitimam confeſsionem requiritur integritas formalis, non autem materialis

Prob. 1. pars. Integritas formalis in eo ſita eſt, quòd Pœnitens mortalia omnia quorum poſt diligens examen recordatur, clavibus ſubjiciat, quantùm hîc & nunc poteſt & debet. Atqui integritas illa ad confeſsionem requiritur. Prob. min. ex Trid. Seſſ. 14. C. 5. ubi: *Oportet à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſuî diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta. Si enim erubeſcat ægrotus vulnera medico detegere, quod ignorat, medicina non ſanat*, ut loquitur Hieronymus.

Prob. 2. pars: Integritas materialis quandoque, phyſicè vel ſummè moraliter impoſsibilis eſt. Atqui Chriſtus confeſsionem inſtituendo, impoſsibilia hæc præcipere non intendit, prout unanimiter per Doctores ſuos tradit Eccleſia.

Obj. contra 1. part. 1mo. quòd poſsit quis ab unâ cenſurâ abſolvi, non ab aliâ. Ergo & ab uno peccato, non ab alio. 2do quòd in judicio reus non omnia quæ malè fecit, aperire teneatur. Ergo nec in ſacro Tribunali. R. ad 1. neg conſeq. Abſolutio enim Sacramentalis ordinatur ad juſtificationem, quæ ſtare nequit niſi omnia ſimul mortalia deleantur. Aliud eſt autem de cenſurarum relaxatione. Ad 2. neg. conſeq. quia fori externi finis eſt pœna, quæ indicitur etſi reus unum duntaxat crimen aperiat; finis verò Sacramenti eſt animæ ſalus, ad quam mortalium omnium abolitio requiritur.

CONCLUSIO II. Ut confeſsio ſit formaliter integra, debent exprimi peccatorum numerus, ſpecies & circumſtantiæ ſpeciem moraliter & mortaliter mutantes

Prob.

Prob. Confeffionis Minifter judicis ac medici perfonam gerit. Atqui nec medici officium exequi debitè poteft, nisi vulnerum numerum, ac fpecies probè norit; fanum de Rei ftatu judicium ferre, nisi plenam habeat caufæ totius cognitionem; adeóque tum numeri delictorum, tum eorum fpeciėi, tum proinde circumftantiarum quæ fpeciem variant. Sanè aliud fertur judicium de eo qui gulæ indulfit, aliud de eo qui occidit fratrem: neque is fi id in agro fecerit, eâdem afficietur pœnâ, quâ, fi in Templo

Dixi 1mo. *circumftantiæ fpeciem moraliter mutantes*: quæ enim hanc phyficè tantùm variant, aperiendæ non funt. Unde nihil ad confeffionem, fi alium occideris dextrâ vel finiftrâ manu; fi fclopeto vel gladio, nisi eum lentiori ac duriori morte confeceris.

Dixi 2do. *& mortaliter.* Si enim circumftantiæ venialem duntaxat actui tribuant malitiæ gradum, poterit is, ut alia venialia reticeri. Imò, fi circumftantia letaliter gravis facinori tuo acceflerit ex ignorantiâ leviter culpabili, neceffum non erit illam confiteri: putà, fi feriâ VI. quam eo in loco efurialem effe nefciebas, ebrietati indulferis. Addo tunc folùm aperiendas effe circumftantias, quæ fpeciem mutant, cùm Confeffario ignotæ funt. Unde fi Sacerdos Sacerdoti fuo notus contra caftitatem deliquit, non tenetur voti fui circumftantiam, utpotè fatis compertam exprimere. Quòd fi quis non tantùm Sacerdotii lege, fed & voto quod privatim, vel certis in Congregationibus emiferit, ad caftimoniam adftrictus, alicuï confiteatur, qui novum hoc ejus vinculum ignoret, tutius erit ut hanc privati voti circumftantiam aperiat: quia incertum eft an idem fit voti hujus, quod Ordinis facri vinculum.

Ex dictis colliges 1mo. eos qui anteà folas peccatorum fpecies confeffi funt, dicendo v. g. *ailiquoties detraxi, pejeravi,* &c. teneri ad iterandas poft majus examen confeffiones, quotquot hoc modo apud imperitos Sacerdotes egêre. Si tamen ex accuratâ hujus anni confeffione præcedentium defectus intelligi poffet, quia uniformis fuerit in Pœnitente vivendi ratio, nihil opus foret iftâ repetitione: fed tunc Pœnitenti fubdenda forent paucula hæc: *Accufo omnia & fingula quæ in ceteris retro confeffionibus non expreffi.* Quòd fi peccata quædam ab iis quæ in poftremâ confefsione depofuit, fpecie diftincta antè commififfet, hæc denuò aperire teneretur: unde erit huic dandum idoneum tempus, quo confcientiam difcutiat.

Colliges 3tio. ei, qui poft diligens examen certò compe-

rire non poteſt, quot præciſè admiſerit peccata, curandum eſſe ut numerum vero propiorem exprimat his verbis *plus minuſve*. Neque formulâ hâc utendum quaſi divinando; ſed cùm rebus coram Deo penſatis veriſimilior apparat numerus qui aſſignatur. Qui verò nihil fixi detegere poſſunt, id ſaltèm agere debent, ut in quâlibet peccati ſpecie aperiant ſuum vivendi morem, occaſiones, propenſionem, incentiva libidinis, ſpatium temporis, quo in exercitio peccati, peccandi voluntate, facti complacentiâ, ejuſdem apud alios, quot & quales, jactatione permanſerint; ut omnibus penſatis intelligat Confeſſarius quoties circiter lapſi ſint in menſe in hebdomadâ, in die.

Hîc not. eos, qui particulâ *plus minuſve*, poſt idoneum examen uſi ſunt, non teneri facta ſemel confeſsione, majorem, quem poſteà certò detegunt numerum exprimere, ſi is numerum, quem expreſſerunt, notabiliter non excedat. Unde qui confeſſus ſe decies; plus aut minus adulteraſſe, poſteà deprehendit ſe duodecies id feciſſe, non tenetur numerum hunc excedentem confiteri. Secùs ſi in alterutro genere quindecies lapſus ſit: quia in hiſce formulis, *circiter*, *plus aut minus*, non comprehenditur exceſſus vel defectus quicumque etiam notabilis, ſed modicus, major tamen vel minor proportionatè ad numerum expreſſum. Porrò ut unum ad quinque levem exceſſum facit, ſic duo vel tria ad decem; tria vel quatuor ad viginti &c. à contrario quatuor vel quinque grandem faciunt exceſſum, relativè ad decem; & ſic de ceteris.

Concl. III. ad integritatem confeſsionis neceſſe eſt ut exprimantur circumſtantiæ, peccatum in eâdem ſpecie notabiliter aggravantes.

Prob. 1mo. Circumſtantiæ notabiliter aggravantes eæ ſunt, quæ ità moralem actionis malitiam in eâdem ſpecie adaugent, ut unum peccatum pluribus æquivalens efficiant, ſeu ratione quantitatis, ut ſi quis aureos tres furetur, ſeu ratione durationis, ut ſi venereæ delectationi per horas plures indulgeat; ſeu ratione intenſionis, ut ſi mala omnia ipsámque damnationem inimico ſuo exoptet. Atqui circumſtantiæ hujuſmodi neceſſariò aperiri debent. Ideò enim Trid. aperiri vult circumſtantias quæ ſpeciem mutant, quia alioqui Confeſſarii nec *de gravitate criminum rectè cenſere poſſunt*, nec *pro illis pœnam quam oportet, Pœnitentibus imponere*. Atqui eadem ratio militat pro circumſtantiis notabiliter aggravantibus. Hæ enim ſæpè criminis gravitatem magìs adaugent quàm circumſtantiæ ſpeciem mutantes. Sanè gravius eſt furari centum nummos in loco profano, quam unicum nummum in templo.

Prob.

Prob. 2do. poteſt reſervari peccatum ob circumſtatiam tantùm aggravantem, ut Clerici percuſſio quia atrox ſit. Atqui reſervari non poſſet propter hanc circumſtantiam, ſi hæc neceſſariò in confeſsione aperienda non eſſet; ſicut veniale reſervari non debet, quia neceſſariò confitendum non ſit. Idem docet communis Fidelium ſenſus, quibus perſuaſſum eſt, ſe, ſi id genus circunſtantias ſuppreſſerint, genuinæ confeſsionis officio defuiſſe.

Obj. 1mo. Trid. Seſſ. 14. ubi accuratam Sacramenti Pœnitentiæ expoſitionem ſpondet, cùm circumſtantias in confeſſione aperiendas recenſet, de iis tantùm loquitur quæ ſpeciem mutant. Ergo R. neg. conſeq. Nec enim Trident. circumſtatias aggravantes ſiluit, quia in confeſsione omitti poſſint, ſed quia nòluit quæſtionem Scholaſticos inter Doctores agitatam definire. Quanquam dici poteſt PP. Trid. opinionem noſtram implicite tradidiſſe, dum ſanxerunt aperiendas eſſe circumſtantias quæ ſpeciem mutant, ut Sacerdos rectè *de gravitate criminum cenſere* poſsit; hæc enim ratio ſæpè plus pro circumſtantis aggravantibus valet, quàm pro iis quæ ſpeciem mutant. Et id utique ad Trid. mentem, docet Rom. Catec. p. 2. n. 63.

Obj. Circumſtantiæ undè aggravantes non conſtituunt diverſa peccata, ſed unum duntaxat. R. diſt. non conſtituunt diverſa peccata, formaliter & numericè, C. æquivalenter, N. Ecquis neget furtum aurei unius octo unius nummi furtis æquivalere.?

Obj. 3tio. non ſunt confitendæ circumſtantiæ quæ inſigniter minuuut. Ergo nec quæ aggravant notabiliter. R. neg. ant. Alioqui enim Pœnitens peccatum notabiliter aggravat quod non licet. Neque ideò peccator ſe excuſat, ſed ſtatum ſuum candidè aperit.

Ex his colliges in inceſtu exprimendum eſſe conſaguinitatis vel affinitatis gradum: gravior enim eſt qui in propinquiori gradu, putà cum ſorore, aut cognatâ ſecundi gradûs committitur. 2do. In adulterio, an duplex fuerit, quia utraque pars conjugata eſſet 3tio. in impudicitiâ, quòd à Sacerdote, eodemque Religioſo commiſſa ſit, ſi hanc ejus conditionem ignoret Confeſſarius. Idem eſt de eâ quæ cum ipſo peccavit. 4to. in detractione, quòd fuerit calumnioſa; 5to. qui jejunium ſolvit carnibus veſcendo, vel pluries comedendo in die, non ſolam tranſgreſsionem ſed traſgreſſiònis modum refera-bit. 6to. qui plures uno occidit ictu, de pluribus uno verbo detraxit, &c. varia hæc recenſere debet: ſeu quia peccatum aggravent; ſeu quia multiplcent peccata.

7mo. qui alicui affidatam cognovit, debet, ut & ipsa. circumstantiam hanc aperire: quia licèt crimen admiserit adulterio minus, admisit gravius simplici fornicatione. 8vo. Aperiri etiam debet relapsûs circumstantia, ut docet S. Thomas.

Debent etiam, juxta Sylvium, exprimi circumstantiæ minuentes; 1mo. cùm veniale faciunt id quòd aliàs mortale foret; unde interrogatus an jejunaveris, respondere debes id à te non factum. quia id vetuerit prudens medicus. 2do. cùm etsi unam mortalis peccati speciem relinquant, aliam tollunt; ut si eum interfeceris, quem hominem credebas, at invincibiliter nesciebas esse Sacerdotem.

Q. an actus exterior, & effectus ex ipso secutus exprimi debeat. R. affirm, Ratio prioris est, quia sinè actus externi confessione non satis innotescit actûs interni efficacia, intensio, extensio, proinde tota ejus gravitas, Hinc protrita ab Alex. VII. thesis isthæc: *Qui habuit copulam cum solutâ, satisfacit præcepto confessionis, dicens: Commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non exprimendo copulam.* Ratio posterioris est 1mo. quia effectus, utpotè voluntarius in causâ; quadantenùs ad objectū peccati pertinet; 2do. quia posito, non autem sublato effectu incurruntur aliquando censuræ, irregularitates, debitum restituendi, &c Unde qui propinavit venenum, effectum ejus aperire debet.

CONCL. IV. Ad confessionis integritatem peccata dubia, ut dubia aperiri debent; seu dubitet vel de actûs substantiâ, putà an fecerit; vel de gravitate peccati, v. g. an mortale sit, vel jàmne hoc sit confessus.

Prob. 1mo. quia in dubio tutior pars est eligenda. Atqui confessio est pars tutior.

Prob. 2do. ex praxi Fidelium, quam utpotè asperam nusquam unanimiter induxissent Pœnitentes, nisi è Traditione ortam intellexissent.

Obj. 1mo. Ea solùm peccata confiteri tenemur, quorum conscientiam habemus. Atqui nemo dubii peccati conscientiam habet. R. dist. maj Quorum conscientiam habemus certam vel dubiam, C. maj. certam tantùm, N. Conscientia enim dubia est verè conscientia; qui enim peccati conscientiam non habet, dicere potest: *Nihil mihi conscius sum.* Id porrò non dicet qui dubius est ànnon letaliter deliquerit.

Obj. 2do. peccata dubia non sunt materia absolutionis. Ergo. R. peccata dubia, si sola sint, materiam esse absolutionis conditionatæ, saltèm in casu necessitatis: eadem verò, si cum aliis certis accusentur, generali & absolutâ simul cum

aliis

aliis abſolutione dilui, ſi commiſſa fuerint. In praxi curandum ut dubio peccato certum aliquod, ſaltèm jam confeſſum adjungat Pœnitens. Ad pleniorem rei hujus intellectum,

Q. 1mo. an dubium quodcumque ſufficiat ad inducendam peccata hæc confitendi obligationem. R. ſufficere & requiri verum dubium, prout opponitur tum certitudini, tum & ſcrupulo.

Q. 2do. an qui confeſſus eſt mortale ut dubium, illud ſubinde ut certum confiteri debeat, ſi certum, vel multò probabilius deprehenderit. R. affirm. 1mo. quia peccatum exprimi debet, prout eſt in conſcientià Pœnitentis. Atqui jam eſt in Pœnitentis conſcientiâ ut certum: vel ut longè certius, neque ut tale confeſſum eſt; 2do. quia certitudo peccati certam ei gravitatem inurit, quæ notabiliter variat judicium Confeſſarii; cùm dubia delicta minoribus quàm certa pœnis ſubjaceant.

Obj. Qui confeſſus eſt ſe octies vel novies pejeraſſe, ſi novies ſe pejeraſſe certò comperiat, nonum perjurium deinceps confiteri non tenetur. Atqui teneretur in hipotheſi noſtrâ: quia perjurium nonum accuſavit ut dubium.

R. neg. min. major enim requiritur ſedulitas in explicandâ peccati ſubſtantiâ, quàm in numero; quia diſcrimen inter mortale certum & dubium ſpeciem moraliter mutat in ordine ad Cofeſſarii judicium. Id autem non contingit, cùm de ſolo numero agitur; ac multò minùs cùm agitur de numero qui dubiè licèt, utcumque tamen expreſſus eſt. Et verò quis Confeſſarius, auditâ plurium generali confeſſione, quorum alius per annos 10. impudicitiæ ſervierit, alius paulò minus, graviorem hâc de causâ uni quam alii Pœnitentiam imponere poſſit; cùm hæc nonniſi confuse animo retineantur. At verò ſi horum quis immane aliquod contra naturam ſcelus perpetravit, longè graviùs plectetur.

Q. 3tio. quid juris, ſi Pœnitens confeſſus ſit peccatum, cujus ipſe vel Confeſſarius tunc neſciebat gravitatem; ſed quod deinde mortiferum eſſe cognovit. R. nihil eſſe cur hoc denuò confiteatur, quia illud planè quoad ſubſtantiam & circumſtantias confeſſus ſit. Neque enim opus eſt ut Confeſſarius determinatè ſciat hoc vel illud peccatum quod in tribunali audit, eſſe letiferum, cùm id nè doctiores quidem ſemper dijudicare valeant. *Si quis autem confiteatur peccatum falsò putans ſe illud commiſiſſe, & poſteà certò ſciat quód non commiſerit, non eſt neceſſe illum redire ad Confeſſarium, vel aliquid de peccato iſto loqui, ante vel poſt communionem, quia confeſſio illius bona fuit, nec aliquid accedit novi confitendum*

circâ

circâ illud. Ità Silv. Et verò carentia peccati non est materia confessionis.

Q. 410. an scrupulosis eadem insit necessitas peccata dubia confitendi, quæ ceteris. R. cum Theologis omnibus negat, si de iis scrupulosis sermo sit qui timorati sunt, & à gravibus, externis præsertim quorum non deest occasio, peccatis ut plurimùm abstinent. Ratio est quia è duobus malis, eligendum est minus. Minus autem malum est quód fortè dubius scrupulosus peccata quædam omittat, quàm ut perpetuâ voretur anxietate, se ipsum & Confessarios jugiter defatiget, sensûs & capitis periculum subeat. quandóque etiam desperationis. Unde scrupulosis id genus, qui sæpè & aliquando sæpiùs confessionem frequentant, modico opus est examine, & declaratione brevi: iique, nec raró, etiam non auditi, celebrare, vel ad Eucharistiam accedere jubendi sunt. His addiderim isthæc Garnerii Tract. de Offic. Confessarii sect. 2. a. 1. *Vix unquam permittat* Director scrupuloso *confessiones generales, ne scrupulis infinitam præbeat materiam. Jn quotidianis confessionibus præscribat aliquando modum, v. g. ut Pænitens vel de certis tantùm capitibus confiteatur per se, vel respondeat ad nonnulla tantùm interrogata, nè inter examinandum nimis conscientiam, pax animi vel amittatur tota, vel magnâ ex parte. Non permittat abstinere à frequentandis, ut oportet, Sacramentis, quod vulgò cupiunt omnes scrupulosi, nè* sibi admodùm utili, *sacramentalis gratiæ auxilii careant. Vix unquam permittat scrupulosos de blasphemiis in Deum, de desperatione, de murmuratione erga divinam Providentiam, de infidelitate, de peccatis carnalibus*, utique secluso exteriori actu, *de odio fraterno confiteri. Solent enim hæc omnia venire in mentem scrupulosorum, præsertim cùm pervenêre ad summum. Sed vix unquam, si tamen nonnunquam, præbetur ipsis consensus. Imò nec credendum scrupulosis, cùm affirmant se formaliter consensisse: vix enim super eâ re sunt sanæ mentis.* Si reponat scrupulosus Confessarium suum infallibilem non esse; audiat id S. Bernardi lib. de præc. & disp. *Sed enim quid hoc refert tuâ, qui conscius non es? præsertim cùm teneas de Scripturis, quòd labia Sacerdotis custodiant scientiam, &c. Ipsum proinde, tanquam Deum, in his quæ* APERTE *non sunt contra Deum, audire debemus.* Eadem est Patrum omnium assertio. Unde scrupulosi ex authoritate infallibili certi sunt, quod non peccent, dum obtemperant homini, qui sapiens reputetur, & in nullam malæ doctrinæ suspicionem devenerit.

Quod ad eos spectat scrupulosos, qui nigro vapore depasti,

ad peccati horrorem, indéque rursùs ad scelus perpetuo cirtuïtu transvolant; hi quantùm ad præterita audiendi non sunt, donec adversùs præsentia roborati, actualibus peccatis seriò renuntiare inceperint. Vide quæ dixi ubi de conscientiâ scrupulosâ.

De causis á confessionis integritate excusantibus.

Conclusio I. Oblivio inculpata à confessionis integritate excusat. Idem est de ignorantiâ invincibili.

Prob. Deus impossibilia non jubet. Atqui impossibile est confiteri, seu quæ prorsùs è memoriâ exciderunt, seu quæ invincibiliter ignorantur esse mala. Hinc PP. ea solum jubent aperiri peccata, quorum Pœnitens post debitum examen conscientiam gerit. Atqui non gerit eorum conscientiam, quæ omninò peccata esse nescit.

Manet tamen obligatio peccata hæc, si posteà detegantur, clavibus subjiciendi; sicut manet obligatio suscipiendi Baptisma iis qui per votum ejus reconciliati sunt.

Duo hic quæruntur; 1mo. an qui peccati obliti meminit ante communionem, illud statim confiteri debeat, 2do. An qui solam gravem circumstantiam oblitus sit, ipsam peccati jam confessi speciem denuò confiteri teneatur.

R. ad 1. negat. propter rationes inductas âlibi quem locum consule ob insertas ibidem restrictiones. Cavendum tamen nè oblitorum confessio diu differatur; tum quia vereri est nè rursùm è memoriâ excidant; tum quia remissa non fuerunt, nisi eâ lege ut clavibus subjicerentur. Porrò conditio acceptata, cùm opportunè potest, adimpleri debet. Tunc autem necesse non est ut nova detur absolutio, nisi nova deponantur peccata.

R. ad 2. eum qui gravem peccati circumstantiam oblitus est, ad confitendam ipsam sceleris speciem teneri, si aliter nequeat circumstantiam hanc satis aperire: aliàs non. Unde qui fornicationem confessus est, oblitus voti castitatis quo ligabatur, & votum & fornicationem denuò aperire tenebitur: neque ei satis fuerit dixisse: *Violavi votum castitatis in materiâ gravi.* Sic enim nec prior Confessarius rationem sacrilegii intelliget; nec posterior totam ejus gravitatem. Pariter meliùs erit ut qui 100. furatus, ex oblivione 50. tantùm accusavit, in sequenti confessione totum peccatum exprimat; præsertim si rei ablatæ dominus in iram longè majorem exarserit, plus subierit damni, &c.

Dixi 1mo. in Conclusione *oblivio inculpata*; si quis enim defe-

defectu examinis idonei letiferum quid omiserit, nulla erit confessio ejus, nisi oblivio vel negligentia venialis fuerit, quod etsi fieri absolutè potest, non est facilè præsumendum.

Dixi 2do. *ignorantia invincibilis*, quæ enim vincibilis est, licèt non sit crassa. nec à sacrilegio, nec ab iterandâ confessione excusat, si res apud alium Confessorem agitur. Ut autem judicetur, an vincibilis fuerit ignorantia hæc; videndum 1mo. an instructionib9 defuerit culpa suâ. 2do. an saltem lectione, vel aliter, jacturam hanc resarcire non potuerit. 3tio. an confitendo sic esset affectus, ut peccatū quod tacuit, aperiret, si scivisset aperiendum? ánnon paria vel etiam graviora deposuerit, &c. Tunc enim peccati suppresio in ignorantiam invincibilem, vel oblivionem inculpatam refundi poterit. Verùm ignorantia hæc præsumi non debet in gravibus quibusdam peccatis, ut est *pollutio*. Et verò qui peccatum illud siluit, vel ei etiamnum adhærebat, vel ab ejus consuetudine resipuerat. Si I. quis hominem in gravi juris naturalis principio cæcum, veniam à Deo promeruisse tam certò confidat, ut eum ab iterandis confessionibus eximere ausit? Si II. ergo suspicabatur aliquid esse in actione hâc suâ inordinati: Sed qui actionis suæ malum suspicatur, reus est si gradum mali non inquirat ab iis quibus lepram inter & lepram discernere incumbit.

Conclusio II. Excusat etiam ab integritate confessionis actualis impotentia vel imminens seu ex parte Pœnitentis, seu ex parte Confessarii.

Prob. quia confessionis integritatem prædictis in casibus omitti jubet æqui ac recti ratio.

Hinc absolvi debet Pænitens, licèt necdum integrè confessus. 1mo. cùm vereri est nè in amentiam vel phrænesim incidat. 2do. cum, quia mutus, surdus, balbusve, vel penè imperitus linguæ omnia ad amussim confiteri non potest. His enim, cùm id quod possunt confessi fuerint, *impertienda est absolutio, non in mortis periculo tantùm, sed etiam quando præceptum confessionis obligat.* 3tio. cum in ipso confessionis actu ingruit periculum mortis. 4to. cùm gravi laborans infirmitate candidè fatetur superasse alia quæ confitenda sint, sed ultrà ob defatigationem, non posse prosequi. Neque tunc scrupulosè differenda est absolutio, etsi æger in alteram diem supervivere posse videatur; nè mortuus reperiatur. qui sperabatur audiendus. 5to. cum tempore pestis, instantis naufragii, prælii, non possunt integræ multorum confessiones excipi; tunc enim vel distincti cujuspiam peccati confessio ab unoquoque excipienda est, idque stricti

est,

est, juris si fieri possit; vel omnes si urgeat tempus, confessionem simul & dolorem per exteriora signa, ut pectoris percussionem, exhibere debent; túncque præmissâ, prout poterit, vividâ & brevi ad contritionem, exhortatione sub hâc absolventur formâ: *Ego vos absolvo à censuris & peccatis.*

Sed & excusat etiam impotentia quæ ex parte Confessarii imminet. Unde necdum integrè confessis impertinenda est absolutio, 1mo. cùm Pœnitens simul & Confessarius, qui unus præsto est, æquè ad interitum vergunt, adeò ut vereri sit nè Sacerdos linguæ usum amittat, priusquàm absolvi possit Pœnitens, si omnia confiteatur. 2do. cùm Sacerdos Pœnitentem lue v. g. infectum, *etiam eminùs absque evidenti mortis periculo*, diutiùs audire non potest: tunc enim auditis aliquibus *potest ipsum pacificare & absolvere.*

CONCL. III. Excusat ab integritate confessionis justa formido damni gravis, seu spiritualis, seu temporalis, inde proventuri Confessario, vel Pœnitenti, vel alii tertio.

Prob. tum quia positivæ leges cum tanto damno non obligant; tum quia ubi duo concurrunt præcepta quæ simul servari non possunt, illud præferendum est, quod antiquius est, & fortius. Atqui charitatis præceptum antiquius est & fortius præcepto integræ confessionis: aliunde jubet charitas grave averti damnum, seu à nobis, seu à Pœnitente, seu à tertio.

Hinc 1mo. si *Confessario*, quia diutiùs acturo cum Pœnitente, immineat grave periculum gravis morbi, perpetuæ captivitatis, mutilationis, &c. poterit is Pœnitentem non integrè auditum absolvere, si id postulet justa causa, qualis est necessitas muniendi se adversùs tentationem molestissimam, arcendi à se iniquam suspicionem.

Hinc 2do. immunis est ab integritate *Pœnitens*, si ex illâ grave sibi malum vel peccatum vereatur, ut 1mo. nè Sacerdos confessionem suam revelet: nè grave ejus odium incurrat; nè deinceps necessariis ad victum aut vestitum privetur; nè occasione confessionis suæ ad turpia sollicitetur; quia id sciat aliis jam contigisse. 2do. cùm justè timet, nè præ summâ suâ fragilitate novum carnalibus peccatis consensum præbeat, si diutiùs eorum examini immoretur: tunc enim his leviùs insistendum, tùm à Pænitente, tum à Confessario: nè Sacramentum ad reparandam vitam institutum, fiat novæ mortis occasio.

Hinc 3tio. mutilari potest confessio, si ex ejus integritate impendeat *alieni tertio* damnum notabile. Unde Sacerdos qui peccatum suum pandere nequit, nisi auditum in confessione alterius Confessario noti peccatum declaret, suum illud silentio

tio præmere debet. Idem eſt de Pœnitente, qui ſi complicem ſuum manifeſtet, prout ad proprii ſui ſceleris integram confeſsionem tenetur, gravis eidem cauſa foret detrimenti: quod quidem cum aliquâ exceptione intelligendum eſt, ut paulò poſt liquebit.

Circâ hæc notand. quòd ut peccatum aliquod reticeri poſſit, quatuor hæc concurrere debent 1mo. ut & grave ſit malum quod timetur, & non fictitiâ, ſed certa moraliter de causâ timeatur. 2do. ut deſit Confeſſarius alter, cui rem totam ſecurè aperire valeas. 3tio. ut confeſsio in aliud tempus commodè differri non poſsit; putà quia Miſſa vel communio ſinè gravi ſcandalo hâc die omitti nequeat; vel quis mortali gravatus, multo tempore à confeſsione & Euchariſtiâ abſtinere deberet: 4to. Solum id reticeri debere peccatum, cujus confeſſio periculum habet. Unde qui juſtam habet exterioris peccati celandi cauſam, actum interiorem, ſi tutò poteſt, aperire tenetur. Interim ei qui peccatum aliquod juſtâ de causâ tacere poteſt; cavendum nè ad confefsionem, ac multò minùs ad Euchariſtiam accedat, ſi jure dubitet an non ei peccato adhæreat Unde dimidiatæ confeſsionis doctrina nuſquam iis prodeſſe poteſt, qui in habitu peccati verſantur, & raro iis, qui necdum à proxima ejus occaſione, quantùm ſatis eſt, receſſerunt.

Ceterùm Pænitens unius tantùm, quod celare debet, peccati mortalis conſcius, venialia quæ cùm illo habet, vel mortalia quæ aliàs depoſuit peccata confiteri tenetur; ut ab iſtis directè abſolutus, indirectè autem à peccato quod reticuit, ſecurè ad communionem accedat.

Conclusio IV. Non excuſat a confeſsionis integritate frequens populi concurſus in die ſolemni: licèt ex integrâ priorum Pœnitentium confeſsione futurum ſit, ut multi Sacramentis & indulgentiâ Feſto annexâ priventur.

Prob. 1mo. ex cenſurâ Innoc. XI. an. 1679. latâ adverſùs hanc theſim n. 59. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſûs Pænitentium, qualis* v. g. *poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis vel indulgentiæ;* quæ propoſitio, teſte Clero Gallic. an. 1700. *falſa eſt, temeraria, in errorem inducit, ſacrilegiis favet,* &c.

Prob. 2do. quia poſitâ hâc opinione parem ſacrilegii reatum incurrerent Sacerdos & Pœnitens. Sacerdos enim nec tutò de Pœnitentis ſtatu judicare, nec opportuna eidem ad præcavendos lapſus remèdia largiri, nec fortaſsis indignum à ſacrâ Mensâ arcere poſſet. Pœnitens verò apertum ſibi oſtium libenter ſubiens, ultimâ præſertim Paſchalis Quindenæ die, ubi ingens

ingens est Fidelium concursus, vix examinatus, leviter confessus, indignus demùm, ad sacram synaxim accederet. Inde autem quot sacrilegia!

Obj. Licitum est confessionem dimidiare, ut vitetur grave proximi, vel sui damnum. Atqui indulgentiæ plenariæ, imò communionis jactura, grave est damnum. R. neg. min. 1mo. enim non habetur pro gravi damno, quod post aliquot hebdomadas reparari potest. 2do. Quot loco indulgentiæ novam sibi damnationem acquirerent? an ut incertam gratiam uni procuret Ecclesia, plurium perniciem patienter feret? 3tio. Imputet sibi damnum suum, qui pridie confiteri valens, in crastinum distulit.

Conclusio V. Necessaria complicis apud Confessarium infamia non excusat ab integritate confessionis.

Prob. 1mo. ex S. Thomâ opusc. 12. q. 6. ubi hæc; *Si* Pœnitens *speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum quâ peccavit, putà si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimat personam. Sed, si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam penitùs non cognoscat.* Idem docent SS. Bonaventura, Antoninus, &c.

Prob. 2do. tantùm vel plus habeo juris ad servandam famam meam, quàm habeat alter ut servem famam ejus præsertim cum is jure suo cessit. Atqui teneor ego occultum meum crimen cum infamiâ meâ confiteri. Ergo & crimen complicis, cum quâdam ejus infamiâ; præsertim quia is, cùm sciret peccatum hoc à mè detectum iri Confessario, neque sinè complicis manifestatione detegi posse; in aliqualem hanc suî infamiam interpretativè consensit; prout & in meam ex parte ipsius consensi.

Dixi *infamiæ necessaria*, id est quæ vitari nequit sinè incommodo, putà quia difficile sit ad Confessorem alium recurrere; seu quia is longiùs distet, seu quia ordinarius Director nonisi ægrè mutari possit, quia perplexum Pœnitentis statum, ejúsque ad Deum conducendi artem apprimè intelligit. Idem est si diutiùs remanendum sit in statu peccati, quia nonnisi diu post dabit se alterius Confessarii occasio. Porrò incommodi gravitas ex gravitate criminis utcumque metienda est. Plus enim efficere debeo nè meum cum sorore incestum detegam Parocho, quàm nè libidinosum assentientis consanguineæ amplexum revelem. Unde nihil in priori casu esse videntur duæ vel tres itineris leucæ, homini presertim vegeto: multùm verò erunt in casu posteriori. Si tamen Pœnitentium alter præ infirmitate ad ali-

um Confessarium recurrere non possit, non erit cur alter extranei Sacerdotis ministerium inquirat.

Obj. Non tenetur quis, nisi forte in mortis articulo, per interpretem confiteri, nè se ipsum infamet ergo nec tenetur certum aperire peccatum, nè infamet complicem. R. 1mo. in rebus magni momenti non esse ex incertis argumentandum; nè per geminatas paritates, quæ semper in aliquo deficiunt, licèt non semper ostendi possit defectus, eò tandem deveniatur, ut in dubium vocentur certiora. R. 2do. nego rationem antec. qui enim negant teneri quempiam ad confitendum per interpretem, non recurrunt ad nudum infamiæ periculum; sed quia sic instituta est confessio, ut soli Sacerdoti necessariò facienda sit; licèt eorum uni vel pluribus ex humilitate fieri queat. Ergo cùm etiam sic instituta fuerit confessio, ut integrè fieri debeat, nisi gravia quædam obstent, de quibus supra, declaranda est complicis persona, cùm id exigit integritas confessionis.

Q. an etiam aperiendum sit crimen cum infamia non complicis. v. g. occidit quis sororem suam, ex crimine gravidam: Personam norat Confessarius, crimen non norat: an rem totam aperire tenebitur sororicida? R. 1mo. in hoc casu, majori incommodo quærendam, vel etiam cum aliquâ sui famâ expectandum esse ad aliquod tempus Confessarium, cui prorsùs ignotæ sint personæ, quæ criminis tantùm objecta fuerint, non complices: quia non complex nè interpretativè quidem consensit in infamiæ suæ manifestationem. R. 2do. detegendam esse alterius, seu innocentis seu nocentis infamiam; cùm alioqui totum Pœnitentis crimen non satis aperiri valet. Hæc enim infamia aperiri debet, si inculpatè potest. Atqui reipsâ potest aperiri. Quia licet alterius peccatum aliis gravi de causâ revelare, putà ad consilium capiendum, ad vitandum grave animi vel corporis detrimentum. Sic v. g. licet hero secretum domestici furtum, & Parocho vel Superiori gravem inferioris culpam ad ejus emendationem revelare. Porrò quæ in his casibus militant rationes, militant in præsenti. Exigit enim grave mei commodum, & sacramentalis judicii perfectio, ut id omnes in confessione revelem, quo secluso, nec animæ pacem adipisci valeam; nec Sacerdos certum de statu meo judicium ferre possit. Præsertim cùm revelatio hæc nullam veri nominis infamiam pariat. Esto enim gravidam nuntiem, quæ pro virgine sanctâ habebatur; quid tum? Lugebit vir sapiens humanam fragilitatem: imò judicium suspendet; an oppressa fuerit, an præstigiis delusa, &c.

Q. 2do. an etiam liceat Reum detegere, seu ad propriam suam, seu ad Rei ipsius utilitatem. R. 1mo. id licitum esse ad propriam Pœnitentis utilitatem, putà ut puella contra importunas sollicitationes obfirmetur, vel ipse seductor revocetur à malo proposito. Hinc à Pio V. præceptum est, ut denuntientur Confessarii ad turpia sollicitantes: quæ lex, ut positiva, non viget, in Galliis; ubi autem viget, penderandum id Augustin. Serm. 151. *Quamvis vera sint quædam, non tamen Judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.* R. 2do. licet etiam peccatum, quod aliter corrigi nequeat, detegere ad Rei emendationem. Favet id tum Christi, *Dic Ecclesiæ*; tum Aug. Serm. 392. c. 4. *Nolite Christianæ mulieres) viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico Judices publicos*, &c.

Sed hîc cavendum 1mo. Nè Fideles sigillum confessionis à Ministro violatum suspicentur; quod malum tanti est, ut ei quodcumque Pœnitentis vel Rei bonum cedere debeat: 2do. nè locus detur fictis confessionibus ab calumniis, quibus perditi nonnulli viros probos quandoque religionis obtentu impetunt. Unde responsionis nostræ usus pendet à circumstantiis.

An absolvi possit moribundus, qui vel nullatenùs, vel integrè non confitetur.

Moribundus vel quædam apud Confessarium deposuit peccata, vel nulla, quia vox antè Sacerdotis adventum defecit. Si nulla, vel quemdam de peccatis dolorem exhibet per signa, vel non. Si non, vel Confessarium petiit, vel petere omisit. Si omisit, vel Christianam agebat vitam, Sacrum & identidem Sacramenta frequentando: vel dubiæ erat aut ignotæ fidei. Sit.

Conclusio I. Debet absolvi moribundus, qui vel quædam tantùm Peccata, vel nulla in specie confiteri valens; in genere solùm declarat se peccasse; aut præsente vel absente Ministro, quædam dat Pœnitentiæ signa in ordine ad absolutionem

Prob. 1. & 2. pars, 1mo. ex communi Doctorum consensu; 2do. praxi Ecclesiæ; 3tio. quia moribundus, qui solùm peccata quædam, vel omnia in genere declarat, confessionis legem adimplet, quantùm nunc potest: Qui autem quod potest præstat, ad ampliùs non tenetur. Etsi sæpiùs ingemere debet, quod neglexerit suo tempore confiteri.

Prob. 3. pars, 2do. ex Conc. Carthag. IV. an. 398. Con. 76. Ubi hæc: *Qui Pænitentiam in infirmitate petit; si casu,*

dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. 2do. ex S. Leone, qui idem statuit Epist. 83. 3tio. ex Rituali Rom. ibid.: *Si inter confitendum, vel etiam antequàm incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel ingenere vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive alios ostenderit, absolvendus est.* Ubi opinio nostra tam apertè traditur, ut temeritatis notam non effugiat, qui contra ire ausit. Imò caritatem, & justitiam, læderet qui hanc non sequeretur in praxi, vel eò solo quòd non sit certò falsa & ideo prodesse possit, non obesse.

Obj. 1mo. contra 2. & 3. part. In eo qui Confessarium expetiit, nihil aliud est quàm voluntas confitendi. Atqui hæc non sufficit. R. neg. maj. Est enim præter confitendi desiderium actualis quædam per interpretem confessio, qualis hic & nunc haberi potest. Est etiam quædam accusatio; Petere enim Confessarium, aut dicere quod velis confiteri, est te peccati accusare: Hæc autem accusatio, imperfecta licèt, sufficit cùm non aliam permittit necessitas. Neque tunc judicat Sacerdos incognitâ causâ: quia in hoc casu non tantum rescit hominem hunc peccasse, sed & per alios rescit eundem dolere de peccato. Ergo quamvis judicet ex causâ non cognitâ distinctè non tamen ex causâ prorsùs incognitâ. Debent tamen peccata hæc, si deinceps fieri possit, distinctè accusari, non defectu absolutionis directæ, sed quia ex Christi mandato singula reorum delicta judici, cùm licet, innotescere debent.

Obj. 2do. non potest quis absolvi, nisi aliquo signo constet eum absolvi velle. Atqui non constat id ex moribundi signis. Hæc enim tam contritionem, quàm desiderium absolutionis indicare possunt: unde à Lutetano adhiberentur. R. neg. maj. quia ut quis absolvi valeat satis est, ut quamvis certò non constet merito tamen conjiciatur eum velle absolvi. Id autem jure de Catholicis omnibus præsumitur; quia hæc communis eorum in tentio esse solet. Si tamen verè æquivoca sint moribundi signa, erit is conditionatè tantùm absolvendus.

Obj. 3tio. Confessio absente Sacerdote facta per nutus, non fit apud Sacerdotem, sed apud Laïcos, qui nutuum testes sunt. R. neg. ant. nam fit quidem immediatè apud Laïcos, sed ut ab eis ad Sacerdotem deferenda. Ab hoc enim, non à Laïcis petitur absolutio: ad eum porrò diriguntur signa, à quo petimus absolvi.

Inst.

Inst. Confessio à Laïcis deferenda ad Sacerdotem, fit absenti. Atqui Clemens VIII. reprobavit confessiones absenti factas. R. neg. maj. confessio enim quæ moraliter perseverat coram ipso Sacerdote, non fit absenti: talis autem est ea de quâ nunc loquimur. Unde declaravit Bellarmino Clemens VIII. se casum hunc Decreto suo complecti noluisse. De quo infrà,

Hìc not. 1mo. sufficere unum testem, qui etiam ab alio didicerit, moribundum Sacerdotis opem voce aut signis implorasse; quia uni creditur, cùm id in tertii præjudicium non cedit. Imò sufficeret testimonium infidelis vel heretici, nisi uterque, quod rarum est, præsumi posset Sacramento illudere velle. 2do. sufficere etiam dubia signa, ut si visus fit Catholicus æger pectus tundere, oculos tollere in cælum: Quia in his angustiis præsumitur quisque animæ suæ salutem meditari,

CONCLUSIO II. Debet etiam absolvi moribundus, qui Christianam professus est Religionem, etsi nulla ante vel post Sacerdotis adventum, exhibuerit signa contritionis. Ità contra graves multos multi graves, ut Salmeron, Morinus, Merbesius, Genetus, & alii quos 40. plures refert ac sequitur Henricus à S. Ignat. adeò ut mirum sit opinionem hanc à Goneto *improbabilem* dici,

Prob. 1mo. ex August. L. 1. de adult conjugis C. 26. ubi sic. *Cathecumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt; ut petere sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis quòd eorum in fide Christianâ jam nota voluntas est, ut eo modo baptisentur quomodo baptisantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas: patuit Non tamen damnare debemus eos qui timidiùs agunt. Sed non solùm incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptisari Cathecumenum velle: verùm etiamsi voluntas ejus incerta est, multò satiùs est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sinè quibus jam credidit se non oportere de corpore exire* Porrò aït S. Doctor cap, 28. *Quæ baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè Pænitentem finienda vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hâc vitâ sinè archa, suæ pacis exire, velle debet mater Ecclesia.* Unde sic: ex August. eadem est reconciliationis dandæ causa, quæ Baptismi. Atqui ex eod. August. debet conferri Baptismus Cathecumeno, qui nec Baptismum petit actu, nec petiit, cùm irrupit morbus. Huc enim tendunt omnia S. Doctoris momenta. ut quòd *prosit* hujusmodi Cathecumenis *eorum in fide Christianâ jam nota voluntas*; quòd *incredibile*

bile ſit *Cathecumenum* ne quidem *in fine vitæ; baptiſari velle* quòd ſuppoſitâ hujus voluntatis incertitudine, *multò ſatius eſt nolenti dare, quàm volenti negare*, quòd demum Cathecumenus ille eo fermè modo ſit baptiſandus, *quo baptiſantur infantes quorum nulla adhuc voluntas patuit.* Ergo S. Doctor de iis tum Cathecumenis, tum & Pœnitentibus loquitur, qui ſuum ſeu Baptiſmi, ſeu reconciliationis deſiderium nullo alio ſigno manifeſtarunt, quàm ipsâa Cathecumenatûs, vel Pænitentiæ profeſſione. Atqui quod utriuſque eràt profeſſio illa, hoc eſt fideli Chriſtianæ Religionis profeſſio. Ergo ut Cathecumenus vel Pœnitens ex ipſo ſuo ſtatu præſumitur velle Baptiſmum aut rèconciliationem; ſic & præſumitur homo Catholicam Fidem profeſſus, abſolutionem intendere.

Prob. 2do. ex Sacerdotali Romano Venetiis edito an 1560. ubi hæc leguntur, quaſi ex S. Antonino deprompta. *Talis infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, putâ quia phreneticus, aut non. In primo caſu, ſi bene vivebat ut bonus Fidelis, & frequentabat confeſſionem & communionem & hujuſmodi,* QUAMVIS NON PETIERIT SACRAMENTA, *quia ex inſperato talia acciderunt; vel etiamſi malus & obſtinatus diù perſeverans in peccatis eſt, & diù non confeſſus, ſi petiit Sacerdotem ut confiteretur, & periculum eſt in morâ, debet præſupponi contritus; & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententiâ & peccato; & poteſt injungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus aut conſangvineis pro ejus animâ, ſi volunt acceptare. Deinde debet dari ei Euchariſtia, quamvis non ſit confeſſus* in ſpecie. Atqui Sacerdotale hoc, licèt in nonnullis eguerit correctione, numquam tamen in præſenti materiâ emendatum eſt. Imò Gregorius XV. dum eſſet Bononienſis Archi-Epiſcopus id à Sacerdotibus ſuis in praxi teneri voluit; & factus Rom. Pontifex, ut anteâ teneri permiſit.

Prob. 3tio. ex Statutis Lemovicenſis Eccleſiæ editis in Synodo an. 1620. cui interfuêre Doctores 12. Abbates 11. Decani 3. &c. Hæc porrò ſic habent C. 21. *Poterit idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petitâ Pænitentià,* NULLÓQUE CONTRITIONIS SIGNO EDITO, *cùm violentiâ morbi judicatur de repentè oppreſſus, & Chriſtianè vixit, ferique poteſt judicium ex actionibus vitæ & moribus, eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus & violentia morbi permiſiſſent. Licèt in hoc caſu nihil de abſolutionis effectu promittere poſſint. Sed animarum ſalvandarum causâ nullum remedium omittere debemus.* Hic theſis noſtra diſertè continetur.

Prob.

Prob. 4to. Licet in extremis dubiâ uti materiâ, cum certâ haberi non potest. Sed in præsenti casu suppetit materia dubia. Ad id enim sufficit ut viri omnimodè graves dubitent annon vita præterita moribundi hujus sit confessio quædam sufficiens, cùm distinctior alia haberi non potest Atqui de hoc ad minus, dubitarunt August. Antoninus aliíque viri scientiâ & pietate insignes. Eadem fuit Universitatis totius Lovaniensis sententia; eàmque probabilem censet Univresitas Viennensis. Ergo redargui non potest qui eam practicè sequitur; quíque dubitat annon moribundi gemitus, intuitus, corporei motus, sint signa quibus is absolutionis desiderium indicare velit. Sic enim non semel contigisse narrant complures. Quin & audivi, aliquem edito per minorem pedis digitum motu, contritionem suam, testificari voluisse; nec tamen fuisse absolutum, quia motus ille à nullo perciperetur. Sed quidni supponatur pluries contingere, quod semel evenit.

Obj. 1mo. Ad Sacramentum requiritur materia sensibilis & præcipuè confessio. Atqui in proposito casu nulla est confessio. Confessio enim est accusatio sui ad absolutionem ordinata. Hæc autem deest in præsenti. Ubi enim deest quodcumque signum exterius, ibi nulla est accusatio. R. 1mo. dist. maj. Ad Sacramentum requiritur confessio ex opinione, probabiliori quidem, sed nondum definitâ, C. requiritur confessio, tam certò ut contrarium teneri non possit; N. Aliam enim Pœnitentiæ materiam assignat tota Scotistarum Academia. Absit autem ut propter Scholæ dissidia dimittatur sinè absolutione, qui ex ejus defectu in æternum perire possit. R. 2do. neg. min. etsi enim in illo casu non occurrit accusatio expressa, occurrit tamen implicita; quæ sicut, juxtà adversarios, satìs habetur in externo voluntatis confitendi signo quod Pœnitens absente Confessario dedit; sic & juxta Rom. Ecclesiæ sensum, satìs habetur in vitâ Christianâ quam duxit moribundus: cùm qui Christianè vixit, non minùs Confessarii opem instante obitu implorare censeatur, quàm qui id nutu aliquo, sæpè æquivoco, visus est aperire. Adde quòd in rebus tanti momenti meritò præsumitur, quædam à Pœnitente dari signa, quæ percipere non possit Confessarius. Hinc.

Ad 2. & 3. neg. min. ipsa enim vita Christianè acta non incertum est volitæ absolutionis signum, motus verò, suspiria, &c. ejusdem signa sunt incerta. Unde *Gabriel à Vincentio narrat se reprehensum fuisse à moribundo, quem repentino morbo correptum, inabsolutum dimiserat, quòd in ipso doloris petitæque confessionis signa non videret. Qui ad se rever-*

sus asseveranter dixit, se signa pro posse èxhibuisse; quodque proinde debebat ipsum absolvere. Addens, quòd si tunc mortuus fuisset, ob defectum absolutionis de suâ desperabat salute. A quo die idem Gabriel pristinam, mutavit sententiam nostram amplexus, precatúrque lectorem ut & ipse nostram in praxi sequatur. Id & nos obsecramus.

Inst. 1mo. Velle confiteri non est actu cofiteri: sicut velle contritionem non est actu conteri. Atqui in præsenti casu moribundus ad summum vult confiteri. R. neg. maj Velle enim confiteri, prout hîc sumitur, est nunc velle absolvi à peccatis, quæ quomodò possunt, declaramur. Atqui volitio hæc quoddam est tacitæ confessionis genus: quod nisì sufficiat, nè is quidem absolvi poterit, qui sola exhibet doloris signa.

Inst. 2do. Pia hæc volitæ confessionis præsumptio nonnisi in extremâ necessitate ad dandam absolutionem sufficit. Atqui moribundus non est in eo casu: vel etiam bene dispositus est vel non. Si 1. ipsi succurri potest per Extr. Unctionem. Si 2. inutilis erit absolutio. R. neg. min. nec noc. objectum dilemma: quia Extr. Unctionis efficacia, mera est Scholæ disceptatio, cuï æterna hominis salus nonnisi imprudenter alligari potest. Sicut ergo ad sanitatem corporis geminantur remedia, ut uno deficiente aliud prosit, sic in casu nostro faciendum: cùm Sacramenta in hominum gratiam instituta sint.

Obj. 2do. Facultas Parisiensis an. 1605. hanc proscripsit Guimenii propositionem: *Talis infirmus, qui amisit loquelam vel usum rationis, si benè vivebat ut bonus & fidelis, & frequentabat confessionem & communionem,* &c. ut suprà. Atqui his verbis expressum proscribitur Romani Sacerdotalis opinio, quæ opinionis nostræ non leve fundamentum est. R. 1mo. Hanc Sacræ Facultatis censuram eodem an. die Junii 25. Romæ improbatam esse: licèt ceteroqui Amadii doctrinam non approbaret Sedes Apostolica. R. 2do. duo in adductâ propositione contineri, nempè 1mo. moribundum fidelem, omni destitutum rationis usu, esse absolvendum; 2do. hunc absolvendum esse, eò quòd *præsupponi debeat contritus;* quia aïebat Guimenius, *rarissimè evenit, ut tam citò sensibus quis, dum actu peccat, destituatur; ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.* Porrò meritò statuit S. Facultas, *doctrinam hujus propositionis universim & absolutè sumptam esse periculosam in praxi;* 1mo. quia Autor hæc expungens Sacerdotalis verba, *si periculum est in mora,* præcipitandæ absolutioni locum dabat; 2do. quia admissa ab

Autore

Autore laxiori suppositio contritionis in eo etiam, qui *dum actu peccat*, sensibus destituitur, eò generatim tendit, ut cuicumque peccatori, etiam in duello, alióve scelere letaliter vulnerato laxetur absolutio: quod periculosum est. At nusquam intendit *S.* Facultas opinionem nostram sano intellectam sensu reprobare, cùm, ut Episcopi, sic & Theologi Parisienses aliud alii, de præsenti quæstione opinentur; solumque in eo consentiant, negandam esse absolutionem & Unctionem-Extr. homini in ipso actu criminis, duello v. g. vel ebrietate, sensibus destituto.

Cᴏɴᴄʟᴜsɪᴏ III. Neque etiam redarguere ausim, si quis moribundum in Catholicâ Regione inventum conditionatè absolvat, etsi nulla per se vel per testes dederit Pœnitentiæ signa, modò nec impœnitens appareat, nec in flagranti delicto deprehensus sit.

Prob. Ut moribundus iste prudenter absolvatur, duo sufficiunt, 1mo. ut nulla fiat Sacramento injuria; 2do. ut non omninò constet hominem hunc indignum esse qui absolvatur. Atqui 1mo. nulla fit Sacramento injuria; cùm hæc per appositam conditionem tollatur in Pœnitentiâ, sicut quotidie in Baptismo. 2do. Nec certò constat moribundum hunc prorsùs indignum esse qui absolvatur. Cùm, etsi nè quidem rationis compos videatur, fieri possit, non tantùm ut intùs doleat de peccatis, sed quod ipsis Thomistis sufficere debet, ut aliquod doloris sui signum exhibeat, mihi quidem impervium, sed tamen sensibile, putà per suspiria, aliósve corporis motus. Id enim si nòn semel notis Catholicis contigit, potest & ignoto contingere. Ergo qui eum absolvet, caritatis & officii sui partes implebit. Id autem quis à Deo puniendum credat?

Addunt aliqui, quòd ut moribundus ille tutò absolvatur, sufficiat ut è centum hominum millibus qui in eo misero casu versantur, sit vel unus, cuï absolutio tum data pròdesse valeat. Id autem fieri posse quis negaverit?

Tunc equidem danda erit absolutio, non solùm sub conditione facti, qualis est gemina hæc, *si vivis, si es baptisatus*; sed sub hâc juris conditione, *si sis dispositus*. At in eo nihil est absurdi. Sit enim qui Sacerdotem vocet, ut moribundo ad Turcæ latus posito, & reconciliationem flagitanti, Pænitentiam administret. Currat Sacerdos, & utrumque inveniat extremos agentem spiritus; nec unum ab alio secernere possit: unum id manet, ut ne uni desit, circà utrumque hæc proferat verba: *si sis dispositus*, vel, quod in idem redit, *Si Ecclesiæ opem efflagites, ego te absolvo.*

An autem conditio, quando formæ apponi debet, ore exprimi possit aut debeat, dissentiunt Theologi. Non ægrè crediderim, 1mo. conditionis hujus expressionem nihil nocere valori absolutionis: 2do. eam non esse necessariam; tum quia nullibi præcipitur; tum quia licèt plurium dispositio dubia sit, cùm instante naufragio vel pugnâ datur absolutio, hæc tamen citrà conditionem datur; 3tio. posse eam sinè peccato verbis exprimi; cùm è tot Theologis, qui ejus expressionem in Italiâ, Hispaniis & alibi commendant, nè unus quidem hinc temeritatis probrum incurrerit. Certè istud: *Si sis dispositus*, non magis formâ mutat, quàm istud, *Si vivis* quod tamen vix quisquam negat addi posse.

An majores Ecclesiæ absolutionem olim negaverint certorum criminum reis, expendimus Tom. XI. fusioris nostræ Theologiæ.

An Confessio necessariò sit facienda præsenti.

Constat 1mo. non esse absolutè necessarium ut confessio fiat voce: 1mo. quia Christus tantùm intendit ut pêccata Sacerdoti cum dolore declarentur; quod per scripturam & nutus satis præstari potest: 2do. quia ea est Ecclesiæ praxis ut mutos qui sufficienter instructi videntur, per signa confitentes absolvat. Unde Florentinum *oris* confessionem requirendo, nihil aliud intelligit qnàm externam peccati manifestationem, quæ quia ore fieri consuevit, *oris* vocitatur.

Constat 2do. non modò licitam esse confessionem nutibus vel scripto factam, sed necessarium prorsùs, cùm quis aliter confiteri nequit, quia *Quando non possumus uno modo, debemus secundùm quod possumus confiteri.*

Constat 3tio. graviter peccare, ideóque invalidè confiteri, qui extrâ casum physicæ vel moralis impotentiæ, scripto aut nutibus, non autem voce confitetur. Quia usus voce confitendi, & in Ecclesiâ universalis est, & gravibus de causis inductus fuit; nempe 1mo. ne erubescat peccatum confiteri, qui non erubuit Deum offendere, & plerúmque de peccato gloriari; 2do. quia ipse vocis sonus dispositionem Pœnitentis indicat, quod scriptura muta præstare non potest.

Ab eâ tamen praxi excusat impotentia, cùm *physica*, qualis occurrit in mutis, iisve qui præ morbi gravitate usu vocis destituti sunt; tum *moralis*, ut si æger oppressò pectore nonnisi ægrè loqui possit; si unus qui præstò est Confessarius, quia ipse, vel Pœnitens surdaster sit, non possit in Xenodòchio v. g. confessionem excipere, quin Pœnitens ab aliis

audia-

audiatur, audirive meritò formidet. Tunc autem longè melius est & tutius, ut postquam confessionem legerit Sacerdos, Pœnitens hæc saltèm verba addat, si potest: *Peto ab his absolutionem.*

His præsuppositis, quæritur an sicut confessio absolutê fieri potest in scriptis, sic & fieri possit absenti, seu licitè, seu etiam validè. sit

CONCLUSIO I. Spectatâ rei naturâ ad minimùm dubia est validitas confessionis per litteras factæ absenti, & in absentiâ absolventi.

Prob. 1mo. ex S. Thomâ in 4. d. 17. q. 2. ubi docet *in extremâ necessitate utilius esse confiteri Laïco præsenti, quàm Sacerdoti absenti.* Atqui contrà se res haberent, si valeret confessio absenti facta.

Prob. 2do. Vetuit Clemens VIII. nè opinio quæ absolutionem absentis ab absente ratam habet, ullo casu teneatur tanquam probabilis. Atqui si absolutio hæc ex naturâ rei valida esset, imò si verè dubia, posset saltèm in extremæ necessitatis casu teneri; putâ quoad inclusos in carcere, mortique destinatos, qui casus in Angliâ frequens est. Ergo.

Obj. 1mo. Si absolutio absenti ab absente data per se invalida sit, vel ex ratione Sacramenti ut sic, vel ex propriâ hujus Sacramenti conditione. Neutrum dici potest. Non 1. Matrimonium enim inter absentes validê contrahitur. Non 2. Pœnitentia enim nihil aliud est quàm judicium: porrò judicium, causâ cognitâ, in absentem ferri potest. R. neg. min. & dico absolutionis hujus nullitatem oriri ex naturâ Pœnitentiæ, qualis à Christo instituta est: nec enim vel deessent certa & plura hujusmodi confessionum exempla. si eas Ecclesia, saltèm in necessitatis casibus, approbasset; nec easdem post maturum examen proscripsisset S. Sedes, si aliquando potuissent inservire.

Nec obest quòd absens censuris plecti possit, vel in forensi judicio absolvi: Censura enim, utpotè humani juris, ad Ecclesiæ nutum tolli potest, etiam ab invito. Forensia verò judicia à legibus habent, quòd in absentes ferri possit, ut saltèm in effigie vel in bonis mulctentur, qui personæ suæ fugiendo consuluerunt.

Inst. Non magis voces, *Te absolvo*, præsentiam absolvendi requirunt, quàm istæ, *Ego vos conjungo*, maritandi præsentiam exigant. Atqui hoc non, ut patet in matrimonio per Procuratorem contracto. R. neg. maj. 1mo. quia in his quæ ab institutione Christi pendent, non valet argumentum a pari; 2do. quia Christus Matrimonium elevando ad rationem

Sacra-

Sacramenti, non mutavit naturam contractûs: contractus porrò inter absentes iniri valet. Sed de hoc alibi.

Obj. 2do. Constat absolutionem olim datam fuisse absentibus. Sic Serapio ille de quo Eusebius, L. 6. c. 44, per puerum ad se missum Eucharistiam recepit. Atqui vir qui idolis sacrificaverat, Eucharistiam non recepisset, nisi ante recepisset absolutionem. Sic Robertus Cœnomanensis Episcopus, gravi decumbens morbo, à Concilio Duziacensi suppliciter absolutionem expostulavit. His porrò votis annuens Synodus, *Epistolam absolutionis* ad eum remisit, in quâ, aïunt Patres, *Tibi peccata tua confitenti per potestatem, quam Dominus noster tradidit Discipulis, dicens. Accipite Spiritum S.* &c. *dimitttat tibi Deus omnia peccata tua*, &c. Quæ verba sacramentalem absolutionem indicant. R. Morini opinionem ex neutro hoc facto probari. Non ex primo: Etsi enim hodie non datur Eucharistia homini non absoluto sacramentaliter, potuit tamen hæc ad Serapionem inculpatè mitti a Presbytero; tum quia crediderit Pœnitentem qui *sæpe numerò in Ecclesiâ denuò recipi supplex* postulaverat, intensâ suâ contritione justificatum esse; tum quia non dubitavit quin Eucharistia homini verè pœnitenti, etsi nondum forte justificato, gratiam primam largiretur, ut per accidens fieri posse docent Theologi. Et id subindicat qui historiam hanc apud Eusebium refert Dionysius Alex. cùm aït Serapionem *eo usque in vitâ mansisse, donec esset penitùs culpæ vinculis solutus.* Hæc enim innuunt senem illum, non antè solutum à peccatis, quàm Eucharistiam recepisset.

Non ex secundo: ad absolutionem enim verè sacramentalem requiritur distincta peccatornm confessio. Porrò Robertus peccata sua in genere tantùm declaraverat. Ergo quæ ad eum missa est absolutio, non fuit sacramentalis; sed vel canonica, quæ à censuris solveret; vel ceremonialis, qualem dant Episcopi Feriâ V. majoris Hebdomadæ. Nec obest quòd iidem Robertum absolvant potestate sibi à Christo traditâ. Omnis enim quæ Ecclesiæ inest potestas absolvendi etiam extra Sacramentum, his Christi verbis innititur, ut patet tum in absolutione à censuris, quæ sæpè sacramentalis non est; tum in Capitulari Religiosorum absolutione.

Conclusio II. Etsi supponeretur valuisse aliquando datam in scriptis absolutionem, constat eam jam non valere post Decretum Clementis VIII. ubicumque illud receptum fuerit.

Prob. ex celebri Decreto per quod idem Clemens die 20. Junii an. 162. *hanc propositionem, scilicet, Licere per literas seu internuncium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confi-*

confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus falsam, temerariam & scandalosam condemnavit; præcepitque sub pœnâ excommunicationis Rom. Pontifici reservatæ, *nè deinceps ista propositio tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur* Atquî Decretum istud non tantùm illicitam declarat absolutionem datam absenti, sed & prorsùs invalidam. Nam severissimè vetat Clemens VIII. nè opiniò hæc *ullo unquam casu ad praxim deducatur* Id autem pro extremæ necessitatis casu vetare non potuisset, nisi illam absolutionis speciem prorsùs invalidam esse statuisset; cùm in extremis ea etiam quorum dubius est valor, licitè adhiberi possint.

Obj. Æger qui absente Ministro confessionem petiit, validè absolvitur. Atqui is tamen absenti confessus est, eiúsque confessio nonnisì per nuntios ad Sacerdotem defertur. R. neg. min. Cùm enim declaraverit Clemens VIII. confessionem absenti factâ nullo in casu valere; & aliundè præsentem moribundi casum ab eodem Decreto vivâ voce exceperit, ut testatur Bellarminus, necessum est ut vel hæc moribundi confessio non censeatur facta absenti, sed præsenti per testes, qui interpretum vicem gerant; vel ut Clemens VIII. non expenderit an confessio absenti facta, ex ipsâ rei naturâ invalida foret.

Ceterùm Decretum Clementis VIII. non tantùm conjunctivè, sed & disjunctim intelligi debet, prout an 1605. ter declaravit Rom. Inquisitio. Unde jam constat licitè non absolvi vel præsentem qui absens confessus sit per literas, vel absentem qui confessus sit, cùm esset præsens.

Q. quæ Sacerdotis ad Pœnitentem præsentia esse debeat. R. requiri & sufficere moralem; quæ occurrit cùm Sacerdos & Pœnitens non longiùs ab invicem distant, quàm ut possint, per se loquendo, se audire, eâ loquentes voce quâ homines in communi sermone uti solent, imò & aliquantò altiori. Unde non redarguerim si quis carcere inclusus alium è regione adstantem, & elatâ voce vel etiam nutibus, si loqui non possit, confitentem, gravi de causâ absolvat.

De subjecto Confessionis.

CONCLUSIO. Subjectum confessionis est omnis & solus homo baptisatus, usum habens discretionis, sibique peccati post Baptismum admissi conscius.

Prob. Subjectum confessionis est ille omnis & solus, quî Sacramentum Pœnitentiæ vel suscipere necessariò tenetur

vel

vel suscipere utiliter potest: Atqui talis est omnis & solus homo baptisatus, &c. Is enim vel reus est peccati gravis quod nondum clavibus ritè subjecit; & tunc necessariò tenetur confiteri. nisi obstet physica vel moralis impotentia; vel tantùm reus est culpæ certò venialis, & tunc Pœnitentiam utiliter frequentare potest; ut & ii qui gravia peccata jam ritè confessa denuò confitentur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Satisfactione.

IN hoc Capite expendam 1mo. an satisfactio Pœnitentibus cum Deo reconciliandis necessaria sit; 2do. quæ sint ejus conditiones; 3tio. quæ materia; 4to. quando implenda sit, &c.

§. I. *De necessitate Satisfactionis.*

Triplicem in homine graviter peccante reatum admittunt Catholici, *culpæ* scilicet, *pœnæ æternæ*; & quæ post utriúsque hujus remissionem luenda remaneat, *pœnæ temporalis*. Priores duas à Deo gratis & citrà prævium hominis de condigno meritum condonari docent. at tertiam piis æquæ Pœnitentiæ laboribus, quos *satisfactionem* vocant, redimi debere contendunt. Contra verò Pseudoreformati docent 1mo. peccata, remisso culpæ ac pœnæ æternæ reatu, non magis post quàm ante Baptismum satisfactione indigere. 2do. Jejunia, aliáque pietatis opera, ad emendationem morum, ad cautelam in futurum, ad exemplum proximi præstanda esse, non ad vindictam delicti.

Antequàm statuamus cui adhærendum sit parti, videndum quid sit satisfactio humana. De divinâ enim, unde nostra vim suam habet, egimus in Tractatu de Incàrnatione.

Satisfactio in præsenti definitur. Voluntaria pœnæ mitioris toleratio, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, & ad redimendam pœnam graviorem per idem peccatum promeritam. Est 1mo. *toleratio* seu perpessio *pœnæ*, quia ad satisfactionem requiritur opus de se afflictivum: de se, inquam, facit enim unctio S. Spiritûs, ut Christianus in iis quæ ceteroqui affligere nata sunt, gaudio superabundet. Est 2do. *pœnæ mitioris*. Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad passiones in alterâ vitâ præparatas iis qui

antè

antè decedent, quà novissimum quadrantem reddiderint. Est 3tio. *voluntaria*, id est propriâ sponte, vel ex alterius mandato libenter suscepta. Quæ enim coacta foret, satispassio potiùs esset quàm satisfactio. Est 4to. *ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam*. Pœnitentis enim scopus est, ut jus Dei læsum resarciat, non ad æqualitatem strictam quod non potest homo, sed penès aliquam proportionem. Additur 5to. *& ad redimendam pœnam graviorem*, quæ peccatori vel in hâc vitâ imminet, prout expertus est David, vel in alterâ luenda manet.

Hinc patet 1mo satisfactionem discrepare à merito: Meritum enim respicit præmium á remuneratore obtinendum; Satisfactio autem primariò juris alieni reparationem intendit. 2do. Satisfactionem esse actum virtutis justitiæ, quia servat rationem medii, &, quantùm potest, proportionem æqualitatis, quæ ad justitiam spectat.

Satisfactio dividitur 1mo. in sacramentalem, quæ est passio pœnæ à Confessario impositæ; & extrasacramentalem, quæ est passio pœnæ quam quis spontè eligit, vel ab alio extra Sacramentum inflictam lubens recipit: 2do. in publicam, quæ coràm multis subitur; & secretam, quæ sine testibus: 3tio in æquivalentem, & improportionatam. Utraque talis est vel ratione materiæ, ut cùm quis vel tantum, vel minùs reddit quàm debet: vel ratione formæ; & tunc ea dicitur æquivalens, vel perfecta, quæ debiti valorem offert ex propriis, ex indebitis, & adeò plenè, ut creditor contentus esse debeat. Contrà insufficiens est quæ, licèt totum reddat, non tamen ex propriis bonis, aut alio titulo indebitis: unde hujusmodi satisfactio pendet ex pacto, aut donatione, vel acceptatione creditoris.

Jam quæritur 1mo. an temporalis pœna, quæ ex dictis Post culpæ remissionem superest, possit per bona opera redimi: 2do. An redemptio hæc congruè vocetur satisfactio an eadem satisfactio spontè assumenda sit, & in Pœnitentiæ Sacramento per Sacerdotes injungenda. Sit

Conclusio I. Reatus pœnæ temporalis, quæ post recuperatam Dei amicitiam luenda superest, bonis operibus redimi *aliquando* potest.

Prob. 1mo ex Scripturâ. Daniel, c. 4. ait ad Nabudonosor: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Atqui eò loci redimere peccata, idem est ac avertere pœnam à Deo comminatam peccatis, potissimùm autem superbiæ. Præcipuum enim Principis hujus crimen fuit quòd arrogantiùs diceret: *Nonne hæc est Babilon*

magnæ

magna quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ: cum enim *adhuc sermo esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transibit à te.*

Prov. 16. *misericordiâ & veritate redimitur iniquitas.* Atqui tam ad minùs dici potest hominem pro peccatis suis satisfacere, quàm ab eo sua redimi peccata, cùm redemptio non minùs ad justitiam spectat, quàm satisfactio; imò magis quandam æqualitatem sonet.

Prob. 2do. ex Patribus. S. Ambrosius, L. 7. in Luc. *Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, --- sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur.* Atqui ubi peccati pœna satisfactione dissolvitur, sicut debitum accuratâ totius sortis solutione, ibi vera occurrit satisfactio. Idem ad virginem lapsam, c. 8. *Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* S. Hieronymus, Epist. ad Eustochium de obitu sanctæ Paulæ, hanc ità loquentem inducit: *Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussâ & stibio sæpe depinxi: affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu.* En graphicam veræ satisfactionis notionem, nec certè plus requirunt Catholici, qui & utinàm tantum obtinerent. Atqui nec Paula tot jam ab annis insigniter sancta, nec alii passim Christiani qui tam longum decurrebant Pænitentiæ stadium, satisfaciebant pro impetranda simpliciter peccati veniâ, quam ut plurimùm jam assecuti erant. Ergo satisfaciebant pro expungendâ pœnâ, quam peccatis debitam esse noverant. Unde S. Cæsarius Arelat. Serm. 1. de Eleemosynâ: *Si bonis operibus ipsa* venialia *peccata non redimimus, tamdiu in illo Purgatorio moras habebimus, quamdiu supradicta minuta peccata consumantur.* Si autem minuta peccata in hâc vitâ redimi debent, nè in alterâ plectantur, debent à fortiori redimi graviora.

Dixi temporalis pœnæ debitum redimi *aliquando posse.* Deus enim certas aliquando pœnas ità constituit, ut nullatenùs velit eas redimi. Talis est imprimis mors; talis fuit & indicta Davidi pœna his verbis, 2. Reg. 12. *Quia blasphemare fecisti inimicos Domini --- filius qui natus est tibi, morte morietur.*

Concl. II. Opera quibus justi debitam peccatis pœnam redimunt, vera & condigna satisfactio dici possunt, non tamen ad apices justitiæ.

Prob. 1. pars: 1mo. quia ea satisfactio dicitur condigna, quæ rei debitæ æqualis est. Atqui satisfactio nostra temporali, quæ peccatis nostris debita est pœnæ, moraliter æqualis

esse

potest. Poena enim finita per satisfactionem finitam æquari valet. Atqui pœna peccatis nostris post eorum condonationem debita, tantùm finita est, tum in se, tum quoad durationem.

Prob. 2do. Quæ condignam cum aliquo majori proportionem habent, cum minori habere possunt. Atqui bona hominis justi opera condignam habent proportionem cum gloriâ, quæ aliquid est majus, quàm pœnæ temporalis remissio. Ergo. Hinc Trident. sess. 14. can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis; Anathema sit.* Ubi nota quòd in eo textu homo simpliciter & absolutè Deo satisfacere dicitur. Porrò non satisfacit absolutè, nisi qui de condigno satisfacit; sicut non meretur absolutè nisi qui meretur de condigno. Hinc proscripta est hæc Baïi thesis, n. 77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

Prob. 2. pars. Ut satisfactio esset de rigore justitiæ, non modò æqualis esse deberet, sed & esse ex propriis, ex aliàs indebitis, neque tota inniti beneficio creditoris. Atqui eæ conditiones humanis satisfactionib9 desunt; cùm eæ ex bonis Dei præstentur; & fundentur in gratiâ creditoris, qui eas alio quàm satisfactionis titulo exigere posset. Unde tritum id D. Bernardi: *Deus nos onerat, cùm exonerat: onerat enim beneficiis, cùm exonerat peccatis.*

Obj. Vitæ hujus pœnæ, in quibus sita est satisfactio nostra, sunt ordinis improportionati pœnis Purgatorii, quæ peccatis condonatis debentur. Ergo. R. dist. Sunt ordinis inferioris in esse physico, C. in esse moris, N. Esto igitur alterius seculi pœnæ ab hujus ævi pœnis physicè differant; at istæ nihilominùs exhibent pretium moraliter æquale redemptioni pœnarum alterius vitæ. Satisfactoriæ enim pœnæ moralem suum valorem desumunt ex Christi meritis: Is autem valor tantæ est dignitatis, ut purgatorios ignes imminuere primùm, ac deinceps extinguere possit. Et verò gloria æterna physicè excedit justa bonorum opera, ut & pœnam temporalem peccato debitam. Atqui tamen bona justorum opera gloriam merentur de condigno. Ergo à fortiori, &c. Utique ad meritum de condigno non requiritur æqualitas arithmetica, seu rei ad rem, sed sufficit æqualitas geometrica, seu proportionis, vi cujus, qui tale opus elicit, tale præmium ex benignâ Redemptoris liberalitate expectet.

Concl. III. Valet satisfactio, seu lubenter acceptetur, seu spontè assumatur, seu imponatur à Sacerdote.

Prob. 1. pars. Nihil est dubii quin Moyses, Aaron, David & alii propter peccata sua à Deo castigati, flagella ejus humiliter acceptando, justitiæ ejus satisfecerint; cum is satisfacere dicatur qui piè luit id, quod debet. Ergo.

Prob. 2. pars. Satisfecerunt justi per opera laboriosa quibus seduli incubuêre. Atqui ex his multa erant spontè assumpta: Sic Job, nemine cogente, agebat pœnitentiam *in favillâ & cinere.* Sic David ex voluntario motu, *panem sicut cinerem manducavit*, Psalm. 101. Sic Ninivitarum Rex nemine cogente indutus est sacco, sedit in cinere, &c.

Prob. 3. pars ex Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis*, &c. Unde sic Trident. sess. 14. can. 15. *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra institutionem Christi; Anathema sit.* Ex quibus sic: Data est Apostolis eorumque Successoribus potestas non solvendi tantùm, sed & ligandi. Atqui potestas ligandi non modò importat vim retinendi peccata impœnitentibus, sed & congruam Pœnitentibus satisfactionem indicendi. 1mo. Quia potestas ligandi, utpotè generalis, ad ea omnia vincula se extendit, quæ ad salutem Pœnitentium conducere possunt, Atqui satisfactio ad salutem Pœnitentium insigniter conducit: cùm tantoperè hunc in finem ab utroque Tastamento commendetur; Ergo: 2do. Quia tota Christi Ecclesia in potestate ligandi potestatem indicendæ satisfactonis semper agnovit, ut patet tum ex Canonibus Concil. Nicæni, Carthaginensis IV. Arausicani I. quæ certum Pœnitentibus ad satisfactionem tempus autoritate divinâ præscribunt; tum ex Patribus, qui pro vindicanda fatisfactionis necessitate ad Dei legem recurrerunt. Sic Cyprianus, ut probet lapsis nè quidem ad Martirum preces delicta dimitti debere, nisi priùs satisfecerint: *Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem --- laxatur incautis communicatio* Sic S. Gregorius, L. 3. in c. 7. I. Reg. *Afflictio Pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata.* Cur porrò suam hanc delendi peccati proprietatem habet ex Sacerdotis judicio Pœnitentia, nisi quia sic à Christo constitutum est?

Obj. contra part. 2. Electitiæ pœnæ quæ corpus affligunt, pugnant contra id Scripturæ: *Non occides*: *Habeto honorem corpori.* Ergo. R. 1mo. Si ita est, vituperium, nedum laudem, merentur Job, David, & alii Sancti qui corpus suum in servitutem per jejunia, vigilias & per flagella redegerunt. Mirum si nescierint illi Scripturæ sensum, quem adeò scitè intelligunt Lutherani. R. 2do. neg. ant. Jejunia enim, & ceteræ corporis

ris asperitates adeò non occidunt corpus, ut Paulus & Antonius, qui hisce operibus præter ceteros incubuêre, uterque vixerit centenario major. Illud, *Habeto honorem corpori*, solùm probat, vel necessaria corpori providenda esse: vel corpus non perperàm & circà salutis studium affligi debere. At quis hinc colligat vetitum esse Christiano nè membra sua mortificet?

Obj. 2do. contra 3. part. Satisfactio à Sacerdote injuncta necessariò acceptari deberet. Atqui recusari potest: Potest enim Pœnitens, quas justitiæ divinæ pœnas debet, in Purgatorio tantùm luere velle. R. neg. ant. Quidquid enim senserint pauci quidam Theologi, absolvi non posset homo, qui sub obeundi Purgatorii prætextu indictam sibi satisfactionem recusaret, uti docent tum Catechismi omnes, qui satisfactionem Pœnitentiæ partibus accensent; tum Trident. juxtà quod concessa à Christo ligandi facultas, satisfactionis injungendæ potestatem complectitur.

§. II. *De Conditionibus Satisfactionis.*

Satisfactio, utpotè opus hominis relativè ad Deum, alias requirit conditiones ex parte operis, alias ex parte hominis, alias ex parte Dei.

Ex parte operis requiritur, 1mo. ut liberum sit, quia alioqui non esset actio humana; 2do. ut sit bonum; quia si indifferens esse fingatur, nec laude dignum est, nec vituperio: si autem malum sit, pœnam meretur, non pœnæ remissionem; 3tio ut sit supernaturale; quod enim disponit ad promptiorem finis supernaturalis consecutionem, naturæ ordinem necessariò excedit.

2do. Et id quoquè receptum est satisfactionem à Deo acceptari debere: id tamen, quia nonnihil habet difficultatis, paulò fusiùs erit exponendum. Sed videndum anteà num satisfactio debeat esse pœnalis, vel in statu gratiæ impleri. Sit.

CONCLUSO. Ad satisfactionem requiritur opus pœnale: at nulla hinc oritur difficultas in praxi, cùm omne virtutis opus homini pœnosum sit.

Prob. 1. pars. 1mo. ex Scripturâ quæ satisfactionem in operibus pœnalibus constituit. Sic Joël 2. *Convertimini ad me in jejunio, in fletu* Matt. 11. *In cilicio & cinere pænitentiam egissent.* Et hæc fuit Adæ & Ninive pœnitentia.

Prob. 2do. Satisfactio fit, ut plectantur præterita peccata, & ut caveantur futura. Atqui ad utrumque requiruntur opera pœnalia. Ad 1. quidem, quia, ut ait S. Gregor. Hom. 20.

in Evang. *Justum est, ut peccator tantò majora sibi inferat lamenta per pænitentiam, quantò majora sibi intulit damna per culpam.* Ad 2. verò, quia ex Trident. ibid. *Magnopere à peccato revocant, & quasi frœno quodam coercent satisfactoriæ pœnæ, cautioresque in futurum pænitentes efficiunt.*

Prob. 2. pars. Actus omnis christianæ virtutis mentem erigit ad cœlestia, & à terrenis avocat. Atqui neutrum sinè aliquâ carnis afflictione fieri potest, ut docet frequentior experientia de his potissimùm qui justitiæ vias inire incipiunt; quique quod sæpè justioribus evenit, *in terra deserta & inaquosa* peregrinari sibi videntur. Hinc Trident. sess. 14. can. 13. docet *pro peccatis Deo per Christum satisfieri pænis spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, vel aliis etiam pietatis operibus.* Unde ut in omni satisfactorio opere meritum, sic & in merito omni satisfactio reperitur.

Hinc nota 1mo. non eos solùm actus esse satisfactorios, qui spontè à nobis eliciuntur, sed & flagella quibus nos Deus exercet; quia dum sponte acceptantur, fiunt quodammodo opus patientis. Unde monendi sunt Fideles, ut vitæ incommoda patienter ferant, si ea ad remissionem Purgatorii sibi prodesse velint. 2do. Posse hominem per actus internos & externos satisfacere, quia ut temperantiæ v. g. sic & contritionis actus suam ex se pænam ferunt. Etsi verò externū opus operi interno bonitatem intrinsecam non addit, quia tamen pœnam specialem addit, addit & pondus satisfactoni; unde pluris est, ceteris paribus, executio jejunii, quàm simplex voluntas. 3tio. Etiamsi possit Pænitens multiplici viâ Deo satisfacere, id tamen potissimùm præstari jejunio, oratione & eleemosynâ, quæ in Scripturis præcipuè commendantur. Ad * *orationem* revocantur quæ Deum proximè respiciunt, ut sacrificium, laus, gratiarum actio, quæ, licèt *habeant suavitatem spiritûs, habent tamen afflictionem carnis.* Ad *eleemosynam* beneficia quæcumque proximo exhibita. Ad *jejunium* omnia, quibûs caro domatur, ut vigiliæ, lacrymæ, solitudo.

Q. 1mo. an qui injunctam sibi pœnitentiam implevit in statu peccati, ad eam iterandam cogi debeat. R. cum multis contra non paucos, negat: modò pœnitentia hæc non fuerit facta in affectu peccati. Sic enim utcumque impletur præceptum Confessoris: atque ut prodest pœnitentia ante absolutionem imposita, & in statu malo præstita; sic & sacramentaliter prodesse posse videtur, quæ post absolutionem fit in eodem statu. Quia tamen opinio hæc pluribus dubia est, curandum Confessariis ut semper aliquam injungant pœnitentiæ partem, quæ statim ab absolutione, proinde in gratiæ statu adimplea-

* S. Thom.

tur;

tur; & iis qui pœnitentiam in peccato impleverint, solitâ majorem indicant, prout illius pars major aut minor in peccato impleta fuerit.

Q. 2do. an possit quis pro peccato uno satisfacere, & non pro alio R. non posse hominem qui ad unum mortale affectum servat, pro alio satisfacere; quia satisfactio importare debet pœnitentiam & studium placandi Dei. Qui autem vel uni mortali adhæret, nec offensæ suæ pœnitentiam gerit, nec Dei placandi studium præfert; cùm placare non intendat qui in inimicitia spontè permanet. At potest quis satisfacere 1mo pro veniali uno, etiamsi alterius affectum servet: 2do. pro mortali dimisso, etsi pro alio non satisfaciat; quia sicut alteri satisfactionem suam applicare potest, sic & pro uno, non autem pro alio peccato eandem potest applicare.

CONCLUSIO III. Ad satisfactionem requiritur acceptatio ex parte Dei.

Prob. Ad id requiritur benigna Dei acceptatio, quod Deus ex justitiâ acceptare non tenetur. Atqui Deus non tenetur acceptare pœnam temporalem quam persolvit Pœnitens; 1mo. quia hæc est longè minor quàm Purgatorii pœna; 2do. quia posset Deus, ut supremus Arbiter, quidquid facimus boni, variis titulis exigere; 3tio. quia *purgantes* animæ multos contritionis actus eliciunt, qui de se non minùs ad satisfaciendum idonei sunt, quàm qui a viventibus eliciuntur. Atqui nihil est cur actus illi de facto non satisfaciant, nisi quòd in hunc finem non acceptantur à Deo, qui satisfaciendi ac merendi tempus hujus vitæ limitibus conclusit.

§. III. *De Satisfactione prout à Sacerdote imponendâ.*

Quæ ad gravem hanc materiam pertinent, septuplici Conclusione definiemus.

CONCLUSIO I. Sacerdos, Per se loquendo, Pœnitenti quem absolvit, satisfactionem injungere tenetur.

Prob. 1mo. ex constanti usu Ecclesiæ, quæ nusquam sinè satisfactione Pœnitentes reconciliavit. Atqui id nec à Ministris tam constanter factum esset, nec tam spontè acceptatum à Pænitentibus, nisi utrisque persuasum fuisset satisfactionem posse & debere à Sacerdotibus imponi. Unde S. Leo, Ep. 91. *Mediator Dei & hominum hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pænitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem admitterent.*

Prob. 2do. Sacerdos in Tribunali hinc quidem est Dei Mi-

nister, inde verò Judex & Medicus. Atqui ut Dei Minister debet & ligare per pœnas, & consulere Sacramenti integritati, quæ satisfactionem requirit: ut Judex, debet illatam supremo Legislatori injuriam justâ pœnâ ulcisci. Demùm ut Medicus debet præteritis vulneribus mederi, & futura præcavere. Quæ omnia per idoneam satisfactionem præstantur, ut docent Trident. & experientia.

Dixi, *per se loquendo*; quia si satisfactio impossibilis sit, putà homini jam sensibus destituto, non est cur imponatur. Neque hinc Sacramento timendum, quia satisfactio, utpotè pars tantùm integrans, non est de ejus necessitate. Monendi tamen qui ægrum circumstant, ut eum, si tantisper reviviscat, ad actus fidei, spei & caritatis animo satisfactorio eliciendos invitent. Si levior infirmo graviter reo pœnitentia imponatur, simul imponenda erit gravior alia conditionatè, si convalescat; statímque eleemosyna, si per hanc satisfacere possit.

Ceterùm graviter peccat Sacerdos, qui sciens & volens nullam Pœnitenti graviter reo satisfactionem imponit? quia gravem facit injuriam Sacramento, quod culpabiliter mutilat, & grave infert nocumentum Pœnitenti, qui remedio contra futuros relapsus privatur, & gravioribus Purgatorii pœnis obnoxius manet; ac, nisi bona fides excuset, ad iterandam saltèm in genere coràm alio confessionem tenetur, si ad eundem recurrere non possit. Si enim ut quis impositæ sibi pœnitentiæ commutationem obtineat, denuò, saltèm in genere, peccata confiteri debet: quidni ad idem teneatur, cùm aliter satisfactionis legem implere non potest?

Quin & Sacerdos sub gravi videtur teneri pœnitentiam injungere pro venialibus, & pro gravibus jam anteà ritè confessis; quia etsi pœnitentia pro venialibus sit quid in se leve, non desinit esse aliquid grave in ordine ad Sacramentum, cuï contra Christi legem pars magni momenti adimitur. Hinc Minister, si novam pro oblito peccato absolutionem impendat, novam quoque pœnitentiam impendere debet, nisi primam ordinaverit ad ea etiam peccata, quæ oblita fuisse quadantenùs prævidîsset.

Conclusio II. Sacerdos pœnitentiam imponere debet præceptivè, non autem ut liberè solùm & de consilio implendam.

Prob. 1mo. Ex Trident. sess. 14. can. 8. potestas injungendæ satisfactionis oritur ex potestate clavium *ad ligandum*. At satisfactio per modum consilii imposita non ligaret Pœnitentem: is enim liber maneret ut antea. Ergo libera id genus satisfactio non oriretur à potestate clavium, nec proinde esset verè judiciaria & sacramentalis.

Prob.

Prob. 2do. Sacetdos pœnitentiam imponit tanquam Judex, ut pœnitentem plectat. Atqui ut Judex verè plectat, ad subeundam pœnam obligare debet: neque enim plectere censebitur qui dixerit: Servies in triremibus, si lubebit, &c.

CONCLUSIO. III. Sacerdos, per se loquendo, parem crimini pœnitentiam injungere debet, idque sub gravi; prudenter tamen & omnibûs maturè perpensis.

Prob. ex Patribus: Cyprianus, L. de Lapsis: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus - - - Pœnitentia crimine minor non sit.* Clerus Rom. Epist. ad Cyprianum; *Nè sint minora remedia quàm vulnera.* Ambrosius ad Virginem lapsam: *Necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut excedat,* Trident. Patres, sess. 14. can. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate, criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, nè- - - levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Ergo Confessarius ad id tenetur *sub gravi.* Quæ enim gravior obligatio, quàm cuï deesse nequit Sacerdos, nisi *alienorum* se *peccatorum* participem efficiat? Quàm inde timendum nè plures probatæ ceteroqui vitæ Sacerdotes, non ob propria, quæ sedulò effugerunt vel diluerunt, sed ob aliena, quæ molliori manu tractarunt, peccata, in abyssum detrudantur.

Dixi 1mo. *pe se loquendo*, quia sicut nulla injungitur satisfactio morientibus sensu destitutis, sic & quandoque minor imponitur iis, qui majori defungi non possunt, putà graviter ægrotantibus, quibus proinde declarata quam promeruerunt, quamque, si convalescant, perficere tenebuntur pœnitentia, satis est, ut injungantur amoris & patientiæ actus, plenaque divinæ voluntati submissio. Quanquam, si pluribus egeant monitis, melius est, ut Sacerdos eos ad se reverti jubeat, cùm convaluerint, quò & monita & parem peccatis gravibus pœnitentiam recipiant.

Dixi 2do. & *prudenter*; quia Sacerdos ex Trident. non solùm gravitatis ac numeri peccatorum, sed & *Pœnitentium facultatis* rationem habere debet.

Hinc 1mo. cavendum, nè iis etiam qui corpore sani, labore continuo sibi suisque ad victum necessaria comparare debent imponantur prolixæ ferialibus diebus orationes, jejunia saltèm crebra, vel eleemosynæ quas erogare non possint. His ergo indicendum imprimis, ut à malo & proximis mali occasionibus abstineant; ut Dominicis ac festis diebus Officia religiosè frequentent; ut ardentiori studio Deum in familiâ suâ coli curent, & de eo frequenter loquantur; ut post Officia in

Templo vel domi piæ lectioni vacent, aut si legere nesciunt, piam peregrinationem ad vicinum locum, vel soli, vel cum piè affectis suscipiant; ut consuetis precibus manè ac vesperè devotiùs fungantur, ut laborem suum, tributorum onera, & quidquid obveniet incommodi, Deo in peccatorum remissionem frequenter offerant; & aliquando in laboris decursu id Publicani contrito corde proferant: *Deus, propitius esto mihi peccatori.*

Hinc 2do. compatiendum etiam spiritualiter infirmis, ità ut mitigetur satisfactio, cùm Pœnitens ad graviorem pœnitentiam quasi tabescit, & eam utcumque detrectat, non ex pertinaciâ cordis, ignaviâ, vel languore voluntario; sed quia propriæ sibi fragilitatis conscius veretur, nè sibi in ea persolvenda deficiat animus, adeóque nè eam paulatim omittat. Tunc itaque erigenda est mens Pœnitentis, ut hìc potiùs quàm in Purgatorio igne satisfaciat. Exhibendum ipsi qualem ex scelerum gravitate pœnam promeruerit; quàm graviter in altero seculo torqueantur qui sibi in præsenti pepercerint. Verùm si his præmissis eò usque tentatione perturbatus appareat, ut pœnitentiæ omissio, & quæ eam non rarò sequuntur, relapsus ac desperatio timenda sint, mitiùs agendum erit, nè sub obtentu boni majoris malum gravius immineat: tunc enim valet tritum id, satiùs esse hominem cum minori pœnitentiâ in Purgatorium mittere, quàm in inferos cum majori. Hinc S. Franciscus Salesius: *Confessarius melleis & consolatoriis verbis imponere debet pænitentias: & petere semper debet ab eo an, pænitentiam injunctam libenter faciat; quia si videret eum angustiari, rectiùs faceret aliam ei leviorem imponendo..* Et S. Carolus Borrom. part. 4. Instruct. Pœnitent. *Si Sacerdos ità expedire viderit*, Pœnitentem *interroget an possit pœnitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam mutabit, aut minuet:* aut saltèm duriora quædam proponet per modum consilii, ut per aliquot hebdomadas experiatur quid possit, quid non. Sic enim eò fortè adducetur, ut quæ primùm ex consilio præstitit, subinde ex præcepto adimpleat.

Hinc 3tio. graviter aberrant qui pro uno mortali ordinario æquam satis pœnitentiam esse putant Coronam quinque decadum. Enim verò in hâc quâ vivimus seculorum fœce ordinaria sunt peccata fornicatio, mollities, quin & pluribus in locis adulterium, blasphemia, perjurium, ebrietas, detractio crudelis ac penè continua. An verò scelera hæc divisim congruè diluet Coronæ unius recitatio! Utique 1mo. ea esse debet ratiò pœnitentiæ ut contraria curet contrariis, putà

eleemo-

eleemosynis avaritiam, luxuriam maceratione carnis, &c. An verò lasciviam carnis egregiè domabit precum aliquot recitatio? 2do. Pœnitentia eo fine instituta est, * *ut à peccato revocet, & quasi fræno coerceat:* ergo per eam sentiri debet gravitas peccati. An porrò incontinentiæ gravitatem persentiet quis ex Coronæ unius recitatione? annon potiùs scelera hæc ex pœnitentiæ levitate metiendo, habebit pro *peccadillis*? 3tio Et is etiam est pœnitentiæ scopus, *ut vitiosos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollat.* An, amabo, blasphemiæ habitum tollet Coronæ unius persolutio?

Hinc 4to. pœnitentia, ut efficax sit & genuina, peccatis ex adverso respondere debet. *Unde,* aït S. Carolus, *pro peccatis luxuriæ imponantur jejunia, vigiliæ, cilicii usus, aliaque hujusmodi macerando corpori propria. Pro avaritiæ peccato, præter debitas restitutiones, eleemosynæ pro cujusque facultatibus injungantur. Sanandæ superbiæ, aliisque peccatis spiritualibus, oratio adhibeatur, quâ coram Deo vires & vigor acquiruntur, quibus his peccatis obsistatur. Pro negligentiâ, rerum Christianarum quas ignorant, conciones audiant, & per aliquod tempus Doctrinæ Christianæ Scholas,* aut Ecclesiæ Cathecheses *frequentent. Indevotis & tepidis juvabit imponere ut Ecclesias divinâque Officia oraturi sæpiùs adeant, multasque usurpent orationes, At verò blasphemis, & sacrilegâ linguâ in Deum & Sanctos petulanter maledicis, pænitentias graves & difficiles injungent.*

Etsi verò gravia multa sunt præter impudicitiam peccata, fatendum tamen eam, utpotè *adhæsivum malum,* difficiliùs quàm cetera, si intemperantiam excipias, curari. Unde neutrius habitũ coercebit Director, nisi pœnitentiâ, severiori & ex quâ intelligat Pœnitens, se tam difficilè ab eo profundi limo surrecturum, quàm in illud facilè proruerit. Nec solùm gravitati criminis, sed & peccatoris dignitati æquanda est pœnitentia. Unde Presbytero fornicationis reo antiqui Canones pœnitentiam 10. annorum; Episcopo autem annorum 15. utique quia majus ex majori dignitate crimen admisisset, imposuerunt.

Hinc 5to. habendum præ oculis maximè ut pœnitentia non tantùm pœnalis sit, sed præcipuè medicinalis. Sed sicut non ille optimus est Medicus, qui omne adversùs morbos omnes habet remediorum genus; sed qui remedia unicuique morbo idonea attemperat, & ægrum, ut iisdem utatur, prudenter disponit: sic nec ille bonus est Director, qui lepram inter & lepram accuratiùs dijudicat, qui Pœnitentis conscientiam penitiùs excutit; qui in expediendis conscientiæ casibus non

* Trident.

hæret ubi ſudant alii; ſed qui cunctos reconciliationis obices ſalutaribus præſcriptis removet, qui teneros infirmi Pœnitentis greſſus ſic in via bona firmat, ut aſſuetam longo uſu ſemitam peccandi dediſcat, & virtutis iter ſequatur & amet.

Ut autem Medicus morbos neſcit, nisi ex profunda humani corporis anatome; ſic neque ſpiritualis Medicus morbos animi verè cognoſcet, nisi profundè cognoverit ſecretos humani cordis receſſus, & varia motuum quibus huc & illuc trahitur principia. Hanc porrò alieni cordis ſcientiam depromet ex proprii cordis inſpectu. Hujus ſi accuratam diſſectionem inſtituat, deteget quæ ſint hujus vel illius vitii radices; an inordinatus ſui amor, an divitiarum ſitis, an nativus erga Deum & divina tepor, &c. Sicque dum ſeipſum emendare diſcet, diſcet & emendare ceteros, ſecundùm id Proverb. 18. *Juſtus prior eſt accuſator ſui; venit amicus ejus, & inveſtigabit eum.*

Jam ergo ut medicinalem pœnitentiam indicat Confeſſarius, eam nempè quæ *vitioſos habitus malè videndo comparatos contrariis virtutum actionibus tollat*, interrogabit cur Pœnitens illud furti, detractionis, odii, &c. peccatum commiſerit. Dicet fortè alter id à ſe factum, quia deſpectus fuit, & læſa ejus fama; & is ſuperbus eſt: Alter, quia ſibi illatum erat damnum; & is avaritiæ fuliginem præfert: Alter, quia obturbata eſt quies ejus; & is ſervit malæ libidini. Tametſi ergo eadem in iis omnibus foràs eruperint peccata, non eædem tamen ſunt radices malorum; neque hæc adeò iiſdem ſunt curanda remediis. Unde præcipiet ſapiens Confeſſarius humilitatis exercitium contrà inanem gloriam, pietatis contrà acediam, liberalitatis contrà avaritiam; & quia, juxtà Chriſoſt. L. 1. de orando Deo, *nihil eſt quod non obtineat oratio, etiamſi mille peccatis obnoxius ſis, ſed vehemens, & aſſidua*; præſcribet orationes, inquibus pœnitens ſuperbiam ſuam, terrenis adhæſionem, duritiem cordis confiteatur Domino, & ſupplex oret gratiam quâ profundè ſanetur. Securiùs autem & citiùs ſuccedet morbi curatio, ſi piæ lectiones præſcribantur, & ſeverum in fine diei examen quod ſubſequatur caſtigatio peccati, ſi quod fortè exciderit.

Nec eſt quod objiciatur has quidem pœnitentias eſſe ſalubres, at plerorumque Pœnitentium *facultati* minimè accomodatas. Nemo enim eſt, ſeu rudis, ſeu ſpiritualis, ſeu in ſeculo, ſeu in clauſtro degens, qui, niſi tantùm ſit nomine Chriſtianus, verbum hoc in praxi capere non debeat: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.* Hoc item: *Vigilate & orate, ut non intretis in tenta-*

tentationem. Atqui eò unicè tendunt medicinales pœnitentiæ de quibus hic loquimur. Neque vel ipsis rudibus adeò grave est mentem ad Deum identidem erigere; os suum raptim aperire & attrahere Spiritum gratiæ; conscientiam sub noctem indagare; quod peccatum fuerit lugere; protensîs brachiîs, vel terram deosculando, aut per aliquid gravius, si licebit, diluere. Sanè hæc, nedum hominem, jam absolutionis gratiâ reconciliatum excrucient, ei, utpotè jam amanti, sunt jugum suave. Hinc si quis à tentatione graviter illectus, orationi tantillùm vel piæ lectioni vacet, penè statim sentiet sese erigi, nescio quid sancti vigoris contrahere, à malo retrahi & confirmari in bono. Non ergo minui potest satisfactio medicinalis, cùm necessaria sit ipsâ etiam necessitate medii, ut peccator vitiosos habitus coerceat, & Christo, Capiti nostro se conformet. Unde Trid. permittit quidem ut pro *facultate* Pœnitentium minuantur pœnitentiæ vindicativæ, at non pœnitentiæ medicinales.

Quod ad pœnalem pœnitentiam attinet, constat hanc pro facultatibus, ac ipsa fragilitate Pœnitentium esse minuendam (cum è contrà medicinalis pro majori illorum fragilitate major indici debeat) Quapropter mitiùs quoad jejunia, peregrinationes, &c. agendum cum iis, qui gravi labori incumbunt, ut Agricolæ; vel, licèt polleant viribus; levis sunt & imbecillæ voluntatis.

Sed quid agendum cum iis, qui vivunt tenuiter, dieque ac nocte ad alendam familiam desudant? R. vel ii homines acri peccati dolore percelluntur, vel tenui ac modico. Si 1mũ id præcipuè servabit Confessarius quod dictum est suprâ, pag. 680. Præsertim verò monebit ut in ipso laboris æstu interdum stantes, vel genu flexo exclament: *Hic ure hic seca, modò in æternum parcas.* Si 2. præter mox dicta imperabit Confessarius ut, quod ditibus Agricolis facile est, aliquid subtrahant gulæ; ut Festis diutiùs commorentur in Templo gemebundi; ut aliquando in animæ gratiam faciant quod sæpè in temporalium gratiam faciunt, id est, ut de nocte consurgant ad orandum aliquanto tempore, nunc prostrati, nunc brachiis in crucis modum extensis: solent enim tenebræ & noctis silentium addere calorem precibus, & horrorem criminis injicere. Hæc cuï dura videbuntur, durior exhibebitur infernus: exhibebuntur & aliorum exempla, quos idem spontè fecisse didicimus. Erit tamen in his leniter & gradatim procedendum.

Quod ad eos spectat qui corpore valent, nec laboriosis operibus incumbunt, erit his quidem neganda absolutio, do-

nec

nec ſincerum, ut debent, divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi propoſitum gerant. Ubi autem ad omnia parati deprehendentur, videndum erit quæ ſit eorum animi conſtantia, quæ fragilitas. Si pœnam multitudini ſcelerum parem ferre poſſint, injungetur: ſi vereri ſit, nè eâ territi deficiant animo, imponetur debitâ minor, nè *fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt.* Unde Chriſoſtom. Hom. 4. in 2. Corinth. *Non quòd dignus ſit, neque quòd ſufficientem exhibuerit pœnitentiam, ſed quòd infirmus ſit, ideò dignor illum veniâ.*

Ex his ſequitur Confeſſarium in ſatisfactionis materiâ duos inter ſcopulos, cum magno ſui & Pœnitentium periculo, verſari; quos ut devitet, cavendum ipſi, ut nec inconſiderato zelo auſteriorem, nec crudeli miſericordiâ molliorem pœnitentiam imperet. *Sit* ergo *Samaritanus*, aït S. Bernand. *obſervans, quando oleum miſericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat* Sed *quis putas eſt fidelis ille diſpenſator?* Is unus qui aſſiſtricem divinæ ſedis ſapientiam ſedulò invocabit.

Concl. IV. Poteſt Miniſter opera aliunde præcepta in ſatisfactionem injungere, ut & orationem pro vivis vel defunctis. Generatim tamen opera aliàs indebita Pœnitentibus imponi debent. Et id à Confeſſario factum eſſe præſumi debet, niſi aliud ex verbis ejus, vel ex circumſtantiis intelligatur.

Prob. 1. pars. Ut opus aliàs debitum ex voto vel præcepto in ſatisfactionem imponi poſſit, ſatìs eſt ut & bonum ſit, & pœnale, & non obſtante debiti lege, ſatisfactorium eſſe valeat. Atqui opus aliunde debitum, & bonum eſt & pœnale, ut patet in jejunio & oratione. Sed &, quod ſummæ eſt difficultatis, idem opus ſatisfactorium eſſe poteſt. 1mo. Enim Martyrium, eo etiam caſu quo ſub præceptū cadit, eſt maximè ſatisfactorium. 2do. Actio aliunde debita poteſt meritoria eſſe: ergo & ſatisfactoria. 3tio. Vitæ hujus flagella ſatisfactoria ſunt, dum ſpontè acceptantur; & tamen neceſſaria ſunt. 4to. per actum ex caritate debitum poteſt debito juſtitiæ ſatisfieri, ut dum quis opifici in extrema neceſſitate conſtituto pactam mercedem ſolvit. Ergo & per unum eundemque actum impleri poteſt Eccleſiæ & Confeſſarii præceptum.

Prob. 2. pars. Ut imponi poſſit in Pœnitentiam oratio pro mortuis; ſufficit ut ea pœnale quid habeat, quod impetratorium eſſe poſſit pro mortuis, & ſatisfactorium pro Pœnitente. Atqui res ità eſt. Ut nim caritas erga defunctos non minuit meritum eleemoſynæ vel orationis, ſic nec minuit vim utriuſque ſatisfactoriam.

Prob.

Prob. 3. pars. 1mo. Quia par est ut peccator peccati sui pondus ex pœnâ sentiat; & ut durior sit ejus conditio, quàm innocentis. 2do. Quia generatim intendit Ecclesia, ut quisque pro delictis suis per opus aliàs indebitum satisfaciat.

Licebit tamen justis ex causis imponere opus aliunde præceptum, ut Officii recitationem, jejunium Ecclesiæ, restitutionem, &c. putà si advertat Sacerdos Pœnitenti deesse opportunitatem aliter faciendi; aut si ex hâc indulgentiâ futurum sit, ut ad amplius quid deinde præstandum stimuletur. Verum id raro faciendum, cùm aliqui negent posse id fieri sinè peccato.

Prob. 4. pars Quia præsumendum est Confessarium à tritâ viâ non recedere. Porrò hæc trita est Confessariorum praxis, ut dum jejunium vel Missæ auditionem præcipiunt, ea præcipere censeantur ad quæ Pœnitens non tenebatur aliunde. Unde si jejunium voveras in diem in qua abstinentiam præcipit Confessarius, debes id eum monere, ut vel pœnitentiam aliam indicat tibi, vel hanc in diem alium transferat.

Quandoque tamen vel ex communi intellectu, vel ex satisfactionis implendæ tempore, vel aliis ex circumstantiis, judicatur rem alioqui præceptam injungi à Confessario. Quapropter, si duæ Missæ imponantur die festo, communiter intelligitur una tantùm imponi præter eam quæ præcepta erat. Si inchoante Quadragesimâ injungatur jejunium, intelligitur jejunium quadragesimale, quia alioqui nimium differetur satisfactio. Si imponatur eleemosyna, satisfit dando extremè indigenti, quamvis aliunde ad id caritas obliget; nec enim præsumitur Confessarius extraordinariam hanc circumstantiam exclusisse, nè alioqui nimiùm gravetur Pœnitens.

Concl. V. Necesse non est ex naturâ rei & Christi institutione, ut Sacerdos pænitentiam antè absolutionem adimpleri curet. Potest tamen id saltèm ex parte exigere plurimis in casibus.

Prob. 1. pars. Si satisfactio ex rei naturâ & institutione Christi semper absolutioni esset præmittenda, graviter peccarent quicunque methodum aliam sequuntur, aut olim secuti sunt, utpotè qui contra ipsam Christi constitutionem impiè absolverent. Atqui horrendum conseq. 1mo. quia adversatur ipsi Christi exemplo, qui redeunti Prodigo cito *stolam primam* proferri jussit sub nomine Patris-familias; neque illum remisit, ut pascendo porcos diutiùs *portaret statum peccati*. 2do. Quia ex S. August. Epist. 54. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia -- quin ità faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est.* Atqui non is est Ecclesiæ Latinæ ac

Græcæ

Græcæ mos, ut semper satisfactionem præmittat absolutioni. Sanè contrariam praxim à seculis penè 13. apud Græcos vigere probat Morinus. Idem in Ecclesiâ Latinâ à seculis sex factitari res est indubia. Ergo, nè quod *insolentissimæ insaniæ est*, totam damnemus Ecclesiam, necessum est ut eos damnemus qui satisfactionem absolutioni necessariò præmittendam docent. 3tio. quia assertionem nostræ contrariam pluries protrivit Apostolica Sedes. Sic 1mo. Sixtus IV. hanc Petri de Osma thesim perstrinxit an. 1478. *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peractâ priùs pœnitentiâ eis injunctâ.* Sic & propositionem istam an. 1690. reprobavit Alexand. VIII. n. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni indixit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio.* Easdem censuras renovavit Facultas Parisiensis contra Theophil. Brachet.

Ex his colliges non posse Pænitentem ritè dispositum cogi ad præmittendam absolutioni satisfactionem: quia jus habet ad absolutionem statim recipiendam, ejusque plurimi interest, nè diutiùs in peccati statu remaneat, sed quamprimùm in amicitiam Dei redintegretur.

Prob. 2. pars: Ut Confessor à Pœnitente exigere aliquandò debeat, ut Pœnitentiam impleat ante absolutionem, sufficit ut sæpè Sacramenti valori consulere non possit, nisi probatis præviâ satisfactione dispositionibûs Pœnitentis. Atqui --- Sunt enim plures, qui nusquam peccati sui gravitatem sentiunt, nisi salubri absolutionis dilatione, & laboriosæ satisfactionis operibus ad se ipsos redire compellantur.

Porrò tunc præmittenda est reconciliationi satisfactio, cùm quis legitimè suspecta exhibet doloris indicia; cùm inimico suo reconciliari abnuit; cùm illatam gravem proximo injuriam reparare detrectat; cùm occasionem proximam deserere negligit; cùm quia facilè & citò relapsus sit, vereri est, nè pari incuriâ revertatur ad vomitum; cùm injunctam sibi satisfactionem neglexit ex inertia, quam abjecisse non videtur. In his enim & aliis hujusmodi casibus meritò dicitur cum *S. Gregor. Confessionis verba quid sunt aliud nisi foliâ?* vera porrò Pœnitentia non ex foliis, sed ex fructibus pensari debet.

Obj. 1mo. id Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs --- ad capiendas animas, &c.* Atqui pulvillos consuunt qui sontes necdum dignâ satisfactione probatos absolvunt. R. n. min. quatenùs falsò, (& contra praxim quam Quenelliani Sacerdotes, alii ergà alios frequentant) asserit præproperè absolvi eos omnes, qui necdùm satisfa-

tisfactionem ex toto vel parte adimpleverunt: cùm ex iis sint multi; qui, statim ut quid paulò gravius commisêre, illud tam seriò deflent, ut majora ante satisfactionis sacramentalis initium exhibeant veræ contritionis specimina, quàm alii plures peractâ etiam satisfactione. Aliud erat de Pseudoprophetis, quos per Ezechielem redarguit Deus: hi enim mendacibûs vaticiniis iniquos retrahebant à Pœnitentiâ: dicentes, *Pax pax*, cùm *non* esset *pax*.

Obj. 2do. SS. PP. docent 1mo. cum Tertul. absolutionem esse mercedem, satisfactionem verò pretium quo redimuntur peccata; 2do. cum Cypriano concessionem veniæ ante Pœnitentiam Evangelio adversari; 3tio. cum S. Greg. eos tantùm à Sacerdotibus ritè absolvi, quos à Deo veniam per dignos Pœnitentiæ fructus obtinuisse præsumi potest. 4to. cum Aug. incertam esse absolutionem, quæ datur moribundo, quia is Deo non satifecit. Atqui hæc probant satisfactionem absolutioni præire debere. R. dist. probant satisfactionem aliquam præire debere absolutioni, C. satisfactionem à Sacerdote impositam Subd. præire debere absolutioni à peccatis, cùm ità jubet Ecclesiæ disciplina, C. necessariò & ex ipsâ Christi constitutione, N. Ut appareat an sensus noster à PP. sensu discrepat, videndum quid illi, quid nos doceamus. Docent ii 1mo. neminem à peccatis absolvi posse; nisi iram Dei prævia satisfactione lenire incipiat: Id & nos docemus, qui fatemur neminem nisi justo peccati dolore commotum, & ritè confessum absolvi posse. Docent 2do. absolutioni præmittendam esse satisfactionem, quoties id sanxerit Ecclesia; prout fortè sanxit occasione Decianæ persecutionis: Et id quoquè ultrò fatemur. Verùm nihil inde contra nos, nisì ex PP. probetur eorum qui graviter lapsi fuêre, neminem unquam, nisì contra Christi legem, fuisse reconciliatum sinè præviâ satisfactione; proinde SS. Ecclesiæ Doctores, Confessores, Virgines, quibus lethale dubium admisisse contigit, nusquam ad sacra accessisse, nisì post impletum ante absolutionem pensum satisfactionis. Id autem cùm Morino rejicimus.

Cum his tamen stat 1mo. quòd absolutio sit merces, quia ei ad minus præmitti debet dolor & Confessio, quæ non modicam satisfactionem habent. 2do. quòd præceps reconciliatio adversetur divinæ legi; quæ arborem diu malâ ex fructibus judicari vult. 3tio. quòd is solus absolvi debeat, qui præsumi potest, non quidem jam veniam obtinuisse, sed ad eam vi clavium obtinendam dispositus 4to. dubiam esse absolutionem quæ ex solo mortis periculo datur, non præcisè quia deest satisfactio (alioqui enim absolutio hæc sinè sacrilegio

dari

dari non posset) sed quia admodum dubiæ sunt dispositiones hominis, qui in extremo tantùm agone ad Sacramenta recurrit.

Concl. VI. Potest Confessarius interna & externa opera injungere Pœnitenti. At manifestam pro occultis peccatis pœnitentiam indicere non potest: potest tamen pro publicis; servatis consilii ac prudentiæ legibus.

Prob. 1. pars. Ideò opus internum non posset in pœnitentiam injungi, quia non est sensibile, & materia Sacramenti debet esse sensibilis. Atqui opus internum sufficienter est sensibile per acceptationem pœnitentis, licèt acceptatio hæc non sit pars Sacramenti: Sicut contritio sufficienter fit sensibilis per planctus & suspiria; quamvis non sint pœnitentiæ partes.

Hinc attento pœnitentis statu potest injungi pia meditatio de morte, de judicio, ac præcipue de præsentiâ Dei. Sanè hæc oratio est admodùm medicinalis, & peccata in futurum potenter coercet.

Prob. 2. pars: Jejunia, eleemosynæ, precum aliquot recitatio, opera sunt exteriora. Hæc autem imponi possunt; neque hinc pœnitenti imminet periculum suspicionis ac veluti infamiæ. Cùm justiores ex superfluis eleemosynam debeant, & frequenter jejunent.

Quin & quandoque in medicinalem pœnitentiam imponi potest exterior actio, unde sequatur suspicio vel notitia peccati; cùm vitari aliter non potest relapsus. Sic qui in hâc domo, vel in hoc officio peccat, adigi debet ut ab iis recedat: quod si renuet, citrà absolutionem, dimittendus erit. Neque tunc confessionem revelat Sacerdos, sed prodit se Pœnitens, ut suæ obligationi satisfaciat.

Prob. 3. pars, tum ex Rituali R. ubi sic: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant:* tum quia satisfactio hæc pœnitentem rationabiliter invitum afficeret probro; & culpæ foret improportionata.

Prob. 4. pars, ex Trid. Sess. 14. c. 8. ubi sic: *Apostolus monet publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotòsque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ità magis judicaverit expedire.*

Prob. 5. pars ex S. Thomâ, q. 28. a 3. ubi sic S. & prudens Doctor: *Magna peccata indigent magnâ cautelâ ad sui curationem; & ideò injunctio Pœnitentiæ solemnis quæ nonnisi pro gravissimis peccatis fit soli Episcopo reservatur.* Hinc potestatis

testatis suæ fines transgreditur Parochus, qui sine authoritate Episcopi pœnitentem jubet stare ad Ecclesiæ fores cum cereo accenso, sequi Processionem nudis pedibus, &c. Sed id servandum Conventûs Melodun. an. 1579. Tit. 35. *Parochi, si quos plasphemos repererint, adulteros, concubinarios, aut à connubio disjunctos, fœneratores, aut alios nefarii scæleris inquinatos, eorum nomina ad Episopum deferant, ut quâ viâ eorum medendum sit morbis, in Synodo maturè provideatur.* Justè tamen præcipiet Confessarius ut Pœnitens Sacramentum in Ecclesiâ visitet; vel infirmis ministret in Hospitalibus, &c. Hæc enim frequentiùs faciunt pii, quàm peccatores.

Concl. VI. Satius est ut Confessor pœnitentiam determinet quoad materiam & tempus.

Prob. 1. pars, tum quia determinata satisfactio libentiùs & attentiùs impletur, quàm generaliter præscripta. Tum quia si Confessarius omnes v. g. orationes, aut eleemosynas hujus mensis in satisfactionem injungat, vel intelliget opera aliunde præcepta; & id non debet passim fieri: vel opera libera; & id multiplici obnoxium est incommodo; quia vel nulla occurret ad multum tempus occasio jejunii, aut eleemosynæ, & sic diù protrahetur satisfactio, & fortè ad tempus peccati: vel occurret utriusque occasio frequentior: quàm ut omnia eo rigore impleantur, quo adimpleri debent pœnitentiæ sacramentales. Non improbo tamen piam Confessarium praxim, qui impositis certis operibus particularibus, elevent ad satisfactionem sacramentalem omnia opera bona certo tempore peragenda. Sed quia dubium est an vim illam habeant verba hæc: *Quidquid boni feceris*, erit id in ipsâ satisfactionis impositione efficiendum.

Prob. 2. pars, quia cùm pœnitentia ad certum tempus determinata non est, hærent plerumque & anxii sunt pœnitentes, an hæc ad totum vitæ suæ tempus injuncta sit: Neque, cùm res à Sacerdotis intentione pendeat, ab alio Confessario eâ de re edoceri possunt. Ceterùm, ait Paris. Doctor *vix aùt nunquam injunget Confessarius pænitentiam ad totum tempus vitæ propter voluntatis humanæ instabilitatem.*

Concl. VII. Potest satisfactio imponi ante vel statim post absolutionem.

Prob. quia utrolibet modo censetur moraliter aliis Sacramenti partibus conjungi, & cum iis perfectionem illius concurrere. Satiùs tamen antè absolutionem injungitur; quia Sacerdos absolvere non debet, nisi quem novit dispositum ad dignos pœnitentiæ fructus. Atqui piam hanc pœnitentis dispositio-

 nem

nem non meliùs deprehendit, quàm cùm pœnitens congruam satisfactionem acceptat.

§. IV. *De Satisfactione ex parte Pœnitentis.*

Quæ ad hanc materiam spectant triplici Conclusione expediam.

Conclusio. I. Pœnitens satisfactionem acceptare tenetur, modò æquitati & rationi congruam.

Prob. 1mo. ex Trid. Sess. 14. c. 8. ubi docent PP. concessas esse Pœnitentiæ Ministris claves, *non tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam atque castigationem.* Atqui inanis foret tanta hæc clavium potestas, si Pœnitens satisfactionem sibi per eas injunctam pro nutu abnuere posset. 2do. quia Sacerdos pœnitentiam indicere debet, ut integrum faciat Sacramentum. Ergo & Pœnitens eâdem de causâ acceptare. 3tio. quia tenetur reus judicii æquam sententiam ferenti obtemperare. Sacerdos porrò Pœnitentiam indicit ut judex.

Dixi, *modò hæc æquitati congruat*, seu imponatur clavè non errante. Si enim nutrici aut infirmo jejunia, pauperi eleemosynæ largæ, uxori peregrinationes longæ indicantur, ut hæc, non tenentur implere, quia non possunt, sic nec acceptare. Tunc tamen impotentia hæc Confessario aperienda est, ut vel idoneam magìs injungat, vel hæc ab alio unà cum absolutione requiratur. Verum extrà quorumdam Doctorum classem raræ sunt Pœnitentiæ graviores; fortèquè magìs timendum à levioribus. Unde generatim moraliter statuendum teneri sub gravi pœnitentem impositam sibi satisfactionem acceptare. Hinc S. Thomas in 4. dist. 20. *Pœnitens, cui major condigno Pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex Sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat, sed peccato remedium adhibet.*

Saltèm, inquies, excusabitur Pœnitens, qui Confessorem alium adire volet. R. licitum quidem est Pœnitenti ante confessionem adire quem volet. At postquam huic se subjecit, non potest sinè justâ causâ ab eo recedere: quia nec imperfectum Sacramentum relinquere potest, nec justam illius, cui se jam subjecit, sententiam detrectare. Mihi, ut alius Sacerdos adiri possit, idoneæ eæ rationes videntur, si prior vix aut nihil interroget, cùm opus est; si sit impatiens; si unctione quâ moveat, destitutus; si quæ doctiores alii gravia judicant, pro minutis habeat. Idem erit à fortiori, si prohibitos Libros svaserit, &c. Non video tamen moris esse

esse ut à novo Confessario multùm fatigentur, qui priorem suum deserunt; seu quia id confessionis libertati, quæ summa esse debet, adversatur; seu quia utilior esse solet Confessarius, cui se libentiùs submittit Pœnitens. Unde etiam qui nullos laboris sui successus videt, precari potest, sed non cogere Pœnitentem, ut alium sibi profuturum magìs inquirat.

CONCLUS. II. Tenetur Pœnitens sub mortali gravem pro gravibus impositam Pœnitentiam implere. Imò malè sibi consulit, qui levem etiam, seu pro venialibus, seu pro mortalibus dimissis, omittit.

Prob. 1. pars, 1mo. ex Conc. Later. ibi. *Omnia peccata sua confiteatur fideliter, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Sed qui aliquid præstare tenetur, per se ad id obligatur sub mortali, si res gravis sit 2do. ex Trid. Seff. 14. satisfactio est *pars Sacramenti*, integrans, & ad perfectam delictorum remissionem nessaria. Atqui Pœnitens, ut qui ad Sacramentum concurrat, & effectum ejus *pro viribus* procurare teneatur, tenetur integritatem Sacramenti servare, &c. Jam verò materia hæc de se gravis est, cùm ad Religionem & justitiam pertineat.

Prob. 2. pars. Quia non conveniunt Theologi an omissio Pœnitentiæ levis à mortali vacet. Asserunt quidem plures, quia omissio hæc, licèt Sacramentum integritate suâ privet; non tamen ei gravem injuriam irrogat ob levitatem materiæ. Sed negant alii, quia, inquiunt, gravem infert Sacramento injuriam, qui ipsum complemento suo substantiali voluntariè privat. Atqui in hâc Theologorum dissensione, ubi fortè soli Deo notum est, quæ pars prævaleat, pessimè sibi consulit, qui in re alioquin facili certa incertis non præponit.

Cavendum tamen nè statim mortalis redarguatur; qui vel levem totam, vel levem tantùm gravis Pœnitentiæ partem, non ex contemptu, sed ex negligentiâ primùm, posteâ ut fieri solet, ex oblivione prætermisit. Is enim, si fortè graviter ratione materiæ deliquit, à gravi tamen excusari potest ob bonam fidem, quæ in rebus admodùm dubiis turbari non debet, nisi in iis peccatur ex habitu.

CONCL. III. Tenetur Pœnitens Pœnitentiam exequi tempore per Confessarium præfixo, si quod determinatum fuerit: sin autem, quàmprimum moraliter. Brevis tamen ad dies aliquot dilatio grave peccatum communiter non inducit.

Prob. 1. pars, quia temporis circumstantia includitur in præcepto. Unde cui jussum est ut Feriâ VI. jejunet in honorem passionis, vel singulis mensibus semel confiteatur, debet hæc, prout injuncta sunt exequi prohinc nec anticipare,

 nec

nec differre, nisi gravis & improvisa necessitas contrarium exigat; tunc enim ex præsumpto Directoris consensu, aliter dicendum erit.

Prob. 2. pars 1mo. quia ea est legum, ut & votorum conditio, ut cùm iis nullum est præfixum tempus, quàmprimum moraliter impleri debeant; 2do. quia Sacramenti integritas, natura satisfactionis ac medicinæ, justa demùm Confessarii intentio promptam executionem postulant.

Prob. 3. pars, 1mo. ex communiori Doctorum sensu; 2do. quia aliquot dierum mora, nec Deo gravem injuriam, nec Pœnitenti damnum grave infert.

Quòd si vel ad horam unam differens, gravi se tentationis aut alterius peccati periculo exponat: graviter reum se faciet ex levi etiam dilatione. Proh! quantis se anxietatibus subducunt, qui ut filii dociles ad amussim spirituali patri obsequuntur.

Concl. IV. non potest Pœnitens satisfactionem sibi injunctam, nutu proprio in aliquid etiam melius mutare. Potest tamen idem vel alter Confessarius eam in quid etiam minus aliquando mutare, sed non extrà sacrum Tribunal.

Prob. 1. pars, 1mo. quia Sacramentalis Pœnitentia est actus jurisdictionis, qui ut talis, est à Superiore: Pœnitens autem suî superior esse non potest. 2do. Ideò satisfactio à Pœnitentia in melius quid mutari posset, quia Sacerdos in id consentire præsumitur ob majus Pœnitentis bonum. Atqui ratio hæc periculosa est; quia quotidie sub majoris boni prætextu mutarentur satisfactiones; nec dubium quin sæpè in minùs utilia: cum sagax director meliùs norit quæ bona sint Pœnitenti quàm Pœnitens ipse. 3tio. cùm Jubilæi gratiam indulget Papa iis qui certa opera præstiterint, nemo hæc in alia etiam meliora commutare potest. Ergo à pari de satisfactione à Confessario impositâ.

Prob. 2. pars ex sensu Confessariorum qui sæpè alias à prioribus satisfactiones injungunt, cùm eæ vel à Pœnitentis memoriâ excidêre, vel ab eo admodùm difficilè, aut inutiliter, aut etiam periculosè adimplentur: uti liquet in usu *disciplinæ* vel cilicii, quæ quibusdam plus nocent quàm prosunt.

Prob. 3. pars 1mo. quia Christus Sacramentum hoc instituit ad animarum utilitatem. Atqui quandoque exigit utilitas animæ, ut imposita ab uno Pœnitentia ab alio mutetur. 2do. Judex id totum in eodem Tribunali potest, quod poterat is, cujus vices gerit. Atqui poterat is qui Pœnitentiam indixit, eandem justis de causis commutare. Ergo.

Prob. 4. pars: Mutatio Pœnitentiæ est actus judicialis: cùm per eum prioris judicis sententia ex parte revocetur. Atqui actus judicialis nonnisi auditâ causâ fieri potest. Obj.

Obj. contra 1. part. Qui votum emisit, potest illud pro arbitrio mutare in aliquid evidenter melius. Ergo à pari. R. neg. conſ. Diſparitas eſt, 1mo. quòd in Pœnitentiâ reus mutaret ſententiam judicis, quod nunquam licet. At in mutatione voti nihil tale contingit. 2do. Satisfactio debet eſſe ſacramentalis, & operari ex opere operato; cujuſmodi non eſſet quam ſibi quiſque ad arbitrium præſcriberet: in voto autem nihil eſt hujuſmodi.

Ergo, inquies, qui juſſus eſt nummum hunc, quem unum habet, dare huic pauperi, non poterit eum alii in extremâ neceſſitate poſito largiri. R. Poterit, & tenebitur; quia Confeſſarii intentio non fuit, ut violaretur charitatis virtutum reginæ jura. Tunc tamen poterit alia ſatisfactio peti à Confeſſario, qui eleemoſynæ hujus rationem habebit. Etſi verò generatim ſatisfacit, qui injunctam ſtipem dat extremè indigenti; non tamen qui dat parenti vel alii cui tenetur ex juſtitiâ ſuccurrere; quia tunc non cenſetur eleemoſyna.

Hic not. 1mo. non poſſe mutari Pœnitentiam ſinè juſtâ causâ, qualis eſt utilitas notabilis, gravis in executione prioris Pœnitentiæ difficultas, periculum tranſgreſſionis ex ipsâ etiam Pœnitentis infirmitate ortum, exceſſus evidens Pœnitentiæ: ubi tamen cavendum à perniciosâ mollitie. Qui enim malis omnibus, ut commune emplaſtrum, Roſarii unius recitationem applicant, facilè pro graviori, Pœnitentiam leniorem habebunt 2do. Poſſe aliquando mutari Pœnitentiam, licèt, id non poſtulet Pœnitens; cùm alia multò plus profutura judicatur. 3tio. Non mutari priorem Poenitentiam eo ſolùm quòd idem vel alius Sacerdos audita eorumdem peccatorum confeſſione, novam imponat; ſed requiri ut Confeſſarius illam revocet: quia ſententia ſemel valida, imò & dubia manet, donec à legitimâ authoritate revocetur. 4to. Ad minus dubium eſſe, an Pœnitens factâ commutatione, priori Pænitentiæ ſtare poſſit. Si enim iſthæc nonniſi *juſtâ de causâ* mutari poteſt: eâquè cauſa ut plurimùm ſit *notabilis* Pænitentium *utilitas*: cur cenſebitur Sacerdos intendere, ut ii pro nutu redeant ad id quod ſibi multò minùs utile fuerit? Imò cùm Pænitentia prior ſolum exceſſum commutatur; ſatius fuerit, ut cuilibet dubio præcludatur aditus, plenam facere Pænitenti libertatem quod maluerit amplectendi. Quin & ut ſua certa cuilibet Sacramento ſervetur integritas, ſemper curandum ut aliquid utriuſque Pænitentiæ adimpleatur. 5to. Non poſſe priorem Pænitentiam, vel ab eodem Confeſſario mutari, niſi confuſam mente gerat, aut à Pænitente recipiat, notitiam peccatorum, propter quæ hanc impo-

fuerat; vel ab alio, nisi auditis peccatis propter quæ eadem fuerat imposita. Secunda enim Pænitentia debet esse proportionata & Sacramentalis; ad quod requiritur ut sit pro peccatis cognitis & in hoc Sacramento confessis. Neque tamen ex communi sententiâ requiritur accurata peccatorum repetitio; sed ea tantùm unde Sacerdos statum Pænitentis intelligat; putà hunc tot annos in adulterio, mollitie, ebrietatis habitu vixisse.

Q. 1mo. an Pænitens injunctam sibi Pænitentiam per alium implere possit. R. extra casum in quo opus ab alio factum censetur ab ipso Pænitente fieri uti eleemosyna: pænitentem non posse *propriâ authoritate substituere alium qui loco ipsius Pœnitentiam impleat:* Ità Alexander VII. in censurâ propos. 15. Et verò Satisfactio pœnalis, non secùs ac auditio Missæ, est quid personale, quia imponitur ob culpam personalem.

Q. 2do. an Pænitentia sacramentalis ex aliquâ ipsam adimplendi intentione perfici debeat. Injuncta est v. g. parvi Officii recitatio; hanc quâ horâ ex devotione solitus eras, implesti, immemor Pænitentiæ: An ut rationem habeat Pænitentiæ, denuò recitare teneris? R. affirmat. quia satisfactio ut aliquid ex opere operato efficiat, debet esse actio pertinens ad Sacramentum. Atqui ad minus incertum est an ad Sacramentum pertineat, quod fit sinè ullâ intentione saltèm virtuali ad ipsum, vel ad Confessarii impositionem reflexâ.

Q. 3tio. an Pænitentia impleri possit per executionem alterius præcepti, aut saltèm per tempus quo præceptum illud impletur. R. ad 1. Pœnitentiam brevem non impleri, dum impletur aliud præceptum. Unde cuï præceptum est ut jejunet Feriâ VI. non satisfacit, si hâc Feriâ occurrat jejunium Ecclesiæ: quia alioqui nullam ex indebitis satisfactionem indiceret Confessarius; quod regulariter præsumi non debet. Aliud est si jejunium ad multam anni partem indictum fuerit. quia tunc Pænitentia objectum satis grave habere non desinit. R. ad 2. multò decentius, multò & tutius esse ut suum, cùm potest, unicuique præcepto assignetur tempus. Quando precor in Deum divites erimus, nisi cùm universum debitum nobis dimittit?

Q. 4to. an invalidè confessus impositam sibi satisfactionem implere teneatur. R. neg. quia nullum est Sacramentum quod debeat compleri. Satis ergo est ut nova fiat confessio, eique respondens Pænitentia impleatur.

Q. 5to. an cuï mitior imposita est satisfactio graviorem sibimet imponere & implere teneatur. R. affirm. contraria enim Ysamberti opinio, licèt in casu bonæ fidei prodesse

quear

queat, non satìs congruit Scripturæ & Traditioni, quæ dignos Pænitentiæ fructus requirunt. *Nec tibi blandiaris,* aït S. Petrus Damianus, *si graviter peccanti levior Pænitentia vel à nesciente, vel à dissimulante dicatur ---- quia dignos Pænitentiæ fructus requirit Altissimus. Peccatum,* aït Aug. *ab homine vel à Deo judicante puniri debet.* Quis porrò sui christianè amans posterius eligat?

Q. 6to. an cuipiam insigniter flagitioso, Sacerdoti præcipuè, injungi possit ingressus in Religionem. R. suaderi quidem posse ut *ad urbes refugii* convolet; at id vix cuipiam reluctanti esse sacramentaliter imponendum: *cùm sit voluntarium,* & à divinâ vocatione pendeat: *Et si aliqui Canones injungere inveniantur, magis est consilium, quàm præceptum.* S. Thom. in 4. dist. 16.

Q. 7mo. quid juris de eo qui molliores Confessarios de industriâ inquirit. R. suspectam admodùm, nè falsam dixerim, esse ejus Pœnitentiam. Si enim pares & æquas satisfactiones indicere debet minister; cur eas declinet Pœnitens? Rectè igitur S. Bernardinus Senensis: *Qui vadunt ad tales, qui dant minores Pœnitentias, causâ evitandi bonos Confessores, & non habendi Pænitentias congruas & magnas; non plus habent contritionis quàm diabolus.*

§. V. *De effectibus Satisfactionis.*

Satisfactio, juxta Trid. Sess. 14. c. 8. plures habet effectus. 1mo. enim efficit, nè *peccata leviora putantes, in graviora labamur*; 2do. *magnoperè à peccato revocat, cautiorèsque & vigilantiores in futurum Pænitentes reddit.* 3tio. *vitiosos habitus contrariis virtutum actionibus tollit.* 4to. *via* est aliâ omni *securior ad amovendam imminentem à Domino pænam,* si *cum vero animi dolore* præstetur 5to. *Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfacit, conformes nos facit.* 6to. *certissimam* salutis *arrham* præbet; quia si *compatimur & conglorificabimur* Quæstio est an etiam ex opere operato pariat temporalis pœnæ remissionem. Sit

CONCLUSIO. Satisfactio sacramentalis pœnam temporalem ex opere operato remittit: majorem aut minorem pro gradu operis, & satisfacientis dispositione.

Prob. 1. pars, ex Trid. Sess. 14. c. 3. ubi tres Pœnitentis actus dicuntur hujus Sacramenti partes, *quatenùs in Pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenâmque & perfectam* peccatorum *remissionem ex Dei institutione requiruntur.* Ibi satisfactio, non secùs ac alii duo Pœnitentis actus, ad

 pecca-

peccatorum remiſſionem ordinatur; adeóque ut ii ex opere operato. Atqui ſatisfactio nec ordinatur ad remiſſionem culpæ, cùm hanc tollat abſolutio; nec ad remiſſionem pœnæ æternæ, quia hæc ſimul cum culpâ ſublata eſt. Ergo ſupereſt ut ad temporalis pœnæ remiſſionem ordinetur. Et verò pars Sacramenti eo modo quo pars eſt, effectum ſibi reſpondentem ex opere operato operari debet. Sed ſatiſfactio ſacramentalis, eſt pars integrans Pœnitentiæ, cuï reſpondet remiſſio pœnæ temporalis.

Prob. 2. pars. Si major pœna per majorem ſatisfactionem non tollatur, minor per minorem; vel quia nulla tollitur, vel quia omnis per modicam etiam ſatisfactionem tollitur. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. ut conſtat ex totius Eccleſiæ ſenſu, & primâ hujus Concluſionis parte. Non 2. quia alioqui eadem foret conditio minùs diligentis, quàm ejus qui magis diligit; quod repugnat Chriſto, Luc. 7. v. 47.

Prob. 3. pars: ſatisfactio, utpotè pars Sacramenti, eodem operatur modo, quo Sacramenta. Atqui hæc plus vel minùs operantur pro majori vel minori recipientis diſpoſitione. Ergo.

Ex his colliges, 1mo. pœnæ remiſſionem non conſiſtere in indiviſibili, quamvis indiviſibili conſiſtat remiſſio maculæ lethalis. Unde minuitur debitum pœnæ, prout creſcunt ſatisfactionis partes. 2do. plus operari modicam ſatisfactionem ſacramentalem; quàm multò majorem ſpontè aſſumptam? quia priori annexa eſt virtus clavium, non poſteriori. Unde conſultum eſt ut Confeſſor poſtquam determinatam Pœnitentiæ ſpeciem injunxit, ſacramentaliter etiam injungat quidquid à Pœnitente præſtabitur boni, ſaltem ad certum tempus, ad octiduum putà, ad menſem, ad annum, &c. Id autem vel expreſſim faciendum, vel per hæc verba, *quidquid boni feceris*, formaliter intendendum.

§. VI. *De diſciplinâ veteri circâ Pœnitentiam.*

Q. 1mo. quod & quæ forent ſtationes Pœnitentiæ ſolemnis.

Ad reſponſionem quædam præmitti oportet de antiquorum templorum ſtructurâ. 1mo. quidem ingreſſuris Baſilicam occurrebat atrium tribus aut quatuor cinctum porticibus. Hujus in medio erat area ſub dio, fontem habens ori, manibus ac pedibus eorum qui Eccleſiam introïbant, abluendis deſtinatum. 2do. poſt atrium illud occurrebat adjacens templo veſtibulum, totam ejus frontem adæquans, & ingenti-

bus

bus fultum columnis. Major hujus erat latitudo, quàm longitudo; unde narthem dixêre Græci; quia veteris ferulæ formam imitaretur. 3tio. occurrebat Ecclesiæ navis, quam duas in partes dividebat latum & sublime pulpitum, cuï Græcè inditum *ambonis* nomen, quia eò per gradus hinc & inde ascenderetur. Hic legebatur à Diaconis Evangelium, &c. 4to. Navim sequebatnr Sanctuarium, seu Chorus ab ipsà cancellis sejunctus. Hujus in medio situm Altare, pone quod erat Antistes & cum eo Clerici.

Statio *flentium* sita erat in atrio ante vestibulum Ecclesiæ, secundùm id Basilii in Epist. ad Amphiloch. Can. 56. *Debet* voluntarius homicida *quatuor annis deflere, stans extrà fores oratorii, &c.* Hujus porrò stationis pœnitentes lugubri habitu induti, prætereuntium Fidelium intercessionem apud Deum, & Ecclesiam supplices flagitabant. Pingit id Graphicè Hieronymus Epist. 30. ubi Fabiolam eo in ordine positam sic exhibet: *Quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri, in semetipsam reversa --- saccum indueret, ut errorem publicum fateretur; & totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, staret in ordine Pænitentium, Episcopo, Presbyteris & omni populo collacrymantibus; sparsum crimen, ora lurida, squallidas mentes. sordida colla submitteret?* Stationis hujus & aliorum diuturnitas pendebat, tum à studio & diligentiâ pœnitentium, tum à criminum gravitate. Tanta quandôque erat scæleris atrocitas, ut qui illud perpetrasset, totâ vitâ ad fletum damnaretur.

Audientium locus erat in vestibulo, seu porticu majoribus Ecclesiæ portis connexâ; sic tamen ut audiri posset Scripturæ lectio, & sacra Concio Pontificis, à quorum auditu nomen suum sortiti sunt *Audientes auditio*, inquit Gregorius Thaumat. Can. 11. *est intrà portam in porticu --- ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad Cathecumenos, & illinc ingredi.* Porro *stare usque ad Cathecumenos*, seu usque ad Missam vel dimissionem Cathecumenorum, est ejici ante oblationem unà cum infidelibus, hæreticis & iis Cathecumenis qui necdum nomen suum inscribendum dederant. Audientes, in eo differebant à *flentibus*, quòd nec lugubrem cum iis habitum gerere, nec prætereuntium genibus advolvi tenerentur: In hoc autem discrepabant à *substratis*, quòd hi jam Pœnitentiæ studium ingressi censerentur: *Audientes* verò, non tam Pœnitentes, quàm ad Pœnitentiam aspirantes reputarentur.

Substrati sic dicti, quia stadium suum decurrendo, genuflexi erant, & quasi pavimento adhærentes, in id incumbe-

bant toti ut partim operibus propriis, partim Ecclesiæ orationibus maculas criminum suorum eluerent. Unde his, postquam expulsi fuerant *Audientes*, Episcopus manus imponebat & precabatur, comprecante toto Fidelium cœtu: quibus peractis ejiciebantur ab Ecclesiâ. Tum verò iterum occlusis foribus Fidelium preces inchoabantur. Substratorum pœnitentia erat id totum quo caro affligi possit. His insuper singulis jejunii diebus veniendum erat ad Ecclesiam, & submittendum caput Sacerdotali manuum impositioni.

Consistentes cum ceteris fidelibus ad usque sacrificii finem in Ecclesiâ morabantur inter ambonam & cancellos. Horum præcipua pœna erat privatio Eucharistiæ: hinc fortè consistentia dicta est segregatio, quin & excommunicatio.

Q. 2do. à quo & quando imponeretur Pœnitentia publica. R. hanc à solo Episcopo impositam fuisse in capite jejunii. Qui verò stationes dignè excurrerant, in Ecclesiâ Romanâ reconciliabantur Feriâ V. Hebdomadæ sanctæ. nisi reconciliationem anticipari gravis exigeret necessitas. Ceterùm reconciliati non erant ab omni pœnâ immunes. Neque enim vel in militiâ servire, vel ad Ordines promoveri poterant, utpotè ipso facto irregulares.

Q. 3tio. Quæ peccata pœnitentiæ publicæ subjacerant. Not. peccata alia erant gravissima, idololatria scilicet, homicidium & adulterium, eorúmque finitimæ species, quæ quia à Canonibus severiùs plectebantur, *Canonica* nuncupata fuêre; alia gravia minùs quæ vulgaria dici possunt. Utraque verò vel occulta erant, quia nemine conscio perpetrata; vel notoria, seu *facti*, quia pluribus indubiè, sed extrajudicialiter cognita; seu *Juris*, quia vel à Reo coram judice Ecclesiastico aut sæculari confessa erant, vel à testibus juridicè probata. Jam

R. 1mo. non omnia letalia etiam publica pœnitentiæ solemni subjacuisse.

Prob. quia antiqui omnes, ut Tertullianus, & Gregorius Neocæs. quoties de pœnitentiâ solemni loquuntur, nonnisi famosa tria crimina & eorum species eidem addicunt. Illiberitana etiam Synodus in octoginta & uno Canonibus suis nè unum quidem habet, quo alia quàm prædicta tria, vel his affinia peccata, solemniter expiari jubeantur. Equidem Canonibus 73. 74. & 75. pœnitentia publica delatoribus, falsis testibus, & iis etiam qui Ministros accusant, decernitur. At id factum, quia hæc peccata ad homicidium quadantenùs revocarentur. Laici enim accusatio tendebat ad mortem, vel ad proscriptionem, quæ quoddam est mortis genus:

accu-

accusatio Ministri sacri inferebat mortem Canonicam, depositionem nimirùm, quæ Patrum judicio quædam erat necis species.

R. 2do. Peccata canonica, omninò secreta, moraliter loquendo, non videntur toti Pœnitentiæ publicæ subjacuisse, vi Canonum. Publica verò, id est, aut apertè commissa, aut coram Judicibus probata, eidem subjacebant.

Dixi 1mo. *omninò secreta*, seu quæ fiebant vel sinè testibus, ut adulterium mentale; vel sinè ullo præter complicem teste, ut formale adulterium. Dixi 2do. *moraliter loquendo*, quia fieri potuit ut eâ de re non una prorsùs, vel in diversis Ecclesiis, vel in eâdem sub diversis Pontificibus vigeret disciplina. Dixi 3tio. *toti Pœnitentiæ publicæ*, potissimùm verò *substractioni*, quæ propriè pœnitentes constituebat. Constat enim ex S. Basilio Can. 34. Epist. ad Amphiloc. *adulterio pollutas mulieres*, licèt à ceteris gradibus immunes, in *Consistentiâ* stetisse *sinè communione*, *donec impleretur tempus pœnitentiæ* Dixi 4to. *Vi Canonum:* Fateor enim occultos peccatores, quin & aliquando viros pios, in spontaneo fervoris motu, vel ex prudentis Confessarii monito, non autem jussu, se publicis pœnitentibus socios fecisse; ut patet exemplis Gaudentii Valeriensis Episcopi, de quo Concilium Tolet. XIII. &c. jam.

Prob. 1. pars, ex Can. 34. S. Basilii, ubi hæc: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, & quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, nè palàm convictis mortis causam præbeamus; Eas autem stare sinè communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ* Unde sic: Grave & canonicum erat adulterii crimen. Atqui hujus consciæ mulieres à totâ fermè pœnitentiâ, aut saltèm ab eâ hujus parte quæ Pœnitentiam propriè constituebat, eximebantur. Ergo.

Prob. 2do. Si pœnitentia publica Reis occultorum criminum imposita fuisset, nec pœnitentium honori, nec confessionis sigillo satis esset consultum. Jam enim primò constitisset hunc vel illum gravissimi sceleris reum esse; cùm pœnitentia hæc gravissimis ut plurimùm facinoribus constitueretur. 2do. ipse criminis gradus ex pœnitentiæ diuturnitate facilè innotuisset. Cùm ergo reus sit fracti sigilli, qui verbis vel factis crimen pœnitentis detegit, graviter in hâc parte peccassent Majores nostri, quod ab ipsorum piâ sagacitate prorsùs alienum est.

Reponunt quidem Nat. Alexander & Witassius nullum vel pœnitentium honori, vel confessionis sigillo ex pœnitentiâ publi-

publicâ imminuisse periculum; tum quia eam sponte obirent viri pietate insignes, ut Wamba & Gaudentius; tum quia pœnitentiæ tempus pro arbitrio moderabantur Episcopi. Verùm prima hujus responsionis pars, quæ objectionem sola verè imminuere possit, non parum habet difficultatis. Num enim quia viro egregiè pio uni aut alteri, ut Wambæ & Gaudentio, aliquot pœnitentiæ publicæ labores sæculis VII. & VIII. decurrere contigit, idcircò credendum est id passim primis institutæ hujus pœnitentiæ temporibus contigisse? Cur tantus pœnitentium rubor, si his indesinenter admixti essent sancti? Num cautè satis dixisset Augustinus: *Illi quos videtis pœnitentiam agere, scælera commiserunt*, &c.

Prob. 2. pars: quia si unquam viguit illud pœnitentiæ genus, utique pro scandalosis notoriisque peccatis: ut *qui cum plurimorum afflictione*, vel *cum multorum destructione se perdiderant, cum multorum ædificatione se redimerent*, ut aiebat S. Cæsarius. Et verò Trident. Sess. 24. c. 8. ex Apostolo *monet* iis qui *publicè & is multorum conspectu crimen commiserint*, *condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportere.* Quis porrò dubitet id à Patribus disciplinæ studiosissimis factum esse, quod juxtà Apostolum, & receptas suo tempore leges fieri oportebat?

Obj. Canones antiqui, cùm pœnitentiam gravioribus peccatis decernunt, nuspiam distingunt occulta inter & publica. Atqui distinxissent: &c. R. 1mo. neg. maj Quid enim est istud Basilii? *Adulterio pollutas mulieres Patres nostri publicare noluerunt.* Quid istud generale Innocentii? *Non habent latentia peccata vindictam.* Quid illud Eligii Homiliâ 16. *Vos*, quos publica actio criminalis *publicam cogit agere Pœnitentiam* R. 2do. neg. minorem. Non enim necesse erat fieri distinctionem, quæ satis intelligebatur. Et verò neque etiam distingunt Canones inter pœnam publico & occculto crimini debitam. Et tamen ipsa ratio dictat scandalosa peccata graviores quàm oculta pœnas meruisse.

CAPUT OCTAVUM.

De formâ Sacramenti Pœnitentiæ

VIDENDUM, 1mo. quæ sit forma pœnitentiæ; 2do. quis ejus sit sensus; 3tio. quæ efficacia.

§. I. *In quo sita sit Sacramenti pœnitentiæ forma.*

Pœnitentiæ forma consistit in verbis quibus dimittuntur peccata.

cata. Hæc autem hodie, saltèm in Ecclesiâ Occidentali, ista sunt: *Ergo te absolvo à peccatis*, &c.

Porrò verba hæc, *absolvo te*, aut equivalentia, sola ad formæ hujus essentiam pertinent, utpotè quæ actionem Ministri & Sacramenti effectum satis exprimant. Unde nec requiritur vox *Ego*; quia satis in verbo *Absolvo* includitur; nec voces *à peccatis tuis*; quia vox *absolvo*, licèt in censuras etiam cadere possit, ex præviâ peccatorum accusatione determinatur ad peccatorum remissionem; nec Trinitatis expressio; tum quia præcepit Baptismum *In nomine patris*, &c. conferri, nullibi præcepit ut idem fieret in absolutione peccatorum; tum quia distincta trium personarum appellatio, neque ex effectu hujus Sacramenti, qui sinè illâ satis intelligitur, neque ex Ecclesiæ sensu judicatur esse essentialis. Imò censent plerique omissionem seu vocis *Ego*, seu verborum, *In nomine patris*, sublatis scandalo vel contemptu, noxam esse tantùm venialem: sicut si omittatur *à peccatis*: quia licèt veri admodum simile sit, non tamen certò constat, verba hæc non esse essentialia. Unde data sinè iisdem absolutio, conditionatè iteranda foret.

His præsuppositis, quæritur an absolutionis forma deprecativa esse debeat, ut *Absolvo quæso, Domine*; vel indicativa seu absoluta, ut *Absolvo te*. Hæc quæ juris est quæstio, pendet plurimùm ab hâc facti quæstione, an olim Ecclesia Latina, vel Orientalis formam deprecativam adhibuerit. Si enim ita est, constabit formam absolutam ex institutione Christi non requiri. Hic porrò ut in difficillibus scinduntur Theologi. Alii cum Morino censent formam deprecativam apud Latinos ad duodecimum usque sæculum viguisse; semperque & etiamnum apud Græcos. Alii ex adverso pugnant, Thomistæ præsertim, sed non omnes. Præcipua utriusque partis momenta proponam.

Pugnant Morini sequaces, 1mo. ex Patribus, Ambrosius L. 3. de Spir. S. c. 18. *Homines* inquit *in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent.* ISTI ROGANT, *divinitas donat.* Atqui forma in quâ rogat Minister, deprecativa est. Augustinus Serm. 99. C. 8. *Futuri erant homines, qui superbè dicerent, Ego peccata dimitto, ego justifico*, &c. Hos autem, qui Donatistæ erant, increpat S. Doctor exemplo Christi, qui non dixit in primâ personâ, *Ego remitto tibi peccata, sed in tertiâ: Remittuntur ei peccata.* Atqui corruisset illud S. Doctoris argumentum, si Ecclesia Africana tunc indicativam formam inter absolvendum in primâ personâ adhibuisset: nec minùs

ejus

ejus praxim, quàm Donatistarum morem ex Christi exemplo redarguisset Augustinus.

Pugnant 2do. quia quæstio facti non scholasticis rationibus, sed veteribus monumentis definiri debet. Atqui nè unum quidem profertur monumentum sæculo 13tio. antiquius, pro formâ absolutâ. Hinc qui tantam opinioni contrariæ vim tribuit S. Thomas Opusc. 22. ad id adversarii sui; *Vix anni 30. elapsi sunt, cùm omnes solâ formâ deprecatoria uterentur*; id unum respondet, *eum de omnibus testimonium perhibere non posse, qui omnes non vidit: sed certum esse quoniam sunt mille ducenti anni & ampliùs, quod dictum est Petro.* Quodcumque solveris; &c. Quasi verò hinc sequatur Veteres non fecisse, id quod fecisse probantur?

Pugnant 3tio. quoad Orientales, quia quotquot extant Rituales Græcorum Libri, non aliam quàm deprecatoriam absolutionis formam exhibent; quæ ut plurimùm habet: *Herus & Dominus N. J. C. indulgeat tibi omnia, quæ in conspectu ejus nullitati meæ confessus es* Vel *Domine Jesu, relaxa, remitte; condona peccata, iniquitates, delicta.* &c.

Pugnant 4to. ex Clemente VIII. qui in instructione super Græcorum ritibus an. 1505. sic statuit: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur formâ absolutionis in generali Concilio Florent præscriptâ; & posteâ, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro formâ hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt.* Atqui hîc supponitur Græcos formâ *tantùm* deprecativâ uti, & eandem formam valere; cùm eos non carpat quòd eâ alii erga alios utantur. Jam proponenda oppositæ partis momenta.

Primum desumitur ex S. Thomà, qui circà an. 1250. in cit Opusc. 22. Theologi cujusdam *dicentis quód Sacerdos absolvendo uti non debet hâc formâ*, Ego te absolvo, *assertionem uti valdè temerariam* carpit. Atqui si Ecclesia per priora 12. sæcula formam adhibuit deprecativam, jam temerarius fuit ipse S. Thomas, qui formam ab Apostolis profectam redarguerit.

Nec dicas potuisse factum illud nesciri à D. Thomâ. Quis enim facilè carpiat Angelicum, qui extremo, ut ità loquar, digito sæculum 12. attingebat; quique cum pluribus ejusdem sæculi eruditis viris conversatus erat, qui antiquiores alios viderant, quotidianum id genus factum ignorasse? An verò tam diuturni universæ Ecclesiæ usûs memoria intrà 30. aut 40. annos è mortalium omnium animis adeò evanuit, nulla ut ejus superfuerit recordatio? An Thomam latuit Tra-

ditio

ditio tota? An Ecclesia formam utique legitimam, sinè causâ mutavit, aut mutationis suæ causam habuit in aliquâ quæ tunc nata sit hæresi, & cujus nè unus quidem Scriptor meminerit?

II. Nunquam adhibuit Ecclesia formam quæ verbis Christi solvendi potestatem tribuentibus adversatur. Atqui forma deprecativa - - - Alioqui enim, cùm dixit Christus: *Quodcumque solveris*, perinde est ac si dixisset: *Quodcumque petieris solvi* &c. Atqui non ità est: aliud enim est solvere; aliud precari ut quis solvatur. Unde in Extr. Unctione Sacerdos infallibiliter gratiam peccati remissivam impetrat, nec tamen à peccatis absolvit; quia is solùm verè absolvit, qui ut Judex jus dicit reo peccatum humiliter confitenti. Id autem ut in Ext. Unctione non habetur, sic nec in Pænitentiâ per formam deprecativam haberi potest.

III. Docet Trid. sess. 14. c. 3. *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in quâ precipuè ipsius vis sita est, in illis verbis positam esse:* Ego te absolvo; *quibus de Ecclesiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria.* Unde sic: Illud solum est absolutionis forma, quod est institutionis divinæ. Atqui preces quæ in antiquis occurrunt Ritualibus, non sunt institutionis divinæ. Eæ enim preces sunt quoad sensum eædem cum præcibus quæ hodiernæ absolutionis formæ adjunguntur. Atqui hæc ex Trid. *laudabiliter* quidem institutæ sunt, sed ad *Sacramenti administrationem non sunt necessariæ.* Ergo nec ad id necessariæ erant antiquorum Ritualium preces.

Ut alterius partis momenta solvant; Reponunt ad 1. meritò dictum à S. Ambrosio *Isti rogant, divinitas donat*; quia Ecclesia semper indicativæ formulæ adjunxit preces, quibus orat Deum ut peccata condonet. Certè juxtà S. Doctorem in Baptismo donantur peccâta, sicut donantur in Sacramentò Pænitentiæ; proinde illud, *Rogant isti, divinitas donat*, utrique Sacramento convenit. Atqui tamen Baptismatis forma tempore Ambrosii erat, ut nunc est indicativa. Ergo quia de Pænitentiæ Ministris dixerit Ambrosius: *Isti rogant* perperàm infertur absolutionem tunc fuisse deprecativam.

Ad August. reponunt 1mo. gravem à Morino inferri Ecclesiæ vel Augustino injuriam. Nimirùm, inquiunt, vel forma indicativa convenit institutioni Christi, vel non Si 1. quì fieri potuit ut Augustinus eam velut arrogantem, & exemplo Christi adversàm, abjecerit? Si 2. quomodò hanc demùm amplexa est tota Christi Ecclesia, quæ certè Augu-

stini

ſtíni textum legerat, & intellexerat? 2do. Non reprobari ab Augſt. formam indicativã, quaſi hanc ſoli admitterent hæretici, ſed abuſum formæ hujus, quæ apud Catholicos perinde ut & apud hæreticos recepta erat. Agit ſcilicet S. Doctor contra Donatiſtas, qui ſuperbiâ elati peccatorum remiſſionem tam in Baptiſmo quàm in Pænitentiâ, propriæ ſuæ ſanctitati adſcribebant. Ut autem eos revincat, docet 1mo. hominem; ſeu abluat in Baptiſmo ſeu mundet in Pœnitentiâ, merum eſſe Dei inſtrumentum; 2do. Chriſtum ipſum, dum peccata dimiſit, modeſtiùs locutum eſſe quàm loquerentur hæretici, cùm nuſquam dixerit *Ego dimitto peccata.* Atqui utrumque revincebat hæreticos, neutrum verò impedebat Catholicos indicativâ formâ utentes; cùm hi nec ſanctitati ſuæ adſcriberent, quod etiam per impios fieri docebant; nec eodem quo Donatiſtæ ſenſu dicerent, *Ego peccata dimitto*; id eſt, ego quia ſanctus, peccata dimitto: imò nec unquam dicerent: *Ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptiſo.*

Confirm. Ut ex Auguſtino & ceteris Patribus nihil in gratiã deprecativæ formæ colligi poſſis, ſatis eſt ut ii Sacramentorum omnium formas veluti preces & orationes habuerint. Atqui res ità ſe habet. Sic enim loquitur Auguſtinus ipſe L. 3. de Bapt. c. 18. *Exaudit Deus homicidam ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam deprecantem.* Atqui dubio procul indicativa erat Auguſtino ut & nobis Euchariſtiæ forma. Ergo eam ut & Baptiſmi ac Confirmationis formam *deprecationis* nomine exprimit, ſeu ob preces eidem ex Eccleſiæ uſu adjunctas: ſeu quia nulla à Sacerdote forma profertur, niſi ex pio animi deprecantis affectu.

Ad 2. negant min. Nimirùm, inquiunt, Ordo Romanus; quem utpotè ab Amalario citatum nemo antiquiſſimum eſſe diffitetur, poſt varias orationes, quibus Sacerdos à Deo gratiam miniſterii ſui efficaciter adimplendi precatur, hanc refert abſolutionis formulam pro pluribus ſimul abſolvendi; *Nos etiam ſecundùm authoritatem nobis indignis à Deo conceſſam, abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum.* Similem formam exhibet Menardus è Miſſ. Rhemenſi, ubi ſic: *Ego divinitùs vos abſolvo.*

Sed ergo reſponſi fiet illi S. Thomæ adverſario, de quo ſuprà. R. 1mo. nihil eſſe cur demn- fidem homini, cui fidem abnegavit S. Thomas; vir utique majoris ſcientiæ & fidei. 2do. Feri potuiſſe ut per abuſum certis in locis vigeret forma deprecativa, prout eam *in Provinciâ Provence* aliquando viguiſſe docet Mayronis: quod autem alicubi factum erat, id ubique factum crediderit Anonymus. Ad

Ad 3. respondent absolutionis formam Orientali, ut & in Occid. Ecclesiâ indicativam fuisse, proinde objectas orationes Euchologiis Græcorum inscriptas esse, non ut per eas solveretur Pœnitens, sed ut adjungerentur formulæ indicativæ quâ idem Pœnitens absolvebatur.

Cur verò insertæ sint Euchologiis preces illæ accidentales, ipsa verò forma, quæ præcipuum est rei caput, omissa fuerit, alias alii rationes reddunt. Censent quidam id factum, quia diu viguerit lex ab Innocentio I. lata, nè palàm exponerentur Sacramentorum formæ. Alii id factum putant, quia proximæ forent orationes quæ formæ absolutionis adjungebantur, brevis autem, & quæ facilè memoriæ mandari posset absolutionis forma, nec, ut ex Gersone constat, una apud omnes, etsi ubique indicativa. Quanquam, etsi major Græcorum pars formam deprecativam ex ignorantiâ, adhibet non desunt plures qui absolutam hanc usurpent: *Habeo te venia donatum*; vel *Mea mediocritas habet te veniâ donatum*, *&c.*

Ad Decretum Clementis VIII. respondent, vel formam hanc ab ipso vocari deprecativam, non quia reipsâ talis sit, sed quia talis esse videatur: vel formam hanc verè quidem à Clemente supponi deprecativam, sed ab eo ad minus haberi ut maximè dubiam; cùm vetet nè Græcus Sacerdos eâ erga Latinum utatur; & permittat ut, postquam indicativâ formâ ad mentem Florent. Concilii usus est, deprecativam, quam pro formâ habent Græci recentiores, non tamen omnes, ut diximus, adhibeat: neque enim permitteret Pontifex ut indubia forma bis in instanti super eâdem materiâ pronuntiaretur.

En Potissima utriusque opinionis momenta. Secundæ adhæremus, ob sacram Tridentini authoritatem, quæ priori nonnihil lædi videtur. Quanquam non desunt qui ipsam hanc Græcorum: *Domine relaxa*, *remitte peccata*, &c. esse reipsâ indicativam tuentur. Ad id enim, inquiunt, sufficit ut verba hæc, *Absolvet te Deus*; *Domine condona*, &c. hunc ex certâ & notâ Ministri intentione sensum habeant: *Absolvat te Deus per ministerium meum: Domine, remitte, prout & ego in nomine Patris &c. remitto.* Atqui hanc esse Sacerdotis intentionem, eàmque per adducta verba, modestè quidem, sed verè exprimi, nemo inficiari potest. Sicut ergo si decreverit rex nemini qui adversùs Delphinum peccaverit, scælus istud condonare, nisi anteà à filio suo condonatum sit; censetur is, cùm aït Regi *Dimitte huic iniquitatem ejus*, dice-

dicere: *remitto, relaxo, & tu quoque dimitte*, &c. ſic in caſu præſenti.

§. II. *De ſenſu & virtute Abſolutionis.*

Formæ verba vel hunc habent ſenſum: *Declaro remiſſa eſſe tibi peccata*; vel iſtum: *Dimitto tibi pœnam peccatis tuis debitam*; vel ex his duobus unum: *Condono tibi peccata tua*; aut *Confero tibi gratiam de ſe peccati remiſſivam*. Cùm verò ex ſuprà dictis abſolutionis verba non habeant hunc ſenſum: *Declaro tibi remiſſa eſſe peccata tua*, videndum quem ex aliis ſenſum habeant.

Conclusio. I. Senſus abſolutionis non is eſt tantùm: *Remitto tibi pœnam peccatis debitam*. Eſt contra Baïum, qui cùm doceret *in peccato duo tantùm eſſe, actum & reatum, ſeu obligationem ad pœnam*, docebat conſequenter ſolam remitti pœnam per abſolutionem.

Prob. ſenſus abſolutionis id omne importat quod per eam remitti debet. Atqui per abſolutionem non modò pœnæ, ſed & culpæ reatus dimittitur; uti docet Trid. quo teſte *pœna æterna - - - unà cùm culpa remittitur*. Ergo.

Conclusio II. Forma abſolutionis in ſenſu literali hanc habet ſignificationem: *Remitto tibi offenſam divinam* hanc verò in ſenſu Sacramenti: *Confero tibi gratiam*, quàntum *de ſe eſt remiſſiva peccati*.

Prob. 1. pars, quia id *Abſolvo te*, ſeu ſolvo vinculum quo ligabaris, literaliter non ſignificat gratiæ collationem, ſed ſolutionem vinculi. Unde potuiſſet Chriſtus res ſic inſtituere, ut culpæ reatus tolleretur, nec tamen Pœnitenti conferretur gratia ſanctificans.

Prob. 2. pars. Forma Pœnitentiæ id ſacramentaliter ſignificat, quod ut talis operatur. Atqui primariò operatur reconciliationem cum Deo. quæ gratiam deſtructivam requirit & præſtat; ſeu interim peccatum deſtruatur, ſeu non, putà quia jam plenâ contritione, vel aliis in confeſſionibus deletum fuerit. Ergo etſi prior ſenſus attentâ propria vocum ſignificatione magis naturalis eſt, poſterior tamen attentâ ſignificatione ſacramentali magis genuinus videtur.

Ex his colliges eoſdem eſſe abſolutionis effectus, qui virtutis Pœnitentiæ; & 1mo. quòd gratiam ſanctificantem pariat; 2do. quòd virtutes peccato deperditas & amiſſa merita reſtituat; 3tio. Quòd æternam pœnam, imò & ſemper aliquid temporalis pœnæ dimittat, quia hæc vi Sacramenti in aliquid minùs commutatur. Ut ſolvantur variæ circà abſolutionem difficultates,

Q.

Q. 1mo. quis sit absolvendi ritus. R. hunc in Rituali Rom. præscribi. *Sacerdos. cùm Pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs & ab eo acceptatâ pœnitentia salutari, primò dicit;* Misereatur tuî „ omnipotens Deus, &c. *Deinde dextera versùs Pœnitentem elevata, dicit:* „ Indulgentiam, „ absolutionem &c. Dominus noster J. C. te absolvat: Et „ ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excom- „ municationis, suspensionis & interdicti, in quantùm pos- „ sum & tu indiges. Deinde, ego te absolvo à peccatis tuis „ in nomine Patris, &c. Passio Domini nostri J. C. merita „ B. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum, & quidquid „ boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem „ peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ."

Q. 2do. an is absolvendi ritus erga omnes adhiberi debet. R. 1mo. vocem *suspensionis* omittendam circa Laïcos, utpotè censuræ hujus incapaces. R. 2do. in confessionibus brevioribus & frequentioribus satis esse si dicatur, *Dominus noster J. C.* &c. Quòd si urgeat periculum mortis, sufficiunt pauca hæc: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris,* &c. Imò & hæc pauciora, *Absolvo te.*

Q. 3tio. an absolutio debeat esse verbalis. R. affirm. tum ob universalis Ecclesiæ praxim; tum quia ex Florentino. *Sacramenti forma sunt verba absolutionis quæ Sacerdos* PROFERT, *dum ait: Ego te absolvo.*

Q. 4to. an valeat absolutio conditionatè data. R. 1mo. absolutionem, regulariter loquendo, absolutè esse conferendam, ità ut qui sinè justâ causâ conditionatè absolverit, juxtà mitiores etiam Theologos, peccet letaliter. R. 2do. valere absolutionem datam sub conditione de præsenti, vel de præterito, quæ de facto existat, aut extiterit; ut si dicas: *Absolvo te, si restituisti,* aut *si firmum habes restituendi propositum.* Ratio est quia *positâ conditione res transit in absolutam.* R. 3tio. licitam aliquando esse absolutionem conditionatam, ut cùm quis legitimè dubitat, seu an absolutionis verba protulerit: tunc enim dicere potest: *Si non es absolutus ego te absolvo;* seu an homo vivat; seu propter dubia in extremis indicia an absolvi velit.

At non debent absolvi conditionatè ii de quibus prudenter dubitatur an ritè sint dispositi; qui alia quàm dubia peccata confiteri nolunt; qui probabiliter peccatum aliquod reticuisse creduntur; vel quorum sufficiens dolor aut efficax propositum meritò suspecta habentur: hi enim omnes seriò probandi sunt, donec ex fructibus moraliter de eorum di-

ſpoſitione conſtet. Et verò hi Pœnitentes ſe purè abſolutos rati ad Euchariſtiam accedunt, peccata ſic dubiè aut malè abſoluta nuſquam apud Sacerdotes alios repetunt: Hinc verò quot ſacrilegia!

Ceterùm cùm abſolutio conditionatè datur, neceſſum non eſt conditionem voce exprimi. Si enim ex ſolâ mentis intentione determinentur verba ad ſenſum ſacramentalem potiùs quàm ad hiſtoricum, quidni ex eâdem intentione ad ſenſum conditionatum determinentur; præſertim cùm circumſtantiæ ſenſum hunc patiuntur aut exigunt.

R. 4to. Non valet abſolutio ſub conditione de futuro data. Tunc enim nec valet, cùm profertur, quia deeſt intentio abſolventis; nec valet, cùm ponitur conditio, quia forma jam non eſt moraliter præſens, adeoque jam deſiit Sacramentum, quod tamen nonniſi præſens operatur.


Q. 5to. an antè liceat abſolvere à peccatis, quàm ab excommunicatione. R. negat. quia cujuſque Sacramenti ſuſceptio excommunicatis graviter interdicta eſt. Unde qui ſcienter in hoc caſu abſolvit aut abſolvitur, graviter delinquit.

Q. 6to, num ad novam abſolutionem novâ opus ſit confeſſione R. affirm. quia ad novam abſolutionom novâ opus eſt materiâ, ſaltem proximâ. Unde ſacrilegii reus eſt, qui binam ſuper eâdem confeſſione abſolutionem impendit, quia poſterior defectu materiæ irrita eſt. Poteſt tamen nova dari abſolutio ſuper novâ eorumdem peccatorum confeſſione, quia cadit tunc abſolutio ſuper novam materiam proximam. Nec redarguerim ſi quis ſcrupuloſum conditionatè denuò abſolvat, quia aſſerit ſe ante & ſub ipſum abſolutionis tempus inquirendis quæ effugere potuerant peccatis, quâdam veluti diſtractione intentum, contritionis actum omiſiſſe. Curandum tamen Miniſtro ut Pœnitentes ab anxiis hujuſmodi æterniſque examinibus abſtineant; tum quia vereri ſit nè reconciliationis gratiâ fruſtrentur; tum quia oblita peccata remittuntur indirectè.

FINIS TOMI III.







COLLETTI
INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

TOMUS III.